DAN. WILHELMI TRILLERI,

PHIL. ET MED. D.
ARCHIATRI NASSAV.

OBSERVATIONVM CRITICARVM

IN

VARIOS GRÆCOS ET LATINOS

AVCTORES,

LIBRI QVATVOR.



FRANCOFVRTI AD MOENVM,
APUD FRANCISCVM VARRENTRAPP.
MDCCXLII.

PHÆDRUS.

Joculare Tibi videtur, & ſane bene,
Dum nihil habemus majus, Calamo ludimus;
Sed diligenter intuere has nænias,
Quandam ſub illis utilitatem reperies.

ILLVSTRIVM ET EXPERIENTISSI-
MORVM MAGNÆ BRITANNIÆ
MEDICORVM
NOBILISSIMO AC CONJVNCTISSIMO
PARI,
D. RICHARDO
MEAD,
ET
D. JOANNI
WIGAN,
VIRIS
ARTIS NON CLINICÆ SOLVM, SED ETIAM
CRITICÆ
LONGE PERITISSIMIS,
STRENVIS
HVMANIORVM LITTERARVM
VINDICIBVS,
FAVTORIBVS SVIS MAGNIS,
SVMMO STVDIO
ET
SINGVLARI OBSERVANTIA
ÆTERNVM COLENDIS,
TENVE HOC OPVSCVLVM CRITICVM
L. M. Q. D. D. D.
DANIEL WILHELMVS TRILLERVS.

LIbellum hic Vobis offero, Viri illuſtres, neque à ſtudiis meis alienum, neque à Veſtris.

Nulla enim ratione Medici Profeſſionem abhorrere putem ab his criticis, cui injuriam faciunt, qui ejus pomœria ad Clinices anguſtias & ſordes contrahunt. Non me latet, quam ſuaviter Medicorum atque aliorum hominum naribus oleat lucrum; non tamen, quæ mea eſt ſimplicitas, adduci unquam potui, ut me earum opum, quantas laborioſis hominibus Medicina promittit, auctoramento ullo paterer ab

aliis

aliis nobilioribus ſtudiis, magisque meo genio accommodatis abſtrahi, ut verbis loquar Petri Petiti, Medici ipſius & Critici juxta haud vulgaris.

Si igitur Vos publici ſaporis Medicorum ad inſtar, nihil ſciretis aliud, prætcrquam fœdas hæmorrhoides, pallidas febres, nodoſam Podagram, ſævam arthritidem, & id genus alias humanæ gentis calamitates; hoc quidquid eſt Opellæ criticæ vobis dedicare merito reformidaſſem.

Verendum enim ſic erat utique, ne peregrinum quid atque ignotum Vobis exhibendo; moleſtiam Vobis crearem; mihi vero juſtam indignationem atque contemtum.

Verum quum Vos ad illuſtria Exempla magnorum Bartholinorum, Meibomiorum, Reineſii, Hofmanni, Cagnati, Mercurialis, Borrichii, Patini, Sponii, Wedelii, aliorumque celeberrimorum Medicorum, quorum Nomina hæc pagina haud capit, ſeverum Medicinæ ſtudium cum elegantioribus & interioribus Litteris feliciſſimo connubio junxiſſe, pulchre mihi conſtet; quod elucubrata veſtra ſcripta amœno litteraturæ flore large conſperſa affatim teſtantur:

Cui enim obſecro, haud inexercitato communiumque litterarum & politioris humanitatis experti ignota eſſe poſſit doctiſſima MEADII Commentatio de Nummis à Smyrnæis in Medicorum honorem percuſſis? aut nova Aretæi Editio à WIGANO elegantiſſima Verſione & acutisſimis Obſervationibus ſplendide ornata? ut alia plura utriusque excelſi & ſubtilis ingenii præclara Specimina jam lubens ſciensque prætercam:

Fiducia hinc mihi ſubnaſcitur merito, non ingratum prorſus Vobis fore opuſculum, quod ex animo potius offerentis, quam ſua præſtantia, quæ nulla fere, aut perquam exigua eſt, cenſeri & æſtimari velim.

Poſſem hic late in laudes Veſtras excurrere, ſi id aut mei eſſet ingenii, aut veſtri pudoris. Mavultis enim, ſat ſcio, laudanda tacite facere; quam bene actorum laudes, etſi meritas, palam audire.

Quare de his tacere nunc præſtat; quam Veſtræ modeſtiæ importuna loquacitate obſtrepere, inprimis quum Veſtræ laudes Vos facilius fatigare poſſint, quam nos ſatiare, ut acute dixit poeta.

Summum tamen nefas, hic ſilentio penitus præterire ſingulare illud beneficium,

ante

ante aliquot annos in me ab utroque Veſtrum benigne collatum.

Dum Tu, illuſtris MEAD, elegantiſſimas Obſervationes & acutiſſimas Emendationes in Hippocratem noſtrum, erudita, ſed ignota, manu ſcriptas mecum ultro liberaliter communicaſti; Quas Tu, Excellentiſſime WIGAN, in meum uſum nitidiſſime & emendatiſſime ingrato admodum labore, deſcribere nihil dubitaſti; licet vix antea vel de nomine Tibi notus eſſem, multo minus tam inuſitatum favorem præſtito aliquo prius officio promeruiſſem.

Sed erit proxime bono cum Deo, commodior, ſpero, locus, publice grata mente prædicandi, quantum Vobis, Viri maximi, eo nomine obſtricta ſit Reſpublica litteraria, quantumque Vobis de præſtantiſſimo hoc munere in publicos uſus conceſſo, debeant merito omnes Hippocraticorum monumentorum ſtudioſi Cultores.

Interea autem accipite quæſo, hoc munuſculum litterarium diffuſo vultu & benevolo animo, Vobisque perſuaſiſſimum habete, non eum in finem à me conſcriptum id eſſe, ut ingenii mei, aut eruditionis vane oſtentandæ ſit ſpecimen ali-

quod eximium, cujus quippe quam curta mihi ſit ſupellex, omnium optime & novi, & doleo: ſed ut ſummi potius ſtudii & intentiſſimæ obſervantiæ, qua vos proſequor atque veneror, extet documentum aliquod, ſi non ad poſteros perennaturum, quod augurari vix licet; at noſtro tamen ævo in gratiſſimæ mentis teſtificationem, ob oculos ponendum.

Forſan tamen ætatem feret, non quod meum; ſed quod Nomen potius Veſtrum ſibi præfixum habet, quod ob merita veſtra prorſus inſignia, æternitati jam dudum digniſſime eſt conſecratum.

Ita Valete & Vivite, Viri illuſtres, in publica commoda, litterarum decus, Artis medicæ gloriam & ægrotorum ſalutem, quam diutiſſime, quam jucundiſſime, mihique Veſtrarum virtutum veſtrorumque meritorum ſtudioſiſſimo cultori & religioſiſſimo admiratori, favere, ut hactenus probe feciſtis, pergite! & licet fatorum iniquitate, Oceano diſſociabili disjuncti, atque longiſſimis intervallis ſeparati, vivere cogamur; id tamen quæſo, cum Cicerone agamus, ſi lubet, ut ſi eſſe una minus poſſimus, ac quidem vellemus; animorum tamen conjunctione, iisdemque ſtudiis ita fruamur, ut nunquam non una eſſe videamur.

LE-

LECTORI
ÆQUO ET HUMANO
S.

OTii noſtri quondam jucunde peracti rationem Tibi hic reddimus Benevole Lector, ex ſapientiſſimo ſcilicet M. Catonis præcepto, qui otii non minus, quam negotii, rationem extare oportere approbante Cicerone, recte cenſebat.

Nempe, ut ſi occupati profuiſſemus civibus noſtris, prodeſſemus etiam, ſi poſſemus, otioſi, ut cum eodem Romanæ eloquentiæ principe loquamur.

Vides hic Obſervationes criticas & ſubitarias quaſdam conjecturas de quibuſdam Græcorum & Latinorum Auctorum Locis, nunc obſcuris, nunc ſuſpectis, nunc denique aperte depravatis & corruptis, quas diverſa Lectione quæſitas ſtilo hic commiſimus & in ordinem digeſſimus.

Ruri hæ natæ ſunt, & rus forte etiam olent; Sed Tuo arbitrio æquo & ſplendido rem omnem lubenter ſubmittimus.

Mihi hæc ſcribenti qualiacunque Conſilium fuit potiſſimum, animum oblectare meum; deinde & Tuum.

Quod ſi forſan effectum fuerit, gaudebimus merito; ſin minus; ex noſtra tamen parte contenti

etimus, quod in ſuaviſſimo otio ſic ludere, ſeveṙioraque medicinæ Artis ſtudia læta hac litterarum dulcedine diſpungere, & condire quaſi, licuit.

Neque enim, crede nobis ingenuę faſſis, laureolam in hoc muſtaceo temere quærimus, aut æquari conferrique arroganter cupimus cum Turnebis, Victoriis, Scaligeris, Salmaſiis, Reineſiis, Lipſiis, Muretis, Leopardis, Caſaubonis, Meurſiis, Palmeriis, Rutgerſiis, Heinſiis, Fabris, Gronoviis, Boſiis, Gevartiis, aliiſque pluribus in Theſauro Critico Gruteriano obviis maximis Viris, qui quondam in his elegantioribus litteris principatum ſuo merito tenuerunt.

Hoc ſane nec affectare nec ſperare auſi ſumus unquam, qui nos noſtro modulo ac pede metiri probe novimus, nec velifera carina tumidum mare findimus, ſed ſub exiguo potius flumine trepide moramur, quia turpe omnino eſt, pondus capiti committere, quod ferre nequeat, ut acute quondam Propertius.

Mos autem Varias Lectiones ſcribendi ſuperioribus quidem ſæculis laudem merebatur maximam; ſed noſtris his temporibus, quibus ad lautas ejuſmodi delicias palatum fere omne exſurdatum eſt, vix veniam, credo, impetrabit. Inprimis quum hæc noſtra nec ingenii ſunt capacia, quod alioquin nobis perquam mediocre erat, nec admittunt exceſſus aut orationes, ſermoneſve, aut caſus mirabiles, vel eventus varios, non alia jucunda dictu, aut legentibus blanda, ut Plinius loquitur.

Minima hæc quidem videntur ſuperciliofis Cenſoribus; & ſunt fere non nego plane, talia, ſi nempe ſola omnem hominis vitam occupant, nec ad majora, ſolidiora & utiliora faciliorem aditum parant,

rant, nec in publica commoda convertuntur. Non poſſunt tamen ſine his minimis bene conſtare maxima, & ex judicii conſuetudine in rebus minutis adhibita, pendet ſæpiſſime etiam in maximis vera atque accurata ſcientia, ut vere cenſet acutiſſimus Clarkius.

Virtutem quidem atque pragmaticam eruditionem dare non poſſunt hæc ſtudia; animum tamen ad accipiendam & exercendam utramque præparant & expediunt, ejusque ſeminis generisque ſunt, ex quo facile adoleſcunt aut ingenia hominum vegetiora, aut memoria adminiculatior, aut oratio ſolertior, aut ſermo incorruptior, aut delectantior in otio, aut in ludo liberalior, uti ſapienter olim monebant Seneca & Gellius.

Sui enim contemtum & neglectum humaniores litteræ per omnem vitæ decurſum, dignitatem & ſtudiorum graviorum genera omnia ſatis acerbe & vehementer vindicant, quod multis probari hic poſſet exemplis, niſi invidioſum nimis & periculoſum eſſet. Quum igitur e parvis componantur magna, neceſſe eſt, ut quibus iſta ſtudia & *ἀκριβολογήματα* ſordent, ii parvis ſuo ipſorum judicio contemnendis, aditum ſibi obſtruant rerum maximarum, ut graviter & ſapienter olim pronunciabat magnus Vir Ludovicus Vives.

Interim tamen non deſunt adhuc Bentleji, Burmanni, Drackenborchii, Duckeri, Gronovii, Daviſii, Weſſelingii, Albertii, Marklandi, Arnaldi, Horrei, aliique Viri præſtantiſſimi, quibus hoc genus ſcripturæ non leve, nec indignum ſua induſtria & cultura viſum fuit, nec doctiſſimis ſuis ſcriptis illuſtrare & amplificare diſplicuit.

Hos equidem ſequutus ſum in hoc meo Libello,

uti,

utinam & eſſem aſſequutus ! ſed ſummum culmen affectantes ſatis honeſte vel in ſecundo, immo & tertio vel quarto faſtigio conſpiciemur, ut cum Columella loquamur.

Omnia autem hic propoſita noſtra eſſe ſcias, nec ex alieno fundo aut fonte huc tranſlata. Interim tamen facile fieri potuit, quod in ejuſmodi conjecturis ſæpenumero contingere ſolet, ut & alii nobiſcum in eaſdem inciderint cogitationes, quorum tamen ſcripta nec evolvere libuit, nec licuit: quoniam ruri hæc ſcribentes, uti ſupra monitum, juſta Bibliotheca eramus deſtituti, ut non ſemel in Emendationibus Heſychianis nobis accidit, ſicut poſtea animadvertimus, Muſis noſtris Libriſque redditi, partim gaudentes, partim & nonnihil dolentes.

Nullis vero alienis aut clam ſurreptis mercimoniis noſtras tabernulas inſtruximus; quin potius ſuum cuique ingenue reddentes, Auctorum Nomina ſemper religioſa fide laudavimus, qui nobis ad indagandum verum iter monſtraverant, aut alio modo profuerant: Quoniam judice Plinio, obnoxii profecto eſt animi & infelicis ingenii, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, quum præſertim ſors fiat ex uſura, & benignum plenumque ingenui pudoris ſit, fateri candide, per quos profeceris. Immo multa adeo atroci ſtilo expunximus, quæ abſque Libris, a nobis ingenio primum reperta, poſtea in aliorum ſcriptis, aliud quærendo, forte fortuna inſciis nobis, oblata eſſent.

Nimirum levis nobis omnino videbatur tam parabilis annonæ jactura; nec ſane erat, quod alienis plumis impudenter exornati, in publicum prodiremus; quum ipſis domi nobis eſſet aliquid, quod

quod expromere tuto liceret, ſi non plane eximium & omnibus numeris abſolutum; attamen noſtrum, & ſtudioſis, ut ſpes eſt, aliquo modo profuturum.

Sed factum interea eſt, dum moram ex mora traheremus, partumque hunc ceu deformem & minus vitalem, forte nimis crudeliter, abjiceremus, ut ſplendida nova Livii Editio Drakenborchiana, aliaque, de quibus ceu nondum editis, in ipſo noſtro opùſculo paſſim ſpem feceramus, in dias luminis oras prodirent: Quæ tamen una cum Miſcellaneis Criticis in Belgio ante aliquot annos excudi cœptis, aliisque id genus ſcriptis philologicis & Criticis, nec vidimus, nec videre adhuc voluimus, ne quis nos aliena ſcrinia irreverenter & temere compilaſſe calumniaretur.

Nihil enim per hos integros tres, & quod excurrit, annos, ex quo perfecta, ſed & neglecta, penes nos, alia graviora curantes negotia, jacuit hæc Opella Critica, in ipſis quidem rebus immutatum fuit: ſed quædam tantum ab ſubſiciva Veterum Auctorum Lectione nobis interea ſuggeſta, inſerta paſſim & ad uberiorem lucem hinc inde affundendam, adjecta ſunt, quod Lector ipſe facile, credo, obſervabit.

Ceterum in refellendis aliorum doctorum Virorum ſententiis, libertate uſi ſumus Eruditis ſive jamdudum conceſſa, ſive uſurpata, atque temporis tractu nunc demum præſcripta, ut Juris-Conſulti loquuntur, nihil enim in his rebus, quæ ſolis conjecturis & meris opinationibus nituntur, ſolidum plane, certum atque ſtabile deprehenditur.

Ita tamen ubique verſati ſumus, ut ab omni verborum vilitate & nigræ loliginis ſucco abſtinen-

tes,

tes, modeſtiæ & verecundiæ limites nunquam tranſgrederemur, atque ſic alicubi errantes, eo faciliorem ad veniam regreſſum ipſi haberemus: Probe gnari, nec de ſalute Græciæ, fortuna Priami, capiendo Jugurtha, aut delenda perfida Carthagine, nec de opima Attali hæreditate occupanda, aut Paulli Macedonici triumphali curru, aliisque hujusmodi maximi momenti rebus; ſed de meris potius ſyllabis, voculis, ſuſpicionibus & hariolationibus, immo inſomniis ſæpius tractari: litemque frequentiſſime moveri acerrimam, non de vi, neque cæde, nec veneno; ſed de tribus tantum capellis, ut Martialis facete jocatur; immo, quod addo ego, de tribus ſæpe capillis, quin totidem apicibus, punctulis & virgulis.

Nempe exempli gratia, an quædam diphthongi ante conſonantem corripi poſſint, ſalva conſcientia ſcilicet? an Græci habeant Ablativum Caſum? quæ ſit propria vis verbi Cerno? Utrum promtus, ſcribendum ſit, an promptus? ſumſi, an ſumpſi? Lethum, an Letum? Nummus, an Numus? Pulcher, an pulcer? Heres, an Hæres? Hic, an Heic? Illuſtris, an Inluſtris? Hordeum, an Ordeum? Idcirco, an Iccirco? Cum, an Quum? ut alia infinita jam taceam, ab Aldo, Dauſquejo, Cellario & aliis, multa magnaque contentione diſputata: porro, quid ſignificet proprie vox ἐντελέχεια? quale Metrum ſit Veterum Comicorum? item, quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter Virgines? quid Sirenes cantare ſint ſolitæ? ut eſt apud Suetonium: quot Niobæ filii perierint? quis primus Grammaticus fuerit? quo genere clauſtri Telemachum incluſerit Euryclia? cur idem Telemachus junctim ſibi cubantem Piſiſtratum non manu attigerit; ſed pedis

dis ictu excitarit? ut legitur apud Gellium. Pariter, quæ Anchiſæ nutrix? quæ patria & quod nomen novercæ Anchemori fuerit? quod Aceſtes vixerit annos? & quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas, ut lepide jocatur Juvenalis. Denique prior ſcripta ſit Ilias, an Odyſſea? quem numerum remigum habuerit Vlyſſes? quis primus in triumpho duxerit elephantos? quis primus Romanis navem conſcendere perſuaſerit? & ſimilia plura apud Senecam. Sic quis hodie ſciret, calceos pulvere & luto fieri ſordidos, niſi illud adductis opportune Martialis & Plauti locis, valide probaſſet magnus cetera Salmaſius, ad Tertulliani pallium, ubi &, ſit honos naribus, de ſudore pedum erudite tractat: & quis quæſo bene jam intelligere poſſet, quomodo olim ſcelerati ſervi virgis cæſi fuiſſent, niſi nudatas nates nobis in Veteri marmore magnifice exhibuiſſet doctiſſimus alias Pricæus, ad Apuleji Apologiam. Sic an Græci Romanive Chirothecarum uſum habuerint? operoſe diſquirit ad Athenæum, maximus Vir, Caſaubonus. Quid, quod ipſe novi, qui plurimum olei operæque per meliorem vitæ partem, inſumerent, ut nobiliſſima ſane argumenta de baculis, laternis, ſtapiis atque ſellis Veterum, in publica commoda ſcilicet, ſcite illuſtrarent; immo fuit, quod præfata prius venia, dictum ſit, qui de herniis Veterum Phonaſcorum perquam doctum & elegantem commentarium meditaretur. Sed turpe profecto eſt, difficiles habere nugas, & diſputatiunculis inanibus ſubtilitatem vaniſſimam agitare, ut ſapienter pronunciat Seneca.

Hæc, aut his paria, immo & quandoque inferiora & jejuniora, plerumque ſunt ardua illa & capitalia argumenta, atque ſaluti Reipublicæ plurimum

mum profutura negotia, circa quæ occupantur, æſtuant & inter ſeſe digladiantur magna illa Mundi cymbala & publicæ famæ tympana, ut Plinius quondam acute dicebat; tantumque ſibi plaudunt ac magnifice placent, atque de ejusmodi affaniis, tricis & apinis adeo ſerio triumphant, ut ſua tam pulchre reperta ne permutarent quidem Picorum divitiis, qui aureos montes colunt, ut ipſe de ſe ſatis ridicule pronunciat Janus Gruterus, in Notis ad Vellejum Paterculum. Sed nolo hic Satyram ſcribere; quamvis difficillimum profecto ſit, Satyram hic non ſcribere. Nam quis iniquæ tam patiens plebis (criticæ) tam ferreus, ut teneat ſe? liceat cum Satyrico jure ſic exclamare.

Peſſime enim odi, abominor & deteſtor Eruditos illos, ſi nomine quidem tam honorifico digni ſint, qui Veteres Auctores emendant; ſe autem ipſos inemendatos relinquunt; qui vitia alieni Codicis ſanant; & vitia ſui Cordis non curant, qui humaniora ſtudia colunt; & ipſam contra humanitatem penitus exuunt, dum pro Syllabis, tanquam pro Sibyllis, inſanum in modum deprœliantur, & de voculis, quaſi pro focis & aris, gladiatorio mucrone belligerant, ſeſeque invicem rabidæ Cadmeæ gentis, aut ſemiferorum Lapitharum ad inſtar, acerbiſſimis conviciis proſcindunt; quæ viliſſimos ſcurras & vulgi fæcem ex ſumma cavea potius decebant; quam Viros graves, eruditos, & bonis ac manſuetioribus litteris imbutos.

Aurea igitur prorſus hanc in rem magni Juſti Lipſii ſunt Verba, non ad Tacitum ſolum; ſed & hic legi perquam digna: " Revera autem (ita inquit,) quantula hæc ſunt, de quibus litigamus? Litteræ, Syllabæ, Voculæ. Ridere mihi lubet, cum

cum Virorum gravium & grandium Velitationes, immo pugnas video in his nugis, & metuo, ut excitent me ad alteram Satyram.

Nunc cum Ariſtophane ſatis mihi inclamaſſe:

——— λοιδορεῖσθαι ὐ πρέπει
"Ανδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπωλίδας."

Quibus, par eſt, graviſſima maximi Virorum, Joſephi Scaligeri, accedat hic auctoritas, licet ipſe, quod vehementer dolendum, videat probetque ſemper meliora; deteriora tamen ſæpe ſequatur. Sed en ipſa ejus verba, ex Delphica quaſi Phœbi cortina prolata:" Illiberale, illiberale inquam, eſt facinus, propter neſcio quas, verborum quiſquilias, aut propter errorem aliquem, qui humanitus contigerit, tantorum hominum eruditionem, atque adeo totum nomen & famam in periculum vocare. Hoc ſolent facere ſtolide arguti homunciones, qui in hujusmodi ἀκανθολογίαις totam ætatem contriverunt; divinæ autem ſapientiæ myſteria ignorant." Hactenus quidem ille ſapientiſſime & veriſſime. Sed plura his addere jam non licet, niſi hoc unum Claudiani Belgici, Caſparis inquam Barlæi,

Cedite Grammatici, magno quibus ilia faſtu
Inconſulta tument, delapſaque littera ſede
Sufficit ad bellum, vel iniquum comma minaces
Exacuit calamos, & tanti ſcena paratur
Nominis.

Hinc tollite, inquam,

——— *tollite barbarum*
Morem, verecundumque Phœbum
Sanguineis prohibete rixis.

Sed nolo hic vetera ulcera Vallæ, Poggii, Politia-

ni, Salmaſii, Scioppii, Gruteri, Scaligerorum, Barthii, Reineſii, Petavii, Mareſii & aliorum refricare, qui omnes longe majorem ab eruditione, quam ab humanitate & modeſtia, famam ſunt conſequuti, dum ob animi impotentiam, in adverſarios debacharentur, & conviciorum plauſtra effunderent, virusque ſuum in obvium quemvis ullo modo ab ipſis diſſentientem, evomerent.

Utinam vero ſæculum hoc noſtrum expolitius alias & elegantius, a fœdiſſima hac Eruditorum labe magis immune eſſet! ſed nec exempla ejusmodi græcorum & latinorum, immo & hebræorum & germanorum Ruſticorum & efferatorum Andabatarum, nos proh dolor! deficiunt: qui haud doctis dictis certantes, ſed maledictis, Miſcent inter ſeſe inimicitias, ut Ennius ait apud Gellium, & ad contumelias omnium ingeniis inurendas nati quaſi fictique videntur: quæ tamen premere ſatius eſt, quam promere, quia irritabile valde eſſe conſuevit Criticorum genus, quod ſemel ira accenſum, poſtea inexorabile & implacabile prorſus eſt, venenumque potius paratum ſemper habet, quam Veniam; gaudetque viam feciſſe ruina, ut belle poeta canit.

Sed moros hos Eruditorum mores & deteſtandum cacoëthes acri lixivio & mordaci aceto, pro merito jam probe defricuerunt juſtus Lipſius & Petrus Cunæus, in lepidiſſimis Satyris, & ingenioſiſſimus Menckenius, heu quondam noſter! una cum Stadelio, Lilienthalio, perſonato illo Mathanaſio, & aliis, in facetiſſimis Declamationibus contra ridiculam Doctorum Hiſtrioniam, ut taceam jam ipſum Eraſmum Roterodamum, Agrippam, Boccalinum, Binæum, Naudæum, Baylium, Heinraria,

ſium, Gravinam, aliosque plures ex Hiſtoria litteraria, putem, notiſſimos: inprimis autem Jo. Clericum, V. C. qui rem ſerio, & ex gravitate Philoſopho & Theologo juxta digna tractavit, in Silvis philologicis, mox ab initio, cum cura omnino legendis & relegendis.

Verum nondum omnis exolevit virtus, nec cum Aſtræa terras reliquit tota Humanitas. Fuerunt enim & ſunt etiamnum Viri Clariſſimi, qui pari ſolertia & religione bonos mores & bonas litteras una excoluerunt.

Etenim cui quæſo paullo humaniori ignotus eſt Philippus Melanchton, Vir doctiſſimus ſimulque mitiſſimus? Juſtus Lipſius, Hugo Grotius, Jo. Frid. Gronovius, Gerard. Jo. Voſſius, Jo. Georg. Grævius, Jac. Palmerius, Gisb. Cuperus, Ezech. Spanhemius, Jan. Rutgerſius, Iſ. Caſaubonus, Jac. Sirmondus, Jo. Meurſius, Sam. Bochartus, Steph. le Moyne, Steph. Morinus, Sarravius, Lamb. Bos, Olearius, Hudſonus, Lockius, Jac. Thomaſius, Jo. Schefferus, Morhofius, Buchnerus, Bœclerus, Cellarius, Jo. Alb. Fabricius, Buddeus, Wolfius, Leibnitius, & adhuc Weſſelingius, Marklandus, Heineccius, Geſnerus, aliique pauci, rari quippe boni, & inprimis incomparabilis Moshemius, nec non Celeberrimus Schœpflinus, Argentoratenſis Academiæ prima gloria, Amicus noſter Vetus & Verus, noſtro præconio major, qui omnes magni quidem ab eruditione conſummata, majores tamen ab humanitate, manſuetudine & morum elegantia.

A quibus hic nefas, immo ſcelus omnino ſit, ſejungere graviſſimum & ſanctiſſimum Senem, Bernardum Montefalconium, perquam ingentibus & fere inenarrabilibus in rem publicam litterariam me-

)( )(2 ritis,

ritis, & innumeris propemodum ſtupendæ doctrinæ, induſtriæ atque molis Operibus editis toto orbe celeberrimum, Virum doctiſſimis doctiorem & humaniſſimis humaniorem, uti ex præſtantiſſimis ejus ſcriptis nullo nigro ſale conſperſis, nec ſanguine viperino tinctis, ubivis clariſſime patet: qui, quum ante hos octo annos, Lutetiæ ipſum ſæpius ſalutandi & compellandi facta mihi fuiſſet copia, aliquando in familiari ſermone teterrimum hunc eruditorum conviciandi morbum ex animo vehementer deteſtatus, tandem ſic peroravit: Nemo, crede mihi, nemo profecto, veri & laudabilis Eruditi nomen meretur, aut tantam dignitatem tueri ſatis commode & ſatis ſplendide poteſt, niſi ante omnia ſit ingenio mitis, moribus quietus, ingenuique Candoris & generoſæ ſimplicitatis ſtudioſus, verbo, niſi ſit Vir hôneſtus & bene moratus. Verba profecto adytis digna & omnium Eruditorum muſeis aureis litteris majuſculis, immo uncialibus plane, inſcribenda, ſed & ſæpe legenda & ſæpius in ſuccum & ſanguinem quaſi convertenda.

Quibus ſapientiſſime dictis, provocabat ſimul ad Gellium per Noctes ſuas in clariſſimam lucem & celebritatem emerſum, cujus & hic verba legi merentur e Lib. XIII, cap. 16." Humanitatem appellaverunt id propemodum Veteres, quod Græci παιδείαν vocant; nos eruditionem inſtitutionemque in bonas artes dicimus: quas qui ſinceriter cupiunt appetuntque, hi ſunt vel maxime humaniſſimi. Hujus enim ſcientiæ cura & diſciplina ex univerſis animantibus uni homini data eſt; idcircoque humanitas appellata eſt." Quam laudatiſſimam ſententiam nec laudare oblitus fuit in ſilvis ſuis diligentiſſimus quondam Joannes Clericus. Quod enim

enim ſigillatim a perfecto Oratore requirit Quinctilianus, ut ſcilicet ſit Vir bonus & humanus; id generatim quoque ab omnibus Eruditis ſummo jure requiri debet, ut ſcilicet ſint Viri boni & placido ingenio, commodisque moribus ornati & expoliti.

Hæc ſedulo, quæſo, ſecum perpendant, ſimulque erubeſcant & reſipiſcant omnes illi, qui pulcherrimum litterarum ornatum turpibus moribus Cœno pejus collinunt, & dum humaniora ſtudia induunt, humanitatem contra, Pudorem & Candorem peſſimo exemplo, exuunt, atque in pergula ſua umbratica concluſi, bonam mentem & officia Chriſtiani & Philoſophi ejurant, vocumque numellis, Caſſibus Sophiſmatum, maledica lingua & fœda oblatrandi libidine omnibus probis & cordatis viris ſunt moleſti, exoſi atque abominabiles.

Melius enim alias profecto erat, bonas litteras plane non addidiciſſe, quam ita præpoſtere didiciſſe, ut ad virtutem doctoribus nihil prorſus prodeſſent, ut ſapienter monet apud Salluſtium Marius. Immo, ut gravius adhuc intonat Fabius, mutos naſci & egere omni ratione, ſatius fuiſſet, quam providentiæ munera in mutuam perniciem, invidiam, contumeliam & conviciandi rabiem convertere.

Nam Eruditio, quæ nec ingenium emollit, nec mores emendat, nec virtutem & honeſtatem docet, inſania & peſtis potius eſt, quam eruditio vera & ſolida.

Quoniam non diſcimus, ut bene ſciamus; ſed ut bene agamus, non, inquam, ut pure & ornate ſcribamus; ſed ut pure & ornate vivamus, nec denique, ut aliena Veterum Vitia indagemus & corrigamus; ſed ut propria mentis potius notemus &

eradicemus. Mores ante omnia, mores inquam, ſtudiis ſunt excolendi, atque omnis honeſti juſtique diſciplina pertractanda, ſine qua nemo nec Vir bonus eſſe, nec eruditus, & nec dicendi peritus poteſt, ut recte monet & latius pertractat Fabius, integro Libro, item & Cicero, Seneca, & alii plures; e Græcis autem Plato, Plutarchus, Xenophon, Maximus Tyrius, cum aliis multis, quos tacite hic prætetimus.

Is enim vere magnus vereque eruditus vocari meretur, cujus manſuetudinem potentiſſimi affectus Ira atque gloria quatere non poſſunt, ut apud Valerium Maximum legitur: & qui modo cum Muſis, id eſt cum humanitate & cum doctrina aliquod habet commercium, in id potiſſimum ſedulo incumbit, ut ipſa ſe mens vitiis exutam cognoſcat, conjunctamque cum divina mente ſe ſentiat, ex quo inſatiabili gaudio compleatur, ut pulchre alicubi monet Tullius.

Hoc dictum ſit illis inprimis male feriatis & effetatis hominibus, Criticaſtris Alpinis, ac elementariis Petauriſtariis, qui & propter has nænias vel noſtrum forſan nomen allatraturi & mordaci dente, ſæculi corrupti more, adpetituri ſint. Nihil illi alienæ laudis lividi obtrectatores aliud a nobis reſponſi ferent, præterquam modeſtum ſilentium & generoſum contemtum, quia judice Tacito, convicia ſpreta exoleſcunt; ſi vero iraſcare, agnita videntur, contemtuque vel ſilentio ſæpe magnæ vincuntur ac vindicantur injuriæ, quæ ventilatæ gliſcunt periculoſius, ut ſapienter quondam ad Reineſium ſcribebat Daumius.

Interea tamen liceat mihi pace mi Lector, Tua, adſcribere hæc aurea prorſus verba eruditiſſimi quondam Medici, Olai Borrichii, ex quadam ad Cel.

Cellarium Epiſtola, quia in rem meam, defenſionem & excuſationem facere vel maxime videntur, & hactenus dicta inſuper egregie illuſtrant & confirmant.

" Humaniora, ita inquit ille, appellantur hæc ſtudia noſtra, quæ inter alia ſeveriora colimus; & humanitatis officia depoſcunt: a quibus nimium quantum abeunt oſtentatores quidam, qui leviſſimis de cauſſis ita in ſcriptis ſuis ampullantur, ac ſi cum Carolo Martello adverſus Mauros ingentem ſibi pugnando gloriam peperiſſent. Ego vero, qui jam diu experior, non unius eſſe hominis, omnia pervidere; tantum mihi neutiquam ſumo, ut contendam mea, præſertim in argumento tam lubrico, extra omnem erroris aleam ſemper poſita eſſe, cum Homerus ſubinde dormitaverit; quid ni ego, quem ſæpe ægrorum quiritatio ne quidem patitur dormire. " Hæc nempe Borrichius veriſſime & latiniſſime.

Tanti enim hæ noſtræ conjecturæ profecto nobis non videntur, propter quas bonas horas nobis ab officio relictas male perdamus, & in deteſtationem proborum & candidorum virorum, ridiculam *βατραχομυομαχίαν* exordiamur. Indulgeant illi vitilitigatores, qui, ut pulchre ait Plinius, obtrectatione alienæ ſcientiæ famam aucupantur, ſive potius infamiam, malo ſuo genio, quantum libet, ſibique dum vivant, ignominiam contrahant; famæ autem poſthumæ, ſi qua ipſos maneat, indelebilem prorſus maculam inurant.

" Sed ſciant illi, ut Clerici verba mea hic faciam, me ab inſtitutis ſtudiis propterea averſum non iri, & quo acerbiora ſcribent, eo minus reſponſi a me laturos. Satis ſuperque erit occaſionis,

quibus me & mea aliud agendo tueat, ubi neceſſe erit. Dabo operam, ut illi intelligant, me egregios Scriptores, non propter Græcam, aut Latinam Linguam, vel elegantiam tantum ſtili legiſſe, ut multi faciunt; ſed potiſſimum, ut recte ab iis dicta in vitæ ipſius uſum convertam; quod ni fiat, præſtaret omnia illa ſcripta nunquam legiſſe." &c. Reliqua apud ipſum legantur.

"Quod ſi igitur quidam in me forſan inſurrecturi ſint, errores, quibus æque obnoxius ſum, ac illi ipſi, & quos in hoc opere ſerere in proclivi fuit, indicent, accuſent, caſtigent, velim; non detrecto communem illam ſcribentium ſortem, librari, penſari, exigi, non movebor: Ceterum ſtili acerbitate & maledicentia abſtineant, & hanc litterarum, quibus & ego & illi litamus, amœnitatem non trahant in arenam; alia enim ſtudioſorum, quam in ludo gladiatorio retiariorum Vita eſt:" ita graviſſime quondam monebat Reineſius, & nos jam poſt ipſum omnes ac ſingulos adhortamur in ſimili fere diſcrimine conſtituti.

Nos certe aliud vitæ ſectamur iter, & probi eſſe malumus, quam eruditi, modeſtique potius litteratoris famam aucupamur, quam moleſti latratoris infamiam. Nec per ſcelera & convicia viam ad gloriam affectamus; ſed per blandos potius mores & ingenuum candorem, quæ unica ad veram laudem patet nimirum ſemita. Magno enim impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtia laudatio hæc conſtat: O hominem litteratum! ſimus hoc potius titulo ruſticiore contenti: O virum bonum! è ſapientiſſimo Senecæ præcepto.

Sed ſatis jam de his, immo plus quam ſatis! Ne cum larvis & lemuribus in anteceſſum quaſi luctari

&

& auras incaſſum diverberare non nemini videamur, aut culpam maluiſſe deprecari, quam culpa vacare, dicamur, quanto longe eſſet facilius non committere, quod excuſationis indigeret, quam quod venia opus haberet; & priusquam facerem, peterem, uti ignoſceretur, ut lepide quondam jocabatur M. Cato apud Macrobium.

Neſcimus enim; fatemur ingenue, quo calore abrepti, & juſta indignatione reique dignitate permoti & agitati; multo longius provecti fuerimus, quam animo quidem noſtro prius deſtinaſſemus, adeo ut pro præfatione, quam ſcribere animus erat, nunc Libellus fere exierit, eruditis quidem Timonibus & Vatiniis; perquam ingratus ſat ſcio, moleſtus & ad ſtomachum ciendum idoneus; humanitatis tamen & boni moris ſtudioſis perquam acceptus contra & fructuoſus futurus. Verum ſtultitia eſt perituræ parcere chartæ, inprimis, ubi uſus aliquis atque fructus ex ipſo ſcriptionis argumento ſperari & expectari poſſit; quod hic factum aliqua fiducia inducti, credimus. Ut enim dicta hæc noſtra eo majorem fidem invenirent & aculeum relinquerent in haud degeneribus Legentium animis, ea ſelectis præſtantiſſimorum Auctorum locis, ceu opere quodam teſſelato, aut emblemate vermiculato, paſſim exornavimus & magis corroboravimus.

Quod hic monere par eſt, ne quis inficetus & aſper Hypercriticus Alpinus miſerum nos centonem conſarcinaſſe, disjecta veterum ſcriptorum membra male coagmentaſſe, atque ſic opuſculum de inconnexis continuum & de diverſis unum feciſſe, calumnietur.

Tu autem Lector Benevole, ad quem nunc demum revertor; teneros hos & præmaturos otii no-

ſtri fœtus tolle & recognoſce, ſi placet, quos, fatemur enim, nec labor excudit, nec cura limavit, ſine ingenii acumine & moræ maturitate, ut Auſonius ait. Et ubi ad ſcopum forte collineavimus, plauſum da & fave; ubi vero erravimus, quod crebro paſſim accidiſſe & credimus, & quia homines ſumus, probe ſcimus, condona nobis, non ſtudio aut conſilio; ſed neceſſitate, humana fragilitate & ingenii hebetatione, atque torpedine, in errorem invite delapſis, idque eo magis, quod homines ſimus officiis aliis occupati, ſubſicivisque tantum temporibus hæc amœniora ſtudia curemus, id eſt, ab aliis gravioribus negotiis nobis relictis, ut cum Plinio ita loqui liceat.

Sæpiſſime enim adeo deformes erant maculæ, ut illis plene eluendis nulla ſatis commoda medicina adhiberi poſſe videretur, unde multa incondita, cruda & immatura memet paſſim effudiſſe, non obſtinate inficior; quin dolens potius confiteor, & facilem hinc veniam me ab elegantioribus & mitioribus lectoribus impetraturum confido. Inprimis quum teſte magno Auctore, late fuſum hoc ſit Criticum ſtudium, & multiplex, & prope quotidie novum, & de quo nunquam dicta erunt omnia. Alius enim alio plura invenire poteſt: nemo omnia

Habes itaque mi Lector, (ut cum Fabio Quinctiliano finire hic liceat,) quibus manſuetiores litteræ pro virili parte adjuvari poſſe per nos videbantur; quorum cognitio ſtudioſis juvenibus ſi non magnam utilitatem afferet, at certe, quod magis petimus, bonam voluntatem. Nunc Vale, nobisque fave!

SUMMÆ

SVMMAE CAPITVM LIBRI PRIMI OBSERVATIONVM CRITICARVM

Caput I.

Locus obſcuriſſimus & depravatus in Flav. Vopisci Aureliano emendatus. *Tumor* probis Auctoribus idem ac Ira & Indignatio. *Intumeſcere* & *turgeſcere* idem, ac Iraſci. *Tumor* & *Timor*, in antiquis Libris ſæpius confuſa. Οἰδαίνειν, *intumeſcere*, de Ira. Hesychius *emendatus*. pag. 1.

Caput II.

Scholiaſtes Lycophronis, *Iſ.* Tzetzes, loco aliquo *emendatur*. Duplex magni *Sam.* Bocharti conjectura, altera probatur, de altera dubitatum. Ἀκρωρείτης & Ἀκρώρεια quid? p. 5.

Caput III.

Vox corrupta in *Sexta* Juliani Imp. *Oratione* reſtituta. *Thom.* Reinesii conjectura rejecta. Παντορέκτης apud Anacreontem quid? Hesychius *tentatus.* p. 6.

Caput

CAPUT IV.

Vexatiſſimus SENEÇÆ PHILOSOPHI locus expenſus & ex conjectura probabili emendatus, pag. 7.

CAPUT V.

Conjectura de loco quodam DIONYSIACORUM NONNI, conjecturæ BOCHARTI oppoſita, ubi ſimul obiter oſtenditur, fruſtra forte de Loci illius integritate dubitari. 9.

CAPUT VI.

Æl. LAMPRIDIUS uno Loco emendatur; altero vero illuſtratur ex HOMERO & aliis. 11.

CAPUT VII.

PAUSANIAS tribus Locis emendatur, rejecta Cl. *Joach.* KÜHNII conjectura, utpote fundamento deſtituta. 13.

CAPUT VIII.

CORNELIUS TACITUS duobus Locis *emendatus*. 16.

CAPUT IX.

Antonino LIBERALI loco aliquo facilior Medicina facta, ac quidem per *Thom.* MUNKERUM, cujus emendatio merito repudiata. ARISTÆNETUS emendatus. 17.

CAPUT X.

TITUS LIVIUS aliquot Locis reſtitutus: à *Jo.* CLERICO & *Jo. Fr.* GRONOVIO ſæpius modeſte diſceſſum. 19.

CAPUT XI.

DIOGENI LAËRTIO vetus Lectio aſſerta, contra

contra *Iſ.* CASAUBONUM & *Ægid.* MENAGIUM: Confirmatur ex HORATIO. THESPIS Tragœdias ſuas *plauſtris olim vexit.* Τὸ Ἄγειν Græcis & VEHERE eſt & *Canere*, auctoritate HESYCHII. pag. 23.

CAPUT XII.

FLORUS aliquot Locis aut emendatus, aut tentatus. 24.

CAPUT XIII.

MENANDRI COMICI *Fragmentum* quoddam apud ATHENÆUM, tentatur. Emendatio *Iſ.* CASAUBONI laudata; PHILELEVTHERI contra *Lipſienſis* audacior conjectura improbata. 28.

CAPUT XIV.

APULEJI *Apologia* bis emendata: *Jo.* PRICÆI conjecturæ partim laudatæ, partim rejectæ: BRANTII autem emendatio probata & confirmata. 29.

CAPUT XV.

AELIANUS in *Variis Hiſtoriis* bis emendatus: Cl. PERIZONII conjectura improbata. Βάζειν, ἐμπάζειν, πατρίζειν & πατρώζειν, quid? ARISTÆNETUS tentatus. 32.

CAPUT XVI.

ISIDORI HISPAL. *Gloſſæ* Loco aliquo inſigni emendatæ & explicatæ, contra *Th.* REINESII & *Jo.* BODINI ſententiam. Θράσος, *Dæmon* apud HESYCH. *Daſius* ſive *Daſius Dæmon* quid? *Silveſtres* quidam *Dæmones* proprie *piloſi* & *hirſuti* dicti apud Hebræos & Græcos. &c. 34.

CAPUT

CAPUT XVII.

HESYCHII *Lexicon* percurritur, & aliquot Locis emendatur. pag. 37.

CAPUT XVIII.

JUSTINUS uno Loco tentatus: *Velare* & *Convelare*, pro fucum facere, turpitudinem diſſimulare, Colorem inducere & ſimilibus. 43.

CAPUT XIX.

DIOGENES LAËRTIUS Locis *duobus* emendatus: *Ægid.* MENAGII conjectura laudata; altera vero KÜHNII improbata. 45.

CAPUT XX.

Quint. CURTIUS ſemel tentatus: *Val.* ACIDALII Emendatio Conjecturæ Gronovianæ jure prælata. *Funus* pro homine morituro, aut morti deſtinato. *Vultus riguus* aut *irriguus*, Græcis βρεχόμενος, aut δακρυχόος, quid? 47.

CAPUT XXI.

Michaël APOSTOLIUS ex LUCIANO emendatus, rejectis doctiſſimi PANTINI & noſtris conjecturis. 51.

CAPUT XXII.

LUCANUS in *pharſalia*, ter emendatus. 53.

CAPUT XXIII.

GALENI Locus emendatus, neglecta *Caſp.* HOFMANNI conjectura. 55.

CAPUT XXIV.

Cornel. TACITI Locus quidam depravatiſſimus

ſimus tentatus: *Juſt.* LIPSII conjectura laudata. pag. 57.

CAPUT XXV.

DIONYSIUS LONGINUS bis emendatus, relictis Aliorum ſuſpicionibus: BOIVINIUS, BARTHOLINUS & *Iſ.* VOSSIUS merito laudati. 58.

CAPUT XXVI.

SENECA PHILOSOPHUS bis emendatus, aliorum clarorum Virorum conjecturis inſuper habitis. 61.

CAPUT XXVII.

Corruptiſſimus & hactenus tantum non immedicabilis Eruditis viſus CICERONIS *Locus* partim *MSti Codicis* auctoritate, partim *ex ingenio*, reſtitutus. 62.

SVMMAE
CAPITVM LIBRI SECVNDI.

CAPUT I.

DIOGENIS LAËRTII Locus quidam difficillimus poſt varios irritos conatus & infelices hariolationes Eruditorum, denuo tentatus. *Duplex Eliſſus fluvius.* An in alterutrum projectus fuerit poſt fata DIOGENES CYNICUS? Ἁλισμὸς idem ac Ταρίχευσις: Ἐμβάλλειν εἰς Ἁλισμὸν, quid? Ἀδελφοὶ, *de Canibus.* Aliæ quædam Conjecturæ de hoc DIOGENIS LAËRTII Loco. pag. 71.

CAPUT II.

APULEJI *Apologia* poſt *Joſ.* SCALIGERUM & alios, bis emendata: *Sabazius* & *Sybariticus*, de homine vinoſo, molli & luxurioſo. *Ructus ſentina*, item *balitus Cadi*, & Ὄζειν οἴνου, de Potoribus Vinum redolentibus. pag.76.

CAPUT III.

Corruptiſſimus quidam MENANDRI *verſus* ex DONATO AD TERENTIUM, contra *Jo.* CLERICI & PHILELEVTHERI *Lipſienſis* ſententias, tentatus. 79.

CAPUT IV.

VEGETIUS de *Mulomedicina*, bis emendatus: *τυφλὸν ἔντερον*, *Inteſtinum cæcum*, pro *parte Coli*, Veteribus. 80.

CAPUT V.

AELIANUS uno Loco emendatus, altero explicatus: *Conr.* GESNERI conjectura laudata. Ἐπίγραμμα, pro *pictura*, ἐπιγραφεύς, pro *pictore*. 82.

CAPUT VI.

VETUS JUVENALIS *Scholiaſtes* emendatus. *Ardeliunculus*, monſtrum vocis. *Bardocucullus*, Veſtimenti aut Operimenti genus. Improbabilis *Jan.* RUTGERSII conjectura modeſte confutata. 84.

CAPUT VII.

HESYCHIUS aliquoties emendatus: *Jac.* PALMERII conjecturæ repudiatæ. 86.

OBSERVATIONUM CRITICARUM.

CAPUT VIII.

TREBELLIUS POLLIO ſemel tentatus: Is. CASAUBONI conjectura longius petita: CL. SALMASII Explicatio haud ſatis probata. pag. 91.

CAPUT IX.

DIOGENES LAERTIUS ſemel emendatus: *Ægid.* MENAGIUS & *Meric.* CASAUBONUS notati: *Samuel* BOCHARTUS laudatus. Ὁμαρτῆ, Ἁμαρτῇ & Ἁμαρτήσαντες apud HESYCHIUM quid? 92.

CAPUT X.

SENECA poſt *Juſt.* LIPSIUM emendatus. PLINIUS *major* illuſtratus. 94.

CALUT XI.

Veterum EPULONUM Mos *integros porcellos pelle ſua contectos* in lautioribus cœnis ponendi. Corruptiſſimus DIPHILI *Locus* poſt CASAUBONUM & SCALIGERUM, emendatus. Conjectura de *Apris gauſapatis* PETRONII. HIPPOCRATIS Locus illuſtratus. 96.

CAPUT XII.

DIALOGUS *de Claris Oratoribus* bis emendatus & explicatus. *Jan.* DOUZÆ conjectura laudata. 98.

CAPUT XIII.

PHILE *de proprietate Animalium*, poſt noviſſimum ejus Cl. Editorem, aliquoties aut emendatus, aut tentatus. 102.

CAPUT XIV.

ALCIPHRON ter emendatus. *Anthericus*, ſeu

 Aſpho-

Aſphodelus planta in ſacris magicis adhibita. *Dardani* & *Dardanidæ*, pro Magis & Sagis. pag. 106.

CAPUT XV.

SERVIUS bis emendatus, rejectis CASTELLANI & CUPERI conjecturis. *Hyades* etiam *Suculæ* dictæ. *Vetus* JUVENALIS *Scholiaſtes* ſemel emendatus. 115.

CAPUT XVI.

MENANDRI *Comici* Locus mutilus & depravatus poſt *Jan.* RUTGERSIVM & *Dan.* HEINSIVM, duplici modo tentatus. 117

CAPUT XVII.

Tit. LIVIUS poſt *Jo. Fr.* GRONOVIUM & *Jo.* CLERICUM, aliquoties tentatus, aut emendatus. HESYCHIUS obiter correctus. Obſcurus CICERONIS Locus illuſtratus. 119.

CAPUT XVIII.

DIOGENES LAERT. ter emendatus, relictis *Meric.* CASAUBONI & *Joach.* KÜHNII conjecturis. 123.

CAPUT XIX.

Quint. CURTII Locus à minus neceſſaria Cl. GRONOVII conjectura vindicatus, & facili opera explicatus. *Copia*, pro manu armata ſeu *Copiis*. *Stropha* idem ac Fraus, Inſidiæ, &c. 126.

CAPUT XX.

ÆLIANUS Loco aliquo corrupto emendatus, variis aliorum Clariſſimorum Virorum conjecturis poſt habitis. 128.

CAPUT

OBSERVATIONUM CRITICARUM.

CAPUT XXI.

Corn. TACITUS ter emendatus, aliorum conjecturis exploſis, excepta *Grotiana*. pag. 130.

CAPUT XXII.

HESYCHIUS ter emendatus. Χοιράδες, quid? GALENUS Correctus. ξηροὶ, σκηροὶ & σκληροὶ confuſa. HIPPOCRATIS *Locus* obiter emendatus. 134.

CAPUT XXIII.

SENECA *Philoſophus* quater emendatus. HESYCHIUS ſemel. 138.

CAPUT XXIV.

PHILE *de proprietate Animalium* denuo bis emendatus. HIPPOCRATES illuſtratus. HESYCHIUS tentatus. Εἰς πῦρ, pro ἐν πυρὶ, 141.

CAPUT XXV.

Locus OVIDII corruptiſſimus, poſt ill. *Nic.* HEINSIUM aliosque Cl. Viros, denuo tentatus. 145.

CAPUT XXVI.

DIOGENES LAERTIUS ter emendatus. HIPPOCRATES illuſtratus. Audax *Marc.* MEIBOMII conjectura rejecta. 147.

CAPUT XXVII.

COLUMELLÆ Locus explicatus leviterque immutatus, & à minus neceſſaria doctorum commentatorum Emendatione vindicatus. 149.

CAPUT XXVIII.

Locus quidam *Fab.* QUINCTILIANI difficillimus & obſcuriſſimus emendatus. RADIUS interdum idem ac vaſa virilia. 151.

)()(2 SUM-

INDEX CAPITUM

S V M M AE

CAPITVM LIBRI TERTII.

CAPUT I.

JUSTINUS *Martyr* Loco aliquo inſigni bis tentatus & emendatus. ARCHESTRATUS *Syracuſius* guloſus & laſcivus poeta, cujus Libri plurimum nocuerunt bonis Moribus. Γοητεία & γοητικὸν, *illecebræ* & *illecebroſum*. *Facere* & *Agere*, de re obſcena, apud *Hebræos*, *Græcos* & *Romanos*. pag. 157.

CAPUT II.

CORNEL. TACITI Locus perquam difficilis facile emendatus, aliorum doctorum Virorum conjecturis improbatis. *Impleri Luctu* & *Alimentis*, Græcis & Latinis Auctoribus eleganter dici, oſtenſum. 164.

CAPUT III.

ÆLIANI Locus corruptiſſimus emendatus, expenſis & rejectis ut plurimum aliorum doctorum virorum ſententiis. 169.

CAPUT IV.

AUCTOR *Dialogi de claris Oratoribus*, ter emendatus. 172.

CAPUT V.

PHILE ter emendatus & illuſtratus. HIPPOCRATES obiter ſemel. 175.

CAPUT VI.

Depravatus SENECÆ *Philoſophi* Locus emendatus, rejectis frigidis aliorum conjecturis. 178.

CAPUT

CAPUT VII.

Corruptiſſimus NICANDRI COLOPHONII in *Georgicis* Locus ex conjectura haud improbabili emendatus. pag. 180.

CAPUT VIII.

TITUS LIVIUS ſexies emendatus & illuſtratus, ſepoſitis aliorum hariolationibus. LUCANUS obiter tentatus. *Alia quædam notatu digna.* 182.

CAPUT IX.

DIOGENIS LAËRTII Locus depravatiſſimus bis emendatus. *Ægid.* MENAGII, *Meric.* CASAUBONI, *Joach.* KÜHNII, & ipſius Auctoris diverſis conjecturis allatis & rejectis, vera tandem Lectio ex ANDRONICO RHODIO *& aliis*, oſtenditur. 188.

CAPUT X.

CORNELIUS TACITUS ſexies emendatus, HESYCHIUS ſemel. Βρυτον, Βρυττὸν, Βρύττιον, Βρῦτος & Ζύθος, *Potus* ſeu *Vinum ex Hordeo paratum.* Alia quædam *obſervatu digna.* 192.

CAPUT XI.

ÆLIANUS duobus Locis tentatus. Οἱ *κτίςαι*, *urbium conditores* & *Legum Latores.* Alia quædam. 199.

CAPUT XII.

OVIDII Locus ab intempeſtivis Emendationibus vindicatus, & ſola commoda Explicatione integritati ſuæ redditus. *Ducere vultum*, idem ac *Adducere. Vultum adducere*, &

diffundere, proprie quid? Βλέμμα διακεχυμένον, pari ſenſu etiam apud Græcos. pag. 201.

CAPUT XIII.

HESYCHIUS aliquoties emendatus: Ψύττα, ψίττα, Σίττα & φίττα, qualis vox apud Græcos? Eadem fere apud Hebræos & Gallos. Obſcuriſſimus PETRONII Locus obiter tentatus & illuſtratus. Alia quædam, præſertim *Etymologica*, interjecta. 204.

CAPUT XIV.

Vetus JUVENALIS SCHOLIASTES bis emendatus, contra ſententiam *Jan.* RUTGERSII V.C. *Opus* Latinis, item Ἔργον & πρᾶγμα, Græcis, Pudice pro *Coitu Venereo*. 211.

CAPUT XV.

HELIODORUS in *Æthiopicis*, ter emendatus. 213.

CAPUT XVI.

Depravatiſſimus SENECÆ *Philoſophi* Locus emendatus, rejectis LIPSII & *Jo. Fr.* GRONOVII conjecturis. *Suggeſtus Roſæ*, quid? Veteribus incognita Vox. *Coccei* aut *Coccini Tori* olim in Beatiorum *Tricliniis*, quibus accumbebant Convivæ. 219.

CAPUT XVII.

DIOGENIS LAERTII Locus mutilus & vitioſus emendatus, repudiata merito audaci nimium & coacta *Marc.* MEIBOMII conjectura, nec non *Joach.* KÜHNII ſententia notata. Ἀπόδειξις aut *Demonſtratio*, quid? 225.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Locus CICERONIS tentatus. *Stilus atrox*, quid? PETRONIUS explicatus: BARTHIUS notatus. ALCIPHRON emendatus. pag. 229.

CAPUT XIX.

ÆLIANUS *de Natura Animalium* ſemel emendatus. Ἄσρακτ☉ & Ἀμασλάκητ☉, quid? HORAPOLLINIS Locus depravatiſſimus emendatus. 231.

CAPUT XX.

Vexatiſſimus CURTII Locus poſt varias doctorum Virorum hariolationes, denuo tentatus. *Stellatura*, *Stellationatura* & *Stellionatus* idem. Quid late proprie? quid ſtricte? De vera CURTII ætate adhuc ſub judice lis. *Speculator* ſæpius idem, ac *Carnifex*, aut *decollandi Artifex*. 236.

CAPUT XXI.

ARTEMIDORUS in *Oneirocriticis* ter emendatus. 242.

CAPUT XXII.

CORNELIUS TACITUS bis emendatus, non admiſſa *Jo. Fr.* GRONOVII, V. C. conjectura. 245.

CAPUT XXIII.

Locus ÆLIANI in *Hiſt. Var.* περιμάχητ☉, poſt varias multorum Eruditorum conjecturas, denuo tentatus & correctus. Χῆρος & ἄχωρος, quid? 248.

CAPUT XXIV.

SENECÆ PHILOSOPHI Locus contra LIPSII, RUTGERSII atque GRONOVII ſententiam,

aliter emendatus. Publius Syrus, Mimus Jocularis. pag. 252.

Caput XXV.

Hippocrates decem & octo Locis emendatus & illuſtratus. Hesychius ſemel iterumque emendatus & explicatus. 255.

Caput XXVI.

Diogenis Laertii Locus poſt varias diverſorum Eruditorum conjecturas, denuo tentatus. 272.

Caput XXVII.

Conjectura de Loco quodam Virgilii. Aether & Æquor in antiquis Libris ſæpius confuſa. Alia ſuſpicio de Loco quodam Phædri. Melissæ *Epiſtola* emendata. 276.

Caput XXVIII.

Hesychius plusquam Viginti Locis corrupti ſſimis emendatus, reſtitutus & explicatus. 284.

Caput XXIX.

Isidori, aliorumque *Veteres Gloſſæ Latinæ* & *Græco-Latinæ* paſſim emendatæ. A Wouwerii & Pricæi ſententiis diſceſſum. Hesychius obiter correctus. 296.

SUM-

S V M M AE

CAPITVM LIBRI QVARTI.

Caput I.

Corruptiſſimus Æliani Locus poſt feliciſſimam *Jani* Rutgersii Emendationem, denuo ſub examen vocatus & tentatus. Ὠρύω, ὠρύομαι, & ὠρυώματα, item Μυκᾶσθαι, Μυκηθμὸς & Μύκημα, de quavis voce lugubri & ejulatu tam Animalium, quam Hominum. *Mugitus Terræ*, *Mycematiæ* & *Mycetiæ*, quid? Alia quædam, pag. 299.

Caput II.

Cornelius Tacitus bis emendatus. 311.

Caput III.

Corruptus Diogenis Laertii Locus contra *Meric.* Casauboni & *Joach.* Kühnii ſententiam correctus. Hippocrates Loco aliquo corruptiſſimo emendatus. 313.

Caput IV.

Seneca *Philoſophus* ſemel emendatus, contra Cl. *Jo. Fr.* Gronovii Mentem. *Luctari* Latinis, & Ἀγωνίζεσθαι Græcis, de *Moribundis* dicitur. 316.

CAPUT V.

Verſus quidam *Comici Græci Veteris* deploratiſſimus apud APULEJUM, ex probabili conjectura emendatus. pag. 318.

CAPUT VI.

Locus TREBELLII POLLIONIS obſcuriſſimus & corruptiſſimus poſt varias Cl. SALMASII & DÆRVALII incertas plerumque conjecturas, denuo emendatus. *Statua Argolica*, obſcurum quid. *Statuæ Acrolithæ*, quid proprie? 'Ακρία 'Αθηνᾶ & 'Επάκριος Ζεὺς, quid proprie? *Veterum Statuæ* plerumque *fictiles*, *luteæ*, *argillaceæ* aut *gypſeæ*; ſæpius tamen *auro*, *argento* aut *minio obductæ*. Græcis eædem 'Οστρακίδες dictæ. HESYCHIUS bis obiter emendatus. Μαλλιαργὴ, apud eundem quid? *Alia varia interſperſa.* 323.

CAPUT VII.

Corruptiſſimus ÆLIANI *de Natura Animalium*, Locus ex PLINIO emendatus. *Templum* Κεχηνότος Διονύσου, quid? HERMOL. BARBARI & PINTIANI infelices conjecturæ rejectæ. Additus adhuc *unus Locus* ex eodem ÆLIANO emendatus. 334.

CAPUT VIII.

JULII CAPITOLINI Locus depravatiſſimus varie

varie tentatus. *Phallovitroboli*, ſeu *Phandovitroboli*, vox monſtroſa & inaudita. Cl. SALMASII ingenua confeſſio de inexplicabili hujus Loci difficultate. *Belus*, Palæſtinæ Amnis, arenis vitriferis nobilis. *Phialæ è Vitro Beli.* Βαλάνειομφαλοι, quid? *Chutra*, ſeu *Chytra*, item *Tryblium*, etiam apud Latinos. *Alvei Vitrei Belli*, de *Tabulis latruncularibus*. Alia nonnulla notatu digna. pag. 338.

CAPUT IX.

ÆLIANUS in *Variis Hiſtor.* poſt GESNERUM, PERIZONIUM, JENSIUM, SCHEFFERUM atque GRONOVIOS, bis emendatus. 348.

CAPUT X.

Difficillimus SENECÆ *Philoſophi* Locus poſt varias Eruditorum conjecturas, denuo tentatus & emendatus. *Mortis Arbitrium permiſſum habere*, aut *perdere*, quid? Nonnulla TACITI & SUETONII Loca illuſtrata. 352.

CAPUT XI.

DIOGENES LAERTIUS ſemel emendatus, rejecta *Merc.* MEIBOMII incommoda conjectura. 356.

CAPUT XII.

CORNEL. TACITUS ſemel emendatus, improbatis

batis aliorum & SALINERII inprimis, conjecturis. PROCLUS in *Laudatione funebri B. Jo.* CHRYSOSTOMI, inſigni Loco emendatus & a dura Cl. CUPERI conjectura vindicatus. pag. 358.

CAPUT XIII.

PETRONIUS *Arbiter* viginti Locis tentatus, emendatus, aut illuſtratus: interjectis paſſim *Obſervationibus nonnullis*, notatu dignis & lectu forſan jucundis. 361.

CAPUT XIV.

JULIUS POLLUX ſemel, HESYCHIUS autem pluries, emendatus & illuſtratus. ÆLIANUS obiter ſemel emendatus. Aliqua *Etymologica* adjecta. 386.

CAPUT XV.

Corruptus ULPIANI in *Digeſtis* Locus poſt ingenioſas *Jac.* CUJACII & *Hug.* GROTII Emendationes, denuo *quater* tentatus & emendatus. *Commotriæ* & *Coſmetriæ*, Comarum Ornatrices apud Veteres. *Stibi* ac *Stibium* Coſmeticum ad dilatandos oculos & ad Palpebras denigrandas, olim frequenter adhibitum, quod multis probatur. Tertia JOBI *Filia* pulcherrima KERENHAPUCH, ſeu *Cornu Stibii* vocata, quare? φῦκος & *Fucus*, ex Hebr. פוך HESYCHIUS obiter emen-

emendatus. *Ornatrices Stibiariæ* in *Veteri Inſcriptione* quid? Στίβη χρῶμα, Στεβίζεσθαι & Στίμμισμα, quid? Ὑπογράμματα idem ac Στιμμίσματα. SALMASII conjectura rejecta. *Chroma*, χρῶμα, pro colore, etiam Latinis in uſu. Nonnulla alia *notatu digna* paſſim interſerta. pag. 396.

CAPUT XVI.

Depravatus ATHENÆI Locus facilius emendatus, ac *Iſ.* CASAUBONUS eum reſtituit. Ὄφις, *genus Armillæ ſerpentis in morem formatæ.* Item *Zona*, & *Capitis Ornamentum.* 420.

CAPUT XVII.

QUINTUS CURTIUS contra *Jo. Fr.* GRONOVII & *Jan.* RUTGERSII ſententiam, ſemel emendatus. SENECÆ *Philoſophi* Locus corruptus tentatus. TERTULLIANUS, Lib. de *Pallio*, Loco aliquo reſtitutus. 413

CAPUT XVIII.

Corruptiſſimus ÆLIANI *de Natura Animalium* Locus emendatus, GESNERI & *Aliorum* conjecturis ſepoſitis. Κρηνῶδες, an Vox Græca, dubitatur. Τενθρηνῶδες, & Τενθρηνιῶδες, item Τενθρήνη & Τενθρηδῶν, quid? HESYCHIUS obiter emendatus, item & APPIANUS. PLUTARCHI Locus ex-

explicatus. FOESII Emendatio in HIPPOCRATE, laudata & confirmata. Στραγγῶδης, quid? pag. 415.

CAPUT XIX.

CORNELIUS TACITUS bis emendatus, relictis LIPSII, GRONOVII & *Aliorum* Conjecturis. 422.

CAPUT XX.

HESYCHII *Lexicon* aliquoties emendatum, interjectis *variis Etymologumenis.* 425.

CAPUT XXI.

Loci cujusdam SENECÆ *Philoſophi* integritas & acutus ſenſus oſtenditur contra LIPSIUM. *Jo. Fr.* GRONOVII Explicatio laudata & uberius confirmata. *Secunda Virtus*, *ſecunda Sors* & *Partes ſecundæ* quid? Celebris HESIODI ſententia Latinis frequentius uſurpata. Τὸ δεύτερον Græcis idem, ac *Sors ſecunda.* 443.

CAPUT XXII.

ÆLIANI Locus poſt SCHEFFERUM, emendatus, ſive potius ab intempeſtiva ejuſdem Emendatione vindicatus. Ἀποβλέπειν, & Ἀπιδεῖν, *attente* & *acute aliquid inſpicere.* Cl. *Jac.* PERIZONII Explicatio merito rejecta. 447.

CAPUT XXIII.

Vetus PAPINII STATII Scholiaſtes, LACTANTIUS, poſt *Jo. Fr.* GRONOVIUM, emendatus, ſive potius à minus neceſſaria ejusdem Emendatione vindicatus. Metaphoricus Verbi *Tabeſcere*, uſus. *Albeſcere*, de Stellis Pallentibus & evaneſcentibus, eleganter *Latinis* dicitur, quomodo & λευκαίνειν, *Græcis*. pag. 450.

CAPUT XXIV.

ARTEMIDORUS bis emendatus: NICEPHORUS ſemel. 452.

CAPUT XXV.

SENECA Philoſophus contra *Juſti* LIPSII ſententiam, bis emendatus. 456.

CAPUT XXVI.

ARRIANI Locus corruptus facilius feliciusque emendatus, ac *Jo.* quidem CLERICUS & *Jac.* GRONOVIUS eundem correxerant. Ἄελλα Græcis, & *Turbo* ac *Procella*, Latinis, eleganter de homine acri, promto, inquieto & turbulento. Vox ἄελλα, origine Phœnicia aut Hebræa. Dubius quidam HORAPOLLINIS Locus illuſtratus & confirmatus. 460.

CAPUT

CAPUT XXVII.

CATO bis, VARRO vero ſexies, emendati, poſt recentiſſimam eamque diligentiſſimam *Scriptorum Rei Ruſticæ* Editionem. 465.

CAPUT XXVIII.

HESYCHIUS Locis quam plurimis emendatus & illuſtratus. HERACLIDES PONTICUS ſemel tentatus. *Focus* vox Græca. Nonnulla alia *Etymologica* interjecta. 470.

DANIELIS

DANIELIS WILHELMI TRILLERI
OBSERVATIONVM CRITICARVM
LIBER PRIMVS.

CAPUT I.

Locus obſcurus & depravatus in Fl. Vopiſci Aureliano emendatus. TUMOR *probis Auctoribus idem ac ira & indignatio.* INTUMESCERE & TURGESCERE *idem ac iraſci.* TUMOR & TIMOR *in antiquis Libris ſæpius confuſa.* Ὀιδαίνειν, *intumeſcere, de Ira. Heſychius emendatur.*

OBſcurus admodum & intellectu perquam difficilis ſequens eſt locus in Fl. Vopiſci Aureliano, Cap. XXXVI. vbi de conſpiratione in caput Aureliani vafro unius Mneſthei notarii conſilio facta, ſermo eſt. En ipſa quidem verba: *Hi quum exarſiſſent timore, qui merebantur offenſam, dolorem miſcentes beneficiis atque officiis, quibus Aurelianus videbatur ingratus, in ſupra dicto loco iter facientem principem ſubito adorti interemerunt.*

Hic nemo non videt, & abſurde dictum, *exarſiſſent timore* (nam exalbeſcunt ſive expalleſcunt potius homines timore, quam exar-

deſcunt, ut notum, & obſervavit quoque hic bene Gruterus; Inde *pallor albeſcens*, Lactantio, Lib. de Ira Dei, cap. 5. & *exalbeſcere metu*, ipſi Ciceroni, ex veteri poeta.) *& qui merebantur offenſam*, ſenſu commodo deſtitutum. Quod quum animadverterent Viri Magni, Salmaſius, Caſaubonus & Gruterus, omnem lapidem moverunt, ut locum obſcuriſſimum in clara luce, quantum pote, locarent; ſed incaſſum omnino, & laudabili potius conatu, quam lætabili eventu, ceu videre eſt ex ipſorum commentariis loco huic ſubjectis, quos huc tranſcribere nolo, quum Liber in omnium manibus ſit. Mihi ergo omnibus momentis cum cura expenſis, locus ita legendus videtur: *Hic quum exarſiſſent* tumore, *qui non merebantur offenſam* &c. reliqua enim ſana. Ecquid vero nunc clarius, quid intellectu facilius? Nempe quum ira & indignatione (hoc enim eſt illud *tumore*, de quo mox plura) exarſiſſent illi, qui ob beneficia & officia in Imperatorem collata, offenſam non merebantur, impium de eo occidendo conſilium iniverunt. Scilicet notum eſſe arbitror, *tumorem* optimis quibusvis Auctoribus idem eſſe, ac iram & indignationem, unde & tumor & ira ſæpius conjunguntur.

Virgilius, Aen. VIII, 40.

— tumor *omnis & iræ*
Conceſſere Deûm.

Seneca Thyeſte, 520.

ponatur omnis ira, & ex animo tumor
Eraſus abeat.

Clau-

Claudianus in Rufin. Lib. II, 117.

Et quamvis præſens tumor - - *bellatrixque etiam nunc ira caleret.*

Immo ipſi noſtri ſcriptores Hiſt. Aug. ſic loquuntur. Julius Capitolinus in Pertinace, Cap. XI. *Quum Tauſius quidam in iram & tumorem milites loquendo adduxiſſet.* Sic quoque Lactantius, L. V. Inſtit. c. 22. *Nihil tumoris atque inſolentiæ gerens*, ubi ſimilia plura ex Cypriano potiſſimum collecta in Notis obſervat Cl. Bünemannus, p. 691. mox iterum Lactant. L. VI. Inſt. c. ult. *Tumoris & arrogantiæ crimen.* propius vero ad hunc noſtrum locum idem Lib. de Ira DEI, c. 18. *reſidente per intervalla temporis animi tumore.* Ubi commode in Notis Cl. Bünemannus laudat ſimilem Cic. locum e L. III. Tuſcul. Quæſt. 12. *quum Tumor Animi reſediſſet.* Omitto id genus plura, quæ cum his opportune jam laudavit Nic. Heinſius ad Claudian. Epiſt. I. ubi verba:

Me tumor *impulerit*, *me devius egerit error.*

Turgeſcere enim atque *intumeſcere* dicuntur pectora & facies iratorum, quod graphice deſcribit Seneca, Libb. de Ira, inde Perſius, Satyra V.

—— *calido ſub pectore maſcula bilis*
Intumuit.

Et Sat. III. Turgeſcit *vitrea bilis.*

Item Papin. Stat. Lib. II. Silv. I. *Accenſum quis bile feret? famulisque* tumentem *Leniet?* Hinc & Cicero ex Homero vertebat:

Corque meum penitus turgeſcit *triſtibus iris.*

Unde & *tumida ira*, ſæpius apud poëtas, &

odiis tumet, Avienus dixit Fab. XXXV. Sic & Græci ὀργᾷν, dicunt & ὄγκος, de *ira*: Item οἰδαίνειν, ita Heſych. οἰδαίνεσθαι, ſcite exponit per θυμοῦσθαι, *iraſci*. Sed ibi quoque turpiſſimum mendum, quod veluti in tranſitu hic emendare liceat. οἰδαίνουσι ſcribit, φλεγμαίνουσι, οἱ δὲ ἀπόντα τὸν μέλαν. Scribendum enim potius, ἀπίοντα εἰς τὸ μέλαν, *abeuntia in nigredinem*, aut potius, σήποντα τὰ μέλη, *quoad membra putreſcunt*, οἰδαίνειν enim eſt σφακελίζειν. vid. huc Suidas, in οἴδημα. Stoicis namque ira eſt διοιδοῦσα ὀργὴ, ceu monet Caſaubonus ad Sat. III. Perſii, ubi & plura. Ita Andronicus Rhodius Lib. περὶ παθῶν, p. 525. Edit. Heinſ. Χόλος δὲ, ὀργὴ διοιδοῦσα, vid. & Scholiaſt. ad Ariſtophan. Ranas, p. m. 252. ὀργὴ οἰδαίνουσα, dixit & Themiſtius, Orat. VII. p. 98. Frequentiſſimum vero in antiquis Libris lapſum eſſe inter *tumorem* & *timorem*, notiſſimum eſt; nam in omnibus fere locis ſupra laudatis, Virgilii puta, Claudiani & ipſius Jul. Capitolini, *timorem* vitioſe pro *tumorem*, in Codd. MSSt. eſſe ſcriptum, notant ad Claudianum Heinſius, & ad Capitolinum Salmaſius: Eadem quoque confuſio in Ovid. V. Triſt. VI, 45. ubi, *intempeſtivos igitur compeſce timores*, falſo legitur, pro *tumores*, monente recte Ciofano, ita & in Tibullo, *Timet* vitioſe legi pro *Tumet*, obſervavit Joſ. Scaliger, in divino Commentar. p. 148. Quid igitur mirum, ſi & in hoc Fl. Vopiſci loco, ſolenni ſcribarum errore, exaratum fuerit, *exarſiſſent timore*, pro *tumore?* ita enim omnino videtur.

Caput II.

CAPUT II.

Scholiaſtes Lycophronis, Iſaacus Tzetzes, loco aliquo emendatur. Duplex magni Sam. Bocharti conjectura, altera probatur, de altera dubitatum. Ἀκρωρείτης & Ἀκρώρεια, *quid?*

ISaacus Tzetzes in Lycophronis Caſſandram, pag. 123. hæc habet inter alia: Περὶ τὰς πέτρας τοῦ ἐν Ἀθήναις Κολωνοῦ (Ποσειδῶν) καθευδήσας ἀπεσπέρμηνε, καὶ ἵππος Σκύφιος ἐξῆλθεν, ὁ καὶ Ἀκειρωνίτης. Hic ſummus vir Samuel Bochartus, in Chan. Lib. II. cap. XIII. pag. 747. vocem Σκύφιος, *Scyphius*, recte deducit ex Syriaco שקיף *ſciph, petra*, ita ut שקיפי *ſciphi*, idem ſit ac πετραῖος, *montanus, in petra natus*, &c.

Quando vero idem maximus vir exiſtimat, poſteriorem vocem Ἀκειρωνίτης, mutandam eſſe in Σκυρωνίτης, ut paullo poſt loco cit. legitur, idque ex Arabico צחור *ſuchur, petra*, derivandum eſſe contendit; in eo profecto nimis acutus mihi videtur. Legendum enim potius loco τοῦ Ἀκειρωνίτης, Ἀκρωρείτης, quod idem ſane, ac Πετραῖος, ſive Σκύφιος: Ἀκρώρεια enim quaſi eſt ἄκρον ὄρους, ſeu *ſummitas montis*; inde deſcendit Ἀκρωρείτης, qui illic habitat, ὁ ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ ὄρους οἰκῶν, *in ſummitate montis habitans*, ut hæc omnia recte exponit Stephanus Byzantinus, de Urbib. pag. 82. voce Ἀκρώρεια, & Heſychius in Ἀκρωρείαις. Neſcio vero, an hæc jam obſervata & forte præoccupata fuerint a Celeberrimo Pottero, qui clarum

hunc ob obſcuram linguam poëtam & cum ſcholiaſte & luculento ſuo Commentario noviſſime edidit, præſtantiſſimus enim iſte Liber jam, quod merito doleo, ad manum non eſt.

CAPUT III.

Vox corrupta in ſexta Juliani Imp. oratione reſtituta, Th. Reineſii conjectura rejecta. Παντορέκτης *apud Anacreontem, quid? Heſychius tentatus.*

JUlianus Imperator in Oratione VI. fol. 369. Edit. Pariſ. Diogenis Cynici diſcipulos appellat παντοραίκτας, quod Interpres Cl. Dionyſ. Petavius, latine reddidit per, *in omne facinus projectos.* Sed vox hæc edita, unde derivata videri poſſit, non habet in tota Græcia: multo minus interpretamentum convenit. Malim igitur, παντοραίστας vocatos, id eſt, *omnia vaſtantes*, ἀπὸ τοῦ ῥαίεσθαι, ita Th. Reineſius pronunciat, Var. Lect. Lib. II. cap. 5. pag. 152. Sed fruſtra omnino hic eſt doctiſſimus hicce Criticus cum ſua hac longius nimis petita emendatione. Legendum enim, ut mihi quidem videtur, minore longe negotio & majore probabilitate, παντορέκτας, *omnia appetentes*, ad *quævis proclives*, ἀπὸ τοῦ ὀρέγεσθαι, quod Epitheton feſtiviſſime Amori tribuit lepidiſſimus Anacreon, od. X.

Ἀλλ' οὐ θέλω συνοικεῖν
Ἔρωτι παντορέκτῃ.

Eſt vero hæc vox notatu eo dignior, quod fruſtra eam in Lexicis Græcis atque Gloſſariis quæſive-

ſiveris. Sic tamen & Καταρέκτης, apud Heſychium idem eſſe dicitur, ac ὁρμητικὸς, niſi & ibi malit quis legere, Κατορέκτης, ut mihi quidem veroſimile videtur, vel Καταράκτης. Fruſtra ceterum eſt omnino vir doctus, qui pro παντορέκτα in Anacreonte, legere malebat, παντοφλέκτα, quo ipſo & Anacreontis venuſtas tollitur, & ne græcum quidem præterea eſt iſtud novum vocabulum; ſcribendum enim potius erat παμφλέκτῳ, quam παντοφλέκτα, quod hactenus, quantum ſciam ego, nec lectum fuit, nec auditum, nec denique ſcriptum. Sed hæc obiter.

CAPUT IV.

Vexatiſſimus Senecæ philoſophi locus expenſus & ex probabili conjectura emendatus.

APud Senecam Lib. VI. de Benefic. cap. 16. ſequens locus occurrit, qui non uſquequaque ſanus eruditis merito viſus, atque hinc varie tentatus & vexatus fuit.

Itaque, inquit Seneca, *Medico, qui nihil amplius, quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, ſine ullo affectu facienda vitandave præcipiens, nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam Imperatorem.* Ubi poſtrema vox *Imperatorem*, ſenſu omni caret, quæ enim quæſo juſta ſit oppoſitio inter amicum & imperatorem? accedit, imperatores quidem medicos vocari a Cicerone, Apulejo & ipſo noſtro Seneca, nun-

quam vero ægrotos, medici potius imperio ſubjacentes, *καὶ ὑποτασσομένες*, ut ait Hippocrates. Variis igitur modis hunc locum emendare adgreſſi ſunt doctiſſimi Interpretes & Commentatores, *Intemperantem*, *Invocatorem*, *Emptorem*, *Imploratorem* & ſimilia ſubſtituentes, ut videre eſt apud Dan. Vink in Amœnitat. Philol. Med. pag. 442. Sic & *Precatorem*, legendum cenſet Pontanus, ad Macrob. pag. *613*. infeliciter omnino. Cl. vero Salmaſius nihil mutandum putabat, ſed ad matutinas Imperatorum ſalutationes officioſas alluſum hic eſſe credebat, æque frigide. Omnes enim has voces, ne ulla quidam excepta, inepte hic eſſe ſubſtitutas, ſenſumque nihil quidquam juvare, per ſe, puto, cuivis patet, nec ulla demonſtratione jure indiget. Mihi interim perquam probabile videtur, ſcribendum eſſe in hoc vexato Senecæ loco pro *imperatorem*, *interiturum*, vel *periturum*, quemadmodum Noſter infra dixit Lib. II. Nat. Quæſt. cap. 59. *inter perituros conſtitutus*. Senſu me hercule liquidiſſimo & elegantiſſimo, ita fere Alciphron, Ep. 7. Lib. III. *ὁ ἰατρὸς ἡμιθνῆτα, μᾶλλον δὲ αὐτονεκρὸν θεασάμενος*. Medicus enim ægrotos obiter tantum perambulans, nullique diu ſatis inhærens, nec ſtatum morbi accurate explorans, eos non tam pro amicis, quorum ſalutem vehementer optat, quam potius pro perituris & malo ſuo fato deſtinatis habere videtur. Quæ noſtra conjectura ex ſequentibus Senecæ verbis magis confirmatur. Ceterum ab hoc Senecæ non multum abit illud Xeno-

Xenophontis in Oeconomico: ὅμοιος ἂν μοι δοκῶ εἶναι τῷ περιϊόντι ἰατρῷ, καὶ ἐπισκοποῦντι τοὺς κάμνοντας.

CAPUT V.

Conjectura de loco quodam Dionyſiacorum Nonni, conjecturæ Bocharti oppoſita; ubi ſimul obiter oſtenditur, fruſtra forte de loci illius integritate dubitari.

IN Nonni Panopolitani Dionyſiacorum Lib. XIII, v. 369. pag. 372. ſequentia leguntur:

Τικτομένης ναίοντες ἐδέθλια γείτονα Μήνης,

Quæ ita reddunt vulgo Interpretes:

Naſcentis habitantes fundamenta vicina Lunæ.

Scilicet Μήνην, pro Luna hic ſumunt, vt ſæpe alias ſignificat. Sed turpiter eos labi, optime obſervat acutus Bochartus, in Chan. Lib. I, cap. 24. pag. 468. Μήνη enim ſeu *Mena*, hic eſt Inſula in Lacu Tritonide, ab Æthiopibus piſcivoris habitata, de qua Diodorus Siculus Bibl. Lib. III. pag. 130. Edit. Henr. Steph. Sed hic nondum ſtat Bochartus: putat enim τὸ τικτομένης, otioſum hic eſſe, atque hinc mutandum in Αἰθομένης, *Ardentis*, ſive *Lucentis*, αὐτὴν γὰρ ἔχειν πυρὸς ἐκφυσήματα μεγάλα, *ipſam enim magnas ignis exhalationes habere*, Diodorus Siculus teſtis eſt, modo laudato loco. Verum quis obſecro hic non videat ſtatim, violentam admodum eſſe mutationem τοῦ τικτομένης,

μενης, in Αἰθομένης; Igitur ego minore opera, majoreque veriſimilitudine, forte & quadam εὐςοχίᾳ, verſum iſtum ita legerim:

Τηκομένης ναίοντες ἐέδεθλια γείτονα Μήνης.

Quaſi dixeris, *inſulam liqueſcentem, liquefactam*, aut ſenſim ſenſimque iſtis πυρὸς ἐκφυσήμασι ſeſe exedentem & abſumentem; id enim etiam τὸ τήκειν ſignificat, ut notum. Τικτομένης vero & Τηκομένης, facillime potuerunt confundi, quum fere ſint ὁμοιόπτωτα καὶ ὁμοιοτέλευτα. Sed, ut fatear verum, neceſſitatem emendationis, quam adeo urget Bochartus, nondum bene perſpicio: Nam & Τικτομένης, *parientis, partum edentis*, ſeu *fœcundæ*, nomen huic inſulæ Menæ optime convenire videtur, ſcribit enim ſæpius jam laudatus Diodorus Siculus, eam habere λίθων πολυτελῶν πλῆθος, *lapidum pretioſorum ingentem vim*, quos & ibi recenſet, anthracas nempe, Sardios & Smaragdos: adeo ut harum divitiarum reſpectu, optime vocari potuerit hæc inſula Τικτομένη. Ceterum τίκτειν, ſive *parere*, Terra ceu fœcunda mater, metaphorice dicitur plantas atque metalla aliaque tam animata, quam inanimata. Ita Auctor Epiſt. ad Hebr. VI, 7. γῆ τίκτουσα βοτάνην, ubi vid. Interpp. & Philo Jud. pariter dixit de Mundi Opific. p. 22. γῆς τῆς πάντα τικτούσης; item ibid. pag. 7. ἡ γῆ κυοφοροῦσα καὶ ὠδίνουσα, τίκτει πάσας μὲν τὰς σπαρτῶν, πάσας δὲ τὰς δένδρων, ἔτι δὲ καρπῶν ἀμυθήτων ἰδέας.

Sed hæc obiter.

CAPUT VI.

Caput VI.

Aelius Lampridius uno loco emendatur, altero vero illuſtratur ex Homero & aliis.

AEl. Lampridius de frugalitate & parſimonia Alexandri Severi loquuturus, ita eum dixiſſe quondam perhibet, Cap. XV. *Malum pupillum eſſe Imperatorem, qui ex viſceribus provincialium homines non neceſſarios nec reipublicæ utiles paſceret.* Hic vero illud *pupillum*, nullo modo ferri poſſe, viderunt jam, qua erant ſagacitate, Caſaubonus atque Salmaſius, quorum alter, *malum populi villicum eſſe imperatorem*, legebat, veramque eſſe hanc lectionem, ne dubitandum quidem eſſe aſſerebat; Ita pro *populari cauſſa*, male *pupillari*; olim legiſſe Baſilicorum concinnatores, monet ὁ πάνυ Grotius in Flor. ſparſione ad Jus Juſtinian. p. 278. ita ut facilis hinc lapſus ſit inter τὸ *populus*, atque *pupillus.* Alter vero, *malum publicum*, malebat, licet & vulgatum commode explicari poſſe contenderet. Fuerunt etiam, qui legerent *malum paſtorem*, immo & *malum tutorem*; quæ vero omnia, quia longius petita & coacta nimis ſunt, nullam plane attentionem merentur. Non improbo equidem Salmaſii conjecturam ſcribentis, *malum populi villicum* &c. malim tamen legere: *malum populo illum eſſe Imperatorem*, &c. ſenſu liquidiſſimo & faciliſſimo. Niſi quis legere malit, quod mihi jam inter ſcribendum ſuccurrit, *Malum popam illum eſſe Imperatorem*, ſenſu ſane convenientiſſimo, popam enim idem nonnunquam eſſe ac cauponem vel

Parochum, tralatitium eſt. Veriſſimam autem cenſeo lectionem, *Malum Pupillarium*, hoc eſt pupillorum tutorem; Cujus vocis meminit vetus Perſii Scholiaſtes, ad Satyr. II, v. 19. ut & Lexicis notatum. Ceterum verba illa, *ex viſceribus provincialium*, &c. & ſupra jam eodem fere modo leguntur apud Vulcat. Gallican, in Epiſt. Avidii Caſſii: *mendicum & pauperem, ſed ſubito divitem factum. Unde quæſo, niſi de viſceribus reipublicæ provincialiumque fortunis?* Sic *viſcera reipublicæ*, dixerunt quoque Cicero, Livius aliique, *viſcera Italiæ*, Florus, *viſcera legum*, Lucanus, ex emendatione quidem maximi Grotii, & *viſcera ſenatus*, iterum Florus, ut alia plura jam taceam.

Apud eundem vero Ael. Lamprid. in Antonin. Heliogabalo, Cap. I. ſequens gnome legitur: *Quum eadem terra & venena ferat & frumentum, atque alia ſalutaria, alia contraria*, &c. Vix dubium, reſpexiſſe hic Lampridium ad notiſſimum illum Homeri verſum, ex Odyſſ. IV, 230. ubi ita de fœcunda & beata Terra Ægypti:

—— πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα,
πολλὰ δὲ λυγρά.

Quem imitatus Apollonius Rhodius, Lib. III. Argonaut, v. 801. vid. Scipion. Gentil, Parerga ad Pandect. Lib. II. cap. 14. Laudarunt quoque eundem Theophraſtus Ereſius, Lib. IX. de Hiſt. Plant. cap. 15. Item Plutarchus de Audiend. Poët. pag. 15. aliique plures, frequentius enim hic verſus in Veterum ore atque calamo.

lamo. Simile quoque apud Plin. Lib. II. cap. 63. & alibi, & apud Senecam non ſemel. Hoc vero monere hic ſuperſediſſemus, niſi illud prætermiſſum fuiſſe a Caſaubono atque Salmaſio animadvertiſſemus, forte quod ejusmodi minutias præterire, ex ipſorum dignitate fuerit viſum. Ceterum quando hunc Lampridii locum & mendoſum & interpolatum credit Salmaſius, me ſane omnino ratio fugit, quin potius mihi poliendo deterior ſcabriorque factus videtur. Sed de his hactenus.

CAPUT VII.

Pauſanias tribus locis emendatur, rejecta Cl. Kuhnii conjectura, utpote fundamento deſtituta.

IN Pauſaniæ Atticis, cap. 27. pag. 65. hæc leguntur: Καὶ ἀνδρίαντες εἰσὶν ἐντὸς, οἷς ἐμαντέυετο Τολμίδῃ, κ. λ. Locum hunc eſſe mendoſum, jure ſuſpicatus eſt Cl. Joach. Kuhnius: verum ejus emendatio ita comparata videtur, ut ægre aſſenſum ſit impetratura: ſic enim legendum cenſet: Ἔνδοιος, ὅς ἐμαντέυετο; Nam unde quæſo ipſi conſtet, vatem illum *Endæum* fuiſſe dictum, quum omnes ea de re, quantum ego quidem ſciam, ſileant Auctores? Forte igitur noſtra conjectura ſi non majorem laudem, at certe paratiorem veniam inventura fuerit apud æquos lectores, qua nobis legendum videbatur olim: Καὶ ἀνδρίαντες εἰσὶν ἔνθεος, ὅς ἐμαντέυετο Τολμίδῃ, h. e. *Et ſtatuæ ſunt, Vates, qui Tolmidæ vaticina-*

cinatus eſt. Hoc enim pacto nihil opus eſt, novum quodpiam & inauditum nomen cum Kuhnio effingere & optimo Pauſaniæ audacter nimis obtrudere. Ἔνθεον vero idem eſſe ac Vatem divino Numine afflatum & ad effundenda oracula agitatum, adeo notum & exploratum mihi videtur, ut illud pluribus probare tædeat omnino pudeatque, quia hæc pueris haud ſcribuntur.

Sed nodus adhuc difficilior occurrit apud eundem in Arcadicis, pag. 281. Δήμητρος ἐν τῷ ἄλσει τῶν δρυῶν ναὸς ἐκ Κορυθέυσι καλουμένης. Quid hìc Κορυθέυσι ſit, plane non liquet, nec placent omnino Palmerio, quæ in Notis huc ſine Auctore attulerunt Amaſæus & Sylburgius, qui tamen ipſe nihil tentare audet in Exercitat. ad Auct. Græc. p. 427. Nos autem ipſo paullo audaciores, utinam & feliciores! quatuor hic conjecturas allaturi ſumus, ſi non veras prorſus; haud tamen plane abſonas, ut quidem ſpes eſt. Legi igitur poſſet, ἐς Κόρην θεύσης, *Cereris ad filiam Proſerpinam inquirendam ubique circumvagantis*; Quas enim Dea per terras, & quas erraverit undas, Longa referre mora eſt, quærenti defuit orbis, inquit Naſo Lib. V. Met. adde Claudian. Lib. III. de Raptu Proſerp. apud quos plura de hac fabula. Vel ſcribi etiam poſſet, Κορθυέσης, h. e. *Cereris in ſublime raptæ, exaltatæ*, Κορθύεται enim teſte Heſychio eſt, αἴρεται εἰς ὕψος, μετεωρίζεται; Ipſa namque Ceres fruſtra quæſita in terris Proſerpina ſua, draconibus vecta, *curribus auras Exit in æthereas*, ut iterum ait Ovi-

Ovidius, & aliunde ex fabulis conſtat, Κορ-θυέσης ergo eſt *ſublimia petentis*, *in altum tendentis.* Vel emendari denique commode poſſet, Κορυβαντιώσης, *furentis*, *bacchantis*, Heſychius enim ſcite id explicat per μαινομένης, ἢ δαιμονιζομένης. Cererem autem ex nimia Juſti doloris vehementia ob amiſſam filiam, furore & furiis agitatam fuiſſe, pariter notum eſt ex ſupra laudatis poëtis & aliis, citatis a Gyraldo & pluribus. Hinc & non inepte legi poſſet, ἐκ κόρης θειαζέσης, *propter filiam Proſerpinam furentis*, θειαζόντων, enim idem Heſychius reddit per μαινομένων. Eligat nunc Lector ex his, quod potiſſimum placuerit, aut nihil damnet; quod tamen ſperare vix audemus.

Ejusdem denique Pauſaniæ ſequentia ſunt in Phocicis, Cap. IV. pag. 806. Παρέχονται δὲ καὶ ὀσμὴν ἐγγύτατα χρωτὶ ἀνθρώπε, (de luto vero illic eſt ſermo, ex quo Prometheum finxiſſe homines fama eſt aut potius fabula,) quæ ita verterunt Interpretes: *Odorem etiam humani prope corporis referunt.* Sed quem quæſo ſpirant odorem hominum corpora? ſana nimirum nec ullo morbo inquinata; de morboſis enim alia plane res eſt. Malim ergo hic legere: ὄψιν ἐγγύτατα χρ. ἀνθ. *humani corporis ſpeciem aut formam referunt*: vel ſi hoc diſplicuerit, ſcripſerim, ὀσμὴν ἐγγύτατα ἱδρῶτι ἀνθρώπε παρέχονται, *odorem ſudori humano ſimilem ſpirant.* Senſu ſi quid judicem, commodo & perquam perſpicuo; Conſtat enim ex fabulis, Prometheum glebam illam, ex qua homines finxerit, ſudore potiſſimum atque lacri-

mis

mis humectaſſe & ſubegiſſe, ad indicandas ſcilicet lacrimoſas vitæ humanæ ærumnas.

Caput VIII.

Cornelius Tacitus duobus locis emendatus.

Locus per quam obſcurus eſt apud Corn. Tacitum, Lib. II. Hiſt. cap. 10. qui plurimum torſit Interpretes tantum non omnes. Verba hæc ſunt: *Prout potens vel inops reus inciderat, infirmum, aut validum, retinebatur.*

Quem tamen facillimo negotio ita reſtituendum arbitror: *infirmus, haud validus, retinebatur.* Nempe rei potentes ob potentiæ metum, impuniti dimittebantur; In inopes contra atque infirmos, a quibus nihil metuendum, graviter animadvertebatur, ut fieri plerumque aſſolet in depravata republica, & hoc eſt, quod Juvenalis jam dixit tritiſſimo verſu:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Quale quid & in Æſopi atque Phædri Apologis legere eſt. Immo ipſe noſter Tacitus hanc noſtram conjecturam confirmat ſatis valide, XVI. Annal. cap. 5. *Tenuioribus ſtatim irrogata ſupplicia, adverſus illuſtres diſſimulatum ad præſens, & mox redditum odium.* Quo & illud Senecæ, Epiſt. LXXXVII. aliquo modo ſpectat: *Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur.*

Sed jam nunc ad alterum locum. Occurrit is eodem II. Hiſt. Lib. cap. 78. agitque de prodigioſa Veſpaſiani cupreſſo, ſubito proſtrata, & poſtera

poſtera die ſua ſponte reſurgente, cujus & meminit Suetonius in vita Veſpaſiani, Cap. V. qua de re in hunc modum noſter quidem Hiſtoricus: *eodem veſtigio reſurgens, procera & latior virebat.* Hic etſi non damno plane illud, *latior virebat*, malim tamen non nihil elegantius ſcribere, *lætior virebat*, quemadmodum Virgilium, Plinium, Columellam & alios loqui, pervulgatiſſimum eſt. Ceterum ſimilem hiſtoriam mirabilem de Platano ventis proſtrata, poſteaque ſua ſponte iterum erecta enarrat Philippus in Anthologia, Lib. I. cap. 59. 2. De alia platano, ſi non eadem, item de ſalice & populo alba eadem ſingularia refert Theophraſtus Lib. IV. de Hiſt. Plant. Cap. 19. p. 505. & Plinius: imo doctiſſimus miles Palmerius Grentemenillæus ipſe ſuis oculis in Hollandia vidit quercum proceram ventorum violentia dejectam, demum vero duobus menſibus poſt, quod ſane mirandum, ſua ſponte in altum iterum elevatam, ceu ipſe teſtatur pleniusque deſcribit in Exercitationibus in optimos Auctores Græcos, p. 598. Sed hæc obiter.

CAPUT IX.

Antonino Liberali loco aliquo facilior medicina facta, ac quidem per Th. Munckerum, cujus emendatio merito repudiata. Ariſtænetus emendatur.

ANtoninus Liberalis hæc habet, Cap. XV. Metamorph. ὀ γὰρ ἀγαπᾷν ἔφη γλαυκὴν Θεὸν, ὅτι ταῖς ἀυταῖς χώραις κόραις ὀφθαλ-

ϑαλμὸς ἐνῆν μέλας. Quis vero hic non videat ſtatim, τὸ χώραις, locum hic ægre habere poſſe maleque natum eſſe ex ſequenti κόραις? Thomas igitur Munckerus in Notis, pag. 133. locum hunc depravatum ita emendandum cenſet, ut primo expungat τὸ χώραις; deinde ſic transponat reliqua: ὁ γὰρ ἀγαπῶν ἔφη γλαυκὴν Θεὸν τὰς κόρας, ὅτι αὐταῖς ὀφθαλμὸς ἐνῆν μέλας. Sed exceſſit hæc medicina modum, vulnusque Liberali inflictum poſt intempeſtivam hanc medelam & inconcinnam obligationem, nunc turpius longe hiat. Quare nos blandius nonnihil remedium mitiusque fomentum applicaturi, leviore opera legendum arbitramur: ὅτι ταῖς τάυτης, ſive αὐτῆς χώρας κόραις ὀφθαλμὸς ἐνῆν μέλας, hoc eſt, *quod hujus* ſeu *illius regionis puellis oculus niger eſſet.* Senſu omnino plano atque perſpicuo, quod nemo credo, inficiabitur, quicunque contextum ipſum ſedulo conferre haud gravatus fuerit, quod ut fiat, Lectores enixe rogamus. Sed hæc jamjam perſcripſeramus, quum ecce forte incido in Editionem Ant. Liberalis ab Abr. Berkelio curatam, in cujus Notis, pag. 250. non ſine admiratione, immo & quadam indignatione, obſervo, ipſum noſtram hanc emendationem jam dudum præoccupaſſe. Quod neceſſe ſane eſt, Lectores hic paucis moneamus, ne quis inclemens & inficetus Cenſor nobis infamem plagii dicam ſcribat. Interim haud mirum eſt, utrumque noſtrum in eandem conjecturam incidiſſe, quando ſcil. nihil pronius, quam ex corruptis verbis ταῖς

αὐταῖς

ἀυταῖς χώραις κόραις, facili opera formare, ταῖς ἀυτῆς χώρας κόραις, adeo ut hinc merito mirer, doctiſſimum Munckerum relicta hac probabili admodum & plana conjectura, in alia omnia abiiſſe & adeo remotiora ſectatum fuiſſe. Sed quilibet ſuo abundat genio & ingenio.

Verum addamus his locum ex Ariſtæneto, Lib. II. Ep. I. de formoſa, aſt dura & inexorabili Calyca: σὺ δὲ ὀφθεῖσα φλέγεις, καὶ ἐκ ἐσα τιτρώσκεις. ubi illud ἐκ ἐσα, quod vix ullum commodum ſenſum habet, poſt magnum Mercerum, varie emendant Viri docti. Mihi autem legendum videtur, καὶ ἀκτῖσι τιτρ. radiis oculorum, ceu fulminibus & miſſilibus, vulneras, ſenſu commodiſſimo, vid. antecedentia. Quare plura non addo. Conf. Alciphron. Ep. 1. Lib. III. & alibi ſæpe.

Caput X.

Titus Livius aliquot locis reſtitutus. A. J. F. Gronovio & Jo. Clerico, V. V. C. C. ſæpius modeſte diſceſſum.

Livio, ſcriptori ſuaviſſimo & præſtantiſſimo multum ſane utiliſſimæ operæ præſtitiſſe olim ſummum virum J. F. Gronovium, conſtat inter Eruditos: plus tamen adhuc lucis atque auxilii ille jure expectat a Celeberrimi Drakenborchii diligentia. Quare novam ejus, quam ab aliquot annis molitur, Livii Editionem ſerio optat & videre geſtit Reſpublica lit-

teraria, ob inſignem, quam exinde merito ſperat, utilitatem & ingens litterarum incrementum. Mihi interim Livium nuper animi gratia denuo legenti quædam occurrabant loca, quæ quum emendatione indigere & a Viris Clariſſimis non ſatis feliciter ſanata viderentur, in hoc Caput conjicere opportunum viſum.

Libro I. Cap. 17. hæc leguntur: *Nec dum a ſingulis, quia nemo magnopere eminebat in novo populo, pervenerant factiones.* Ibi Jo. Clericus legere malebat, *prævaluerant* vel *pervaluerant factiones.* Neutrum bene, ut mihi quidem videtur. Scribendum potius me quidem judice, *provenerant factiones,* h. e. ortæ & ſubnatæ erant, ſenſu commodo & minima ſane mutatione. Frequentiſſime vero inter ſe confundi in antiquis Libris, *provenire* & *pervenire*, item & *proinde* & *perinde*, doctis notum, & a nobis alibi annotatum. Sed hoc leve.

Libro II. Cap. 10. De Horatio Cocle ingenti animo & immoto pede pontem ab hoſtium incurſione ſtrenue defendente, hæc leguntur: *Neque ille minus obſtinatus ingenti pontem obtineret gradu.* Sed quid hic quæſo *ingenti gradu*, ſignificet & quam emphaſin aut pondus habeat, me ſane fugit. Gronovius ergo legere malebat *ingenti auſu*, ingenti ſatis auſu, quæ enim quæſo convenientia inter *auſu* & *gradu?* ſane ne minima quidem.

Nec felicior profecto Clerici conjectura legentis, *immoto* vel *immobili gradu*, hoc enim pariter longius, quam par erat, diſcedit a vulgatis.

gatis. Melius ſane ſcripſiſſet, *conſtanti*, *inſtanti* vel *urgenti gradu*, quomodo nempe infra Lib.V. cap. 46. *conſtanti vultu graduque*, eadem ſcil. ſententia & majore probabilitate. Neque vero pejus ſubſtituiſſet, *ſtabili gradu*; ſic enim Noſter infra, Lib.VI, cap. 12. *ſtabili gradu impetum hoſtium excipere*, quemadmodum pariter Seneca, Conſolat. ad Marc. cap. VI. *Fige ſtabilem gradum*: ſed *inſtabilis & lubricus gradus*, contra apud Curtium, VIII, 11.

Verum miſſis his omibus, vix dubito, quin Livius ſcripſerit olim: *Vigenti gradu*, id eſt valido adhuc, nec fatigato & cedere hinc coacto. Ita infra Lib. II, cap. 30. *vigentes corporibus*, legitur, & Lib. VII, cap. 2. de Livio poëta narratur: *canticum egiſſe aliquanto magis vigenti motu*; hoc eſt, *διαβὰς ἐν τῇ ςάσει, καὶ ἐγκρατῶς*, ut de Democrate luctatore ait Ælianus Lib.IV. Hiſt. Var. Cap. 15. Facillimum vero lapſum eſſe inter *τὸ ingenti* & *vigenti*, ecquis quæſo non videat ſtatim? Sic apud Tacit. XIV. Annal. cap. 18. de Petronio Arbitro legitur: *Vigentem ſe ac parem negotiis oſtendit*: Ubi pariter plerique Libri Veteres habent, *ingentem* pro *vigentem*, ut hoc ipſo loco, ceu monet Juſt. Lipſius in ſubjectis Notis, quas videre operæ pretium.

Libro XXIII. cap. 42. In gravi oratione Samnitum apud Annibalem, *Te ad unum modo ictum vigentem, velut aculeo emiſſo, torpere*. Malo hic *amiſſo*, legere: torpere enim apes, unde translatio ſumta, quando *amittunt* aculeum, non quando *emittunt*, hoc eſt, ad pungendum

exſerunt, notum ſatis ex Virgilio, Plinio, Columella, Palladio, Plutarcho, Ariſtotele, Æliano & aliis; niſi quis hic *emittere*, interpretari velit per perdere, quod tamen juſto obſcurius dictum videtur. Nihilominus Seneca ſic ſæpius loquitur. Ita VI. Nat. Quæſt. Fine: *Quid aliud debeo, quam exeuntem animam hortari & cum bonis ominibus emittere.* Item Epiſt. LXXVII. *Multa millia hominum & animalium hoc ipſo momento animam variis generibus emittunt:* nec non Epiſt. XCV. *Fortiſſimum Catonis vulnus, per quod Libertas emiſit animam*, ubi tamen quidam Codd. *amiſit*, habent, indice Lipſio. Adde vero hic potiſſimum ſimillimum Curtii locum, Lib. IV, cap. 14. & ibi in Notis Freinshem. Ubi tamen & in quibusdam Libris legitur: *Velut quædam animalia amiſſo aculeo torpet Temeritas.* Forſan ergo nihil in Livio hic mutandum. Sed hoc leve & ſatis obvium.

Lib. XXIV, cap. 45. In Oratione Fabii: *Ne qui ſocii a populo Romano deſciſcant & non vocitent.* Poſtremam hanc vocem corruptam eſſe, mihi certe videtur; ſcribendum ergo arbitror: *& non vacillent:* quo ſenſu verbo *vacillare*, non ſolum Livium noſtrum, ſed & Ciceronem, Senecam, Lucretium aliosque uſos fuiſſe ſatis ſuperque conſtat. Ceterum Sigonius hunc locum pro inſanabili habet, non ego: Sic enim reſtituendus videtur, ut modo ſcripſimus & oſtendimus, non enim cuiquam paullo urbanioris notæ homini placiturum confido ingenioſiſſimi alias Mureti commentum, legentis hic, *non nocitivum documentum*, Lib.

XV.

XV. Lect. Var. Cap. 16. p. 414. Longius enim omnino videtur petitum & coactum nimis, quam ut ad perſuadendum ſit idoneum.

Libro XXVI, Cap. 24. de Captis a Marcello Syracuſis: *In vaſtæ magnitudinis urbe, partium ſenſu non ſatis pertinente in omnia.* Malim hic *pertingente*, cum Valla, ſenſu longe clariore & hoc loco convenientiore. Neſcio enim, quam apte hic ſtare poſſit vox *pertinente*, licet aliquo modo defendi poſſe non negem, ut & pluribus oſtendit jam Sigonius.

Sed hactenus de Livio: plura enim, & forſan meliora, allaturi ſumus cum Deo in ſequentibus.

CAPUT XI.

Diogeni Laërtio vetus lectio aſſerta contra JS. Caſaubonum & Ægid. Menagium. Confirmatur ex Horatio. Theſpis Tragœdias ſuas plauſtris olim vexit. Τὸ ἄγειν, *Græcis & vehere* eſt & *canere*, *auctoritate Heſychii.*

DIogenes Laërtius Libro I. Segment. 59. in Solone, ita ſcribit: Θέσπιν ἐκώλυσε τραγῳδίας ἄγειν τε καὶ διδάσκειν. *Hic ſuſpecta vox* ἄγειν, inquit in Nota ſubſtrata Iſ. Caſaubonus, vir maximus, *quam ſuſpicor mutandam in* ᾄδειν, *aut* εἰσάγειν, *aut ſimile quid.* Approbat hæc & ambabus manibus arripit Ægid. Menagius. Nollem profecto factum. Mirum enim omnino, ſummis his Viris in mentem non incidiſſe illa Horatii ad Piſones de Arte poëtica:

 Igno-

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis.

Quid enim quæſo aliud Diogenianum Τραγῳδίας ἄγειν eſt, quam Horatianum *plauſtris vexiſſe poëmata?* Nempe ἄγειν hic eſt *vehere*, ut millies occurrit apud omnes fere Autores Græcos, quod nec pueros latet. Prohibuit ergo Solon, ne Theſpis Tragœdias vel *plauſtris veheret*, ibique pro rudi tum more, publice ageret, vel privatim ſaltim, & remotis perſonis Tragicis, doceret: ecquid nunc planius, quid Auctoris ſenſui congruentius? Immo ne opus quidem erat, τὸ ἄγειν mutare in ᾄδειν, quum jam per ſe nonnunquam ſignificet ᾄδειν. Clare Heſychius: Ἄγω, μέλπω, ᾄδω. Sed ἄγειν hic haud dubie eſt *vehere*, nec inde ſede ſua movendum, quum obſtet ſcilicet graviſſima Horatii auctoritas, quam nullo modo labefactare decet. Ita magni Viri, dum remotiora & ſublimiora ſectantur, ea ſæpius non vident, quæ obvia & ante pedes ſunt.

CAPUT XII.

Florus aliquot locis aut emendatus, aut tentatus.

FLorum his diebus iter faciens, mecum adſumſeram, in quo hæc poſt Lipſium, Salmaſium, Freinshemium, Rupertum, Nic. Heinſium, Grævium & Fabram, (celeberrimi enim Duckeri recentiſſimam Editionem nondum vidi) notavi & emendavi, an εὐςόχως, judi-

judicent harum rerum intelligentes & periti, ſi res tanti.

Libro III. Cap. 8. *Pila venientia.* Hic *ſævientia* aut *ingruentia*, mallet cum Heinſio Grævius. Sed legas velim certius forte, *ferientia*, a *ferire*. Sic Ovidius, *ferientes cuncta ſagittæ*, III. de Pont. 3.

Eodem Libro, Cap. 10. *Habes fortem virum, vir fortiſſime, viciſti.* Multum hic æſtuant eruditi Commentatores: ſed parum extricant. Celeberrimus Gronovius avus, quondam legebat in Obſſ. Var. *Habet!* quod ex media arena, ut notum, petitum, & de proſtratis luctatoribus uſurpabatur. Ingenioſe magis, quam veriſimiliter. Expeditum ſatis hujus loci ſenſum fore putem, modo leviſſima mutatione legatur: *Habes fortem virum, vir fortiſſime, viciſſim*; nempe parem Victori victum, quæ vera hujus loci ſententia. Prorſus ita, quomodo magnanimus Rex Porus, quamvis jam victus, in congreſſu cum victore Alexandro, ὥσπερ ἀνὴρ ἀγαθὸς ἀνδρὶ ἀγαθῷ προσέλθοι, apud Arrian. Lib. V. de Expedit. Alex. p. 349. Interim nihil ego definio.

Ibidem, Cap. 21. *Parricidale bellum ſtringeret.* Dura hæc omnino, immo nulla plane phraſis. Nicol. ergo Heinſius & Anna Fabra *bellum* hoc mutabant in *ferrum*. Sed hoc nimium ſane recedit a priſcis litterarum veſtigiis. Malim ego potius *telum*, quod & video placuiſſe Freinshemio. Ipſa hæc phraſis occurrit apud Senecam Oedipode Tragœdia, ſub initio:

Si TELA *contra* STRICTA, *ſi vis horrida Mavortis in me rueret.*

Adeoque plurimum hic fallitur Cornelius Tollius, in Notis ad Palæphat. pag. 176. quando ex hoc corrupto Flori loco incorruptum Senecam corrumpere laborat, perperam legendo, BELLA. Quum fas ſit potius credere, Florum Senecam imitatum fuiſſe, non Senecam Florum, ipſo quippe ætate ſuperiorem. Notiſſimum enim eſt, illum ſuas Hiſtorias floſculis poëticis ſæpiſſime, immo ad nauſeam usque, exornaſſe, qua de re alibi plura.

Libro IV. Cap. 12. *Callidarum gentium feritas.* Nec *Albidarum*, ut quidem hic volunt, nec *Alpicarum*, ut Salmaſius, plaudente Grævio, legebat, mihi magnopere placet. Sed malim potius, *ſqualidarum*, ſatis, niſi fallor, appoſite, ſi antecedentia quidem conſulantur.

Ibidem. *Cuncta atque continua pax.* Nihil hic *cuncta.* Freinshemius ergo volebat *certa*; Lipſius vero melius, *juncta*, Gronovius denique *una*, quod & placebat Grævio. Mihi, niſi Lipſiana lectio magis ad palatum fuerit, legendum videtur, *ſancta pax*, quod epitheton paci ſæpius ab Auctoribus imponi notum eſt.

Ibidem. *Gravibus ſeveriſque Legibus multis coërcuit.* Malim, *multisque* ſive *mulctisque.* Sæculum enim luxurioſum ſecus coërceri non poterat, quam per impoſitas graves multas, nervo ſic ad luxuriam reciſo.

Ibidem. *Inviſum Hercynium ſaltum:* Forte facili

legendum *Nivoſum*, facili lapſu. Res nota nimium: quis enim neſcit Hercyniæ nives apud poëtas ſæpius? Ipſe noſter Florus ſupra Lib. III. cap. 10. de Cæſare: *Per invios montium tumulos, per intactas vias & nives, expedita manu emerſus.*

Sed hæc de Floro, quæ etſi ſatis plerumque levia & ante complures jam annos meditata fuerunt, Lectoribus tamen invidere noluimus, ne quid ipſis periret nugarum noſtrarum ſcilicet. Addam tamen his pace ipſorum, locum adhuc capitalem tantum non ab omnibus Commentatoribus pro derelicto & conclamato habitum e Lib. II. cap. 2. *Quam opulenta præda claſſis - naufragio ſuo Africam & Syrtes omnium* Imperia Gentium, *inſularum littora, implevit.* Ubi quivis pervidet ſtatim, illud *imperia gentium* & inepte & catachreſtice nimis eſſe poſitum. Cl. ergo Marklandus in doctiſſima Epiſtola Critica ad Cl. Franciſc. Hare, p. 38. pro acutiſſima ſua ἐυςοχία, *in eo mari jacentium*, pro deplorato illo, *imperia gentium*, legendum cenſet, feliciſſime ſane, niſi, quod *in eo mari* nimis languidum nobis videatur, quia & adfuit jam ſupra *in Africo mari*, & inſulæ præterea non niſi in mari eſſe poſſint. Quare ſimplicius nobis legendum videtur, *omnium* Interjacentium *inſularum littora*, ubi eædem pæne litteræ in *imperia gentium*, & *interjacentium.* Sed hanc ipſam conjecturam præreptam jam nobis fuiſſe ab aliis viris magnis, & ipſo Marklando, didicimus nuper, aliud forte quærendo, ex Actis Erudit. de Ann. 1729. Menſ. Sept. pag. 383. quod hic ingenue confiteri fas eſt.

Caput

Caput XIII.

Menandri Comici Fragmentum quoddam apud Athenæum, tentatur. Iſ. Caſauboni emendatio laudata. Phileleutheri contra Lipſienſis audacior conjectura improbata.

Elegans omnino Menandri Comici locus eſt in Fragmentis Clerici, pag. 98. ex Athenæi Dipnoſ. Lib. IX. pag. 385. ſed quod merito dolendum, hodie valde corruptus. En ipſa verba:

- - - ἐπιθυμήσας τῷ βορέᾳ ἥδιον
Ὀψάριον, ἐδὲν λαβὼν, ἑψήσω φακήν.

hoc eſt: - - *Cum cuperem, Borea flante, ſuavius Opſonium, nihil nactus, elixabo lentem.*

Quid vero, quæſo, eſt illud, cum cuperem Borea flante, opſonium? & quis hæc intelligat? Scilicet nemo. Quare Iſ. Caſaubonus in divinis illis Animadverſionibus in Athenæum, pag. 664. malebat legere: ἐπεὶ δὲ θύσας τῷ βορέᾳ, acutiſſime ſane & elegantiſſime. Jo. vero Clericus nihil plane hic tentabat, metu brevioris & obſcurioris hujus Fragmenti deterritus, quod laudo equidem potius, quam carpo. Interim quid vetet quæſo & noſtram hic Conjecturam modeſte proponere? Scilicet leviſſima mihi mutatione legendum videtur:

—— ἐπιθυμήσας τῇ βορᾷ ἥδιον
Ὀψάριον.

Hoc eſt: *Quum deſiderarem ego eſu ſuave & jucun-*

cundum opſonium; ſenſu, ſi quid videam, commodiſſimo & aptiſſimo. Quid vero quæſo facilius, quam pro τῷ βορέᾳ, legere τῇ βορᾷ? Quare vix dubitem ego, quin hæc noſtra conjectura aliquem Doctorum aſſenſum ſit promeritura. Juſto enim audacior eſt emendatio illius Phileleutheri Lipſienſis, qui ita hunc locum conſtituebat, pag. 36. Emendat. in Menandr. & Philem. contra Jo. Clericum:

> Ἐπιθυμιάσας τῷ βορέᾳ λιβανίδιον,
> Ὀψάριον οὐδὲν ἔλαβον, ἑψήσων φακῆν.

Quæ ſane inaudita eſt licentia; omnia enim hic turbantur & invertuntur, & novus plane Menander prodit multum mutatus ab illo vetere & ſimplici facetiarum promo condo. Paullo ergo modeſtior eſt conjectura Philargyrii illius Antiphileleutheri, legentis, τῷ βορέᾳ ἐπιτιμήσας, ἰδοὺ. κ. λ. Sed nec illa ſatis placet: Vid. ἀμείλικτος λιχμητήρ.

CAPUT XIV.

Apuleji Apologia bis emendata. Jo. Pricæi conjecturæ partim laudatæ, partim rejectæ. Brantii vero emendatio probata & confirmata.

IN Apuleji Apologia, pag. 41. Edit. Pricæi, ita ſcriptum in vulgatis quidem Libris: *Oſtrea Pergami vermiculata.* Mendoſiſſime profecto, omnium Commentatorum ingenua confeſſione; quid enim hic Pergamus? nihil profecto

fecto ad rhombum, quod vulgo dicitur. Quare Iſ. Caſaubonus fœdum hoc ulcus attrectare merito reformidabat.

Jo. vero Brantius, *Oſtreorum terga vermiculata*, corrigebat, feliciter admodum, judice Elmenhorſtio, pag. 339. nec diffitente Pricæo, pag. 96. qui tamen emendare malebat, *oſtreorum terga levigata*, peſſime mehercule! quum vitium non lateat in voce *vermiculata*, quæ proba ſatis atque concinna; (vid. Jo. Pincieri Parerg. otii Marp. Lib. I, cap. 39. p. 146.) Sed potius in voce *Pergami.* Nobis igitur pariter placet correctio Brantiana, ita tamen, ut legendum cenſeamus, *oſtrea in tergo vermiculata:* facillima enim litterarum metatheſi, ex *Pergami*, fit *in Perga*, ſive *in tergo*; atque hanc veram eſſe lectionem exiſtimamus. Si vero nec hæc prorſus arriſerit delicatioris palati Lectoribus, aliam huic ſubſtituere placet iſta nihilo deteriorem, qua legendum ſuſpicamur: *Oſtrea peregrina vermiculata.* Fuit &, quum legerem, *oſtrea* Perigrammis *vermiculata*, h. e. ſtriis, lineis, figuris, voce græca, pro more Apuleji, qui frequentius amat ἑλληνίζειν, licet vox περιγραμμὴ alioquin rarius occurrat. Verum a veritate proximam eam cenſeo conjecturam, qua legendum mihi videtur, *oſtrea, purgamina vermiculata*, eleganti acumine & faceta ironia, quomodo nempe Curtius Lib. VIII, cap. 9. gemmas margaritasque pari lepore vocaverat, *æſtuantis freti purgamenta*, & Plinius pariter ſuccinum, *concreti maris purgamentum*, Lib. XXXVII. cap. 2. quod Tacitus

Cap.

Cap.XLV. deMor.Germ. inter *maris ejectamenta* refert,quomodo mox ipſe Apulejus, *cetera maris ejectamenta*, & paullo ſuperius, *nugas marinas & quisquilias littorales*, μυκτηρίζων commemorat. *purgamina* autem idem eſſe ac *purgamenta*, nemo paullo humanior, ſpero, dubitaverit, viris enim ſcribimus, haud pueris. Ecquid vero pronius, quam ex *pergami*, exſculpere, *purgamina*, addita ſaltim poſteriori ſyllaba, caſu aut oſcitatione olim omiſſa? Sed judicent Critici me peritiores.

Mox pag. 45. in eadem Apologia legitur: *Ennius ædes phagiticâ:* Heu monſtra iterum verborum! varia igitur in medium attulerunt Interpretes, ut ſanarent locum male ſanum immo ulceroſum, ceu videre eſt apud Elmenhorſt. in Not. & apud Pricæ. in Comment. pag. 103. qui aut ἡδυφαγικὰ, *Hedyphagica*, aut ἰχθυφαγικὰ, *Ichthyphagica*, emendandum cenſebat; neutrum profecto male. Mihi tamen ſcribendum omnino videtur, *Addephagia*, vel *Addephagica*, nempe Ἀδδηφαγία, vel Ἀδδηφαγικὰ ſ. Ἀδηφαγία, hoc eſt, *guloſitas*, ſeu *voracitas modum tenere neſcia & gulæ luxuriantis furor*. Heſychius: Ἀδηφαγία, πολυφαγία, εἰκαιοφαγία, item, Ἀδηφάγος, γαστρίμαργος, ἀθρόως ἐσθίων, & Ἀδηφάγοι, ἔλεγον Ἀργεῖοι ἄνδρας τοὺς πολλὰ ἐσθίοντας, Similia apud Suidam, Harpocrationem & alios Lexicographos. Vocem vero hanc huc optime quadrare, nemo non animadvertit, qui ſequentia cum antecedentibus contulerit ſedulo καὶ μετ᾽ ἀκριβείας. Quid enim obſecro credi-

legen-

bilius, quid probabilius inquam, quam ſub monſtro, *adeſphagitica*, latere probum illud, *adephagica* vel *adephagia?* Niſi quis legere hic malit *Hedypathia* aut *Hedypathica*, nempe ἡδυπάθεια, qualem Librum ſcripſiſſe olim perhibetur luxurioſiſſimus poëta Archeſtratus ab Athenæo paſſim, de quo nos infra Lib. III, cap. 1. pluribus tractavimus. Quæ ſane conjectura etiam haud improbabilis videtur.

Caput XV.

Ælianus in Var. Hiſt. bis emendatus. Cl. Perizonii conjectura improbata. βάζειν, ἐμπάζειν, πατριάζειν & πατρώζειν, quid? Ariſtænetus tentatus.

Claud. Ælianus Libro I, Var. Hiſt. cap. 20. de Dionyſio ſacrilego, Apollinis ſimulacri aureos cincinnos abradente: ἔχον καὶ αὐτὸ (ἄγαλμα) χρυσοῦς βοστρύχους, κελεύσας ἀποκεῖραί τινα αὐτό: ubi illud poſterius αὐτὸ, abeſſe poſſe ac debere ceu παρέλκον, contendit Cl. Perizonius: Jac. vero Gronovius illud cum ſequenti πλεύσας, conjungens, legendum cenſebat, ἀποπλεύσας; non male quidem; haud tamen veriſimiliter. Ut Act. XXVII. ἀποπλεῖν εἰς τὴν Ἰταλίαν, quomodo & alibi ſæpiſſime. Locus ergo leviſſima mutatione ſanari poſſe videtur, ſi reſcribatur, αὐτοὺς, ſcilicet βοστρύχους, quod præceſſit. Sed hoc leve nimis & obvium. Niſi quis legere malit αὐτοδὰξ, h. e. *ſtatim*, teſte Heſychio, & Suida, aut

aut αὐτόθι, *eo ipſo in loco*, aut denique quod præ reliquis placet, ἄφνω, *ſubito*, *repente*, *extemplo*, ut notum.

Ejusdem Libri Cap. 21. de Tithrauſte Regis Perſarum Chiliarcho per interpretem cum Thebanorum legato Iſmenia colloquente, hæc leguntur: ἔλεγε δὲ ταῦτα παίζων δὶ ἑρμηνέως. In quibus τὸ παίζων, merito ſuſpectum viſum Perizonio, quia nec joco nec luſui aptus locus hic eſſe poſſe videtur; unde mutare illud volebat in πειράζων, vel πείθων, aut πείσων: quæ tamen omnia longius petita videntur, nec ſenſum commodum habent. Quare fuit, quum legerem, ῥέζων, *agens*, vel βάζων, h. e. *loquens*, βάζειν enim, inquit Heſych. λέγειν, & βάζομεν, λέγομεν, quæ vox & apud Æſchylum, Homerum & alias occurrit, vel ſimplicius adhuc φράζων, quod idem, legendum fuerit. Eſt vero dictum, ἔλεγε βάζων, vel φράζων, ut, εἶπε λέγων, vel ἔλεγε εἰπών, in Novo Teſt. aut ἔφασαν λέγοντες, apud Dionyſium Halicarn. Lib. X. p. 641. & alibi. Quodſi vero hæc noſtra conjectura minus placuerit; haud incommode quoque legi poterit, ἐμπάζων δὶ ἑρμηνέως, *curans per interpretem.* Ἐμπάζεο enim teſte laudato Heſychio, & Suida, eſt φρόντιζε, & ἐμπάζεσθαι, φροντίζειν, dicitur vero & ἐμπάζειν & ἐμπάζεσθαι, licet frequentius ſit poſterius, vid. inprimis de hac voce Homerica, Scholiaſt. ad Ariſtophanis Theſmophoriazus. p. m. 820. Quondam etiam legendum conjiciebam, πατριάζων, vel πατρώζων, h. e. *patrio more*, *patriaque lingua*, ſenſu

ſu

ſu etiam minime inepto & incongruo. Malim tamen illud ἐμπάζων, modo propoſitum, reliquis conjecturis omnibus jure præferre. Niſi ὀπάζων, quis malit, quod eodem fere recidit, ut notum.

Sed levibus hiſce nunc ſubjiciamus locum ex ſuaviſſimi Ariſtæneti Epiſtolis eroticis, quem pro corrupto habent Eruditi. Legitur hic Lib. I, Ep. 15. p. m. 77. οὐχ ὅρμος, οὐχ ἑλικτῆρες, οὐ πόλεων τὸ πολύτιμον, οὐ περιδέῤῥαιον, κ. λ. Hic illud πόλεων τὸ πολύτιμον, in mundo muliebri locum habere vix poſſe credunt docti Interpretes. Quidam enim legunt, οὐ ψελίων τὸ πολύτιμον, alii τῶν λίθων, alii rurſus, τῶν πλοκίων, ex Heſychio. Mihi autem pace horum, ſcribendum potius videtur, οὐ πώλων τὸ πολύτιμον, vel ſi hoc Ariſtophanis in Equitibus, minus placuerit, quia per jocum dictum ſaltim videtur ibidem Scholiaſtæ & ex hoc Suidæ, pari ſenſu parique elegantia legendum, οὐκ ἐμπολέων τὸ πολύτιμον, *non Venditorum & Inſtitorum pretioſiſſimum.* πώλης enim & ἐμπολεὺς eſt, ut notum, Venditor, mercator. Quod apprime huc facit. Forſan tamen nihil plane mutandum.

CAPUT XVI.

Iſidori Hiſpalenſis Gloſſæ loco quodam inſigni emendatæ & explicatæ, contra Th. Reineſii & Jo. Bodini ſententiam. Θράσος, *dæmon apud Heſych.* Daſius *ſive* Daſus dæmon *quid? ſilveſtres quidam dæmones proprie piloſi & hirſuti dicti apud Hebræos & Græcos.* &c.

Iſido-

ISidorus in Gloſſis, *Duſius* inquit, *Dæmon.* *Hic vero*, exclamat Thom. Reineſius, Vir ſummus, Lib. II. Var. Lect. cap. 14. ubi quædam Iſidori haud infeliciter pro more, emendat, *hic vero Muſcerdam commixtam piperi, uti paſſim harum Gloſſarum! ſed quam ut dignoſceremus, nonnullo labore nobis conſtitit, dum & caput ſcalpere, & os columnatum habere, & pollicem admordere, & ungues rodere opus eſſet, donec inveniremus diu multumque cogitando. Eſt autem ab homine inſulſiſſimo, cui ſtivam potius, quam librum, in manus dare oportuit: Is repererat alicubi Græcum* Δεισιδαίμων, *quo ſuperſtitioſum, religioſum & Deos metuentem ſignificarunt, unde Duſium dæmona immani audacia efformavit.* Hæc quidem ille, majore ſui cum fiducia & audacia, quam veritate. Nos contra, ſi tanto quidem viro impune contradicere liceat, qui nec caput ſcalpſimus, nec os columnatum habuimus, nec pollicem admorſimus, nec ungues roſimus; invenimus tamen non diu multumque cogitando, hanc gloſſam non ab homine inſulſiſſimo, cui ſtivam potius, quam librum, in manus dare oportuit; ſed potius ab ipſo Iſidoro, aut aliquo alio Iſidoro adhuc acutiore profectam eſſe, hincque Reineſii Δεισιδαίμων admodum δυσδαιμόνως, ſive infeliciter fuiſſe excogitatum, fruſtraque hinc piper Muſcerda, ut cum ipſo loquar, repurgatum. Sed nihilo felicior hic eſt Bodini conjectura in Dæmonomania Lib. II. cap. 7. pag. 203. legendum conjicientis, *Druſius*, id eſt *Silvanus*, ſcilicet ad diſcrimen Druidarum, quæ gratis

omnino aſſeruntur. Nam *Duſius* potius Dæmon erat olim apud Gallos, teſte Auguſtino, Lib. XV. de Civit. Dei, cap. 23. ut obſervat magnus Bochartus, ita ut ſic forte nihil mutandum fuerit in Iſidoro ipſo, inprimis quum ipſe Lib. VIII. cap. ult. de his Dæmonibus *Duſiis* ex inſtituto egerit, ut animadvertit Cl. Keyslerus, in Antiquit. Celt. pag. 457. quem videas omnino de his *Duſiis*. Apud Heſychium tamen pag. 446. Θρασος eſt Δαίμων, unde forte hoc ſuum *Duſius dæmon* feciſſe videri poſſit Iſidorus. Verum nobis alia adhuc ſententia: Legendum nimirum ſuſpicamur, *Daſius* aut *Daſus*, *Dæmon*. *Daſius* autem aut *Daſus*, ex Græco eſt Δασὺς, *hirſutus*, *villoſus*, *piloſus*, unde Latine τῷ υ. in U. ut ſolent Romani, mutato, fit *Daſus* aut *Daſius*. Fuiſſe autem dæmonum quoddam, inprimis ſilveſtrium, genus, quod κατ᾽ ἐξοχὴν δασὺ, hirſutum, villoſumque fuerit appellatum, cuivis e divino vate Jeſaia, Cap. XIII, 21. & XXXIV, 14. patet; ibi enim commemorantur שעירים, *piloſi*, *hirſuti*, οἱ τριχῶντες, ut bene reddidit Aquila, aut ut & reddere optime licet, οἱ δασεῖς, quod idem, ut notum, nempe a שעיר, *piloſus*, *hirſutus*; unde Satyri proveniſſe creduntur. De quibus ſpectris piloſis & dæmonibus daſis ſive hirſutis, ut & de ipſo illo loco ſacro, uberius egit immortalis vir memoriæ If. Caſaubonus, Lib. I. de Sat. poëſi, cap. 4. pag. 144. Conſuli quoque ad iſta prophetæ loca & chriſtiani & recutiti poſſunt Interpretes, maxime Bochart. in Hieroz. Part. II. Lib. VI, cap. 7. pag.

pag. 828 Inprimis vero huc facit ſequens egregius Heſychii locus, qui ad inſtar luculenti Commentarii eſſe poteſt: Ὀνοκένταυροι, παρὰ Ἀκύλα, τριχίωνες, τριχῶντες, hodie legitur, ut ſupra obſervavimus,) δαιμόνων τι γένος, κάθυλον καὶ σκοτεινὸν, τῇ ἐπιφανείᾳ, ὅπερ Σειρὴν, (ita recte legit Salmaſius pro corrupto Σειιν, niſi potius legendum ſit Σειρῆμ,) ὠνόμασαν οἱ τὴν ἑβραικὴν φωνὴν μεταθέντες. οἱ λοιποί. Unde noſtræ conjecturæ haud leve pondus accedit. Sic & δαίμων αὐχμηρὸς, καὶ κομήτις, dæmon ſqualidus & hirſutus, occurrit apud Lucian. in philopſeude pag. 347. Ita igitur omnia, opinor, plana & perſpicua. *Daſius*, ſive *Daſus*, *Dæmon*, hoc eſt *Daſius*, Dæmon quidam, a corpore piloſo & hirſuto ita ſcilicet dictus. Nemini vero mirum videri debet, Iſidorum Græcam hic vocem explicuiſſe. Ita enim in his ipſis Gloſſis *Amelia*, (ex noſtra quidem emendatione pro *Anilia*) *Alopecia*, *Trichorræa* & complura alia græca vocabula crebro occurrunt.

CAPUT XVII.

Heſychii Lexicon percurritur & aliquot locis emendatur.

SEd ab his corruptis Iſidori Gloſſis tranſeamus jam pauliſper ad corruptius Heſychii Gloſſarium. In hoc præſtantiſſimo enim doctiſſimi Grammatici Lexico, poſt tot clariſſimorum Virorum curas & vigilias, innumera fere

adhuc ſupereſſe menda *ἀνήκεστα* ferme atque *ἀνίκητα*, omnes eruditi mecum juxta ſciunt lugentque. Quamobrem nemo non ſerio optat, ut nova illa præclara & a portentis illis repurgata Heſychii Editio quamprimum in publicum prodeat, quam ante aliquot annos promiſit Cl. Alberti, genuinus omnino græcantiſſimi Lamberti Boſii diſcipulus: eum enim ad tam arduum ancipitisque aleæ opus cum laude ſuſcipiendum & cum gloria abſolvendum, perquam idoneum atque inſtructum eſſe, ex ejus Speciminibus Heſychianis, eruditis ſane atque egregiis, abunde conſtat. Mihi interim utiliſſimum hoc Gloſſarium olim non indiligenter legenti quam plurima paſſim occurrebant, ad quæ ſubinde dubius hærebam, quæque hinc emendatione magnopere indigere videbantur. Hæc hoc quidem capite complecti animus eſt, non omnia quidem; ſed præcipua & mentione digniora e multis, de quibus forte in ſequentibus. Sed ad rem. Voce *πυρετὸς*, hæc leguntur: *πυρετὸς, φλογισμὸς, καῦμα, τὸ δὲ σῶμα πῦρ λέγει.* Poſtrema hujus *ῥήσεως* vitioſa omnino eſſe, licet nihil obſervatum fuerit de hac re doctiſſimis Commentatoribus, palam liquere arbitror, nullus enim commodus ſenſus exinde enaſcitur. Legendum igitur videtur, aut, *τὸ δὲ σῶμα πῦρ φλέγει*, aut, *τὸ δὲ νόσημα πῦρ λέγει*, vel *λέγεται.* Senſu utrinque perſpicuo & facili. *Σῶμα* vero & *νόσημα* frequentiſſime inter ſeſe confundi, & alii jam obſervarunt, & noſmet ipſi aliquoties deprehendimus in MSStis

MSStis Hippocratis, qua de re nos alibi ex inſtituto plura. Ceterum notum eſt Græcis Medicis febrim πῦρ dici, quemadmodum & Syris eadem emphaſi אשתא vocari; alio loco obſervavimus.

Ibidem, in voce πλευμονία, νόσος ἡ ἐρωτική. Malebam aliquando, νόσος γεροντικὴ, *morbus ſenilis*: quia ſenes ea potiſſimum pulmonum affectione affligi ſolere, ex Hippocrate & aliunde conſtat. Vide hac de re dicta nuper nobis ad Cœl. Aurelian. pag. 152. Append. ad Libell. noſtrum de pleuritide. Verum & poſſet hic legi, νόσος ἡ βρωτικὴ, *Morbus exnimia educitate ortus.* Ita enim Scholiaſtes Ariſtophanis ad pacem, p. 703. ad verba, Θερμὸς ὁ πλεύμων, ἐσθίοντες γὰρ τὰ σπλάγχνα θερμὰ ὄντα, vel ἔχοντες, vel ἔχουσι: quod ipſum pluribus confirmat in Libris de Diæta, & alibi, ipſe noſter modo laudatus Hippocrates. Sed forte nihil mutandum; anhelitus enim ad luctam veneream pertinere notum eſt. Ita Petronius de effœto & frigido in venerem Eumolpo: *Opus anhelitu perdet*, & alibi de eodem propudio: *Inter anhelitus ſudoresque tritus*, ubi vid. Interpretes in Editione Burmanniana, ſi opus. Inprimis autem facit huc illud Alciphronis, Ep. 28. Lib. I. fin. de capulari quodam ſene, intempeſtivo amore ſaucio: ταχερὸν βλέπεις βλέμμα καὶ ἀναπνέεις, *molliter & petulanter intueris atque anhelas:* quod ἀναπνέεις fruſtra ibi in ἀναστένεις, mutare contendebat ἑλληνικώτατος Steph. Berglerus. Porro in voce πρηστὴρ, σφοδρὸς ἄνεμος, καὶ ὄψεως τὸ εἶδος. Lege cer-

certiſſime, ὄφεως τὸ εἶδος, preſtera enim ſerpentis eſſe ſpeciem, ex Plinio, Lucano, Ariſtotele, Æliano & aliis pluribus ſatis notum eſt. Sic enim horum poſtremus, Lib. XVII, cap. 4. de Nat. An. ἔστι δὲ καὶ πρηστὴρ, ὄφεων γένος. Ubi vid. reliqua, add. inprimis ejusdem Lib. VI, cap. 51. Sed plura de preſtere congeſſit ſummus Bochartus, in Hierozoic. part. II. Lib. III. cap. 13.

Ibid. pag. 753. in περικλυζόμενος, δοραζόμενος λίαν. Depravata hæc eſſe, vidit quoque Jac. Palmerius, hincque legendum potius cenſebat: περικλυζόμενος, δοξαζόμενος λίαν; non male, nec infeliciter. Forſan tamen legendum potius fuerit: περικλυζόμενος, θωρησσόμενος, vel quod idem, θορισσόμενος, h. e. *inundatus*, *inebriatus*. Notum enim, quid ſit θωρήσσεσθαι, unde θώρηξις, de qua voce præter ipſum noſtrum Heſychium, vid. Erotian. in Gloſſario Hippocr. ibique Euſtach. Scholiaſt. Nicandri, Suid. Galen. in Gloſſ. Hipp. aliosque plures. Τὸ περικλύζεσθαι, *inundari*, vero eodem ſenſu hic ſumtum videtur, quo apud lepidiſſimum Petronium accipitur, Cap. XXI. *Vino etiam Falerno inundamur*, vel quomodo apud Apulej. X. Metamorph. pag. 249. *Vino pulcherrimo atque copioſo memet madefeceram*, aut apud Phædr. Fab. 71. Lib. IV. *irrigatus multo venas nectare.* unde & Macrobius Lib. VII. Saturn. Cap. 1. de Bitia: *Ut ſe totum ſuperflua meri effuſione prolueret*, (forte legendum hic *affuſione*) quæ omnia unico ſaltim verbo περικλύζεσθαι, Græci exprimere conſue-

ſueverunt. Imo ipſe Themiſtius Orat. VII. p. 88. elegenter dixit, μέθης κατακλυσθέντες, *ebrietate demerſi*, & Philo Jud. de Plantat. Noë: p. 182. ὁ πολὺς ἄκρατος ἐπικλύζων τὴν ψυχήν. Baſilius quoque M. Homil. XIV. contra Ebrietat. p. 424. κατακλυζόμενον τῇ ἀμετρίᾳ τοῦ οἴνου. & Jo. Chryſoſt. Tom. V. in N. T. pag. 625. μέθῃ βαπτιζόμενοι, & alibi ſæpius, ut & Clemens Alex. Pædag. Lib. II. p. 155.

Sed Pergamus! pag. 126. ἀποφθέγγεσθαι, ἢ ὀξέως ἀποτρέχειν. Hoc ſine ſenſu, ni fallor. Forte legendum, ἢ ὀξέως ἀπηχεῖν, *valde & acute vociferari, reſonare*, aut ἀποβραχεῖν, quod idem, vid. Noſtrum, in βραχεῖν. Immo lege potius conjunctim, Ἀπολιγαίνειν, ἀφηδύνειν, ἀποφθέγγεσθαι, ἢ ὀξέως ἀποτρέχειν. Cujus Emendationis Auctor eſt Ariſtoph. Schol. ad Acharn. pag. 417. & Suidas in ἀπολιγαίνειν. Certo τὸ ἀποφθέγγεσθαι, hic extra ſuam ſedem ſeriemque litterarum eſt, ut cuivis manifeſtum.

Ibid. pag. 219. γλυκεῖν τὸ γάλα καὶ τὴν χολήν. Legebam aliquando, καὶ τὸν χυλόν. Sed nihil plane mutandum. Χολὴν enim γλυκεῖαν, olim κατ' εὐφημισμὸν, vocaſſe Athenienſes, teſtis Helladius, apud Phot. Cod. 279. p. m. 874. & Edit. Meurſ. pag. 22. vid. Freinſhem. ad Flor. III, 11. pag. 268. huc ergo reſpexiſſe Heſychium, credere par eſt. Confirmat inſuper Cælius Aurelian. Lib. III. de Morb. Chron. cap. 1. *Fella, quæ Græci γλυκέα vocant, velut dulcia, quum ſint amariſſima.* Plinius quoque, Lib. XXVII. cap 10. *Græcis ſicut fel dulce,*

ubi vid. Dalechamp. & ex eo Harduinum aliena pro ſuis vendentem.

Ibid. pag. 895. Τὰ ςίγματα, τὰ παθήματα, τὰ ἕλκη. Malim hic, τὰ τυπώματα; ſupra pag. 866. ςίγματα, πληγαὶ, ποικίλματα. Sed forte nihil movendum.

Ibid. pag. 922. Τρυπανίζεται, τρυπάνῳ πλήσσεται, Legendum forſan, πρίζεται. Res nota ſane, nec probatione eget.

Ibid. pag. 673. Νωγαλεύματα, ἢ νωγαλίσματα, τὰ κατὰ λεπτὸν ἐδέσματα. οἱ δὲ τὰ μὴ εἰς χορτασίαν, ἀλλὰ τρυφερὰ ἅρματα. Poſterius ἅρματα vitioſum hic videtur, quis enim integros currus facile concoquat aut deglutire commode poſſit? quare illud in βρώματα mutabat Salmaſius & Sopingius: ſed nimis remote. Malim ego ἀρτύματα, *condimenta*, vel προσάρματα, h. e. *cibi*, apud Hippocr. vide Erot. Galen. & Foëſ. in Oecon. Hipp. præſtat tamen ἀρτύματα, ſic enim ſupra Noſter: Ἀρμόγαλα & ἅρμωλα, ἀρτύματα: ἀρμόγαλα vero ibi idem, ac hic Νωγαλεύματα. Forſan tamen nihil mutandum, modo vera ſint, quæ ſcribit Helladius in Chreſtomathia, pag. 16. Edit. Meurſ. ἅρμα δὲ ἡ τροφὴ παρὰ Ἱπποκράτει καὶ πολλοῖς ἄλλοις. Si ergo ἅρμα cibum ſignificat, ut hic adnotatum; nihil prorſus in Heſychio immutari, ut dixi, debet.

Sed manum tandem de Tabula. Plurima adhuc reſtant, de quibus forte impoſterum.

CAPUT XVIII.

Juſtinus uno loco tentatus. VELARE & CONVELARE, *pro fucum facere, turpitudinem diſſimulare & colorem inducere & ſimilibus.*

JUſtinus Libro XII, cap. 10. extremo, ita ſcriptum reliquit: *Filiam poſthæc Darii Regis, Statiram, in matrimonium recepit Alexander: Sed & Optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobiliſſimas virgines tradidit, ut communi facto crimen Regis* LEVARETUR.

Hic poſtrema hujus periodi vox *levaretur,* aliquem, non nego, ſenſum habet & poteſt tolerari. Interim non dubito, quin longe concinnius elegantiusque legatur: *ut communi facto crimen Regis velaretur*, quemadmodum ſic optimi ſcriptores ſæpius loquuntur. Ita Ovidius, Epiſt.V, 131.

Vim licet appelles, & culpam nomine veles.

Et Metamorphoſ. II, 37.

Nec falſa Clymene culpam ſub imagine velat.

Ita enim meliores Codd. utrobique legere, non *celes*, aut *celat*, notat ut utrumque locum Cel. Burmannus. Seneca quoque Hippolyto: 718. *Scelere* velandum *eſt ſcelus.*

Sic & Æl. Lampridius, in Antonino Heliogabal. Cap. X. *Milites peſtem illam* velari *imperatoris nomine pati nequiverunt.* Et dudum ante eum Tacitus XVI, Annal. 4. *Adjicitque facundiæ coronam ſenatus, qua ludicra deformitas velaretur.*

Sic

Sic & Lactantius, Lib. I. Inſtit. cap. 11. *Veritatem mendacio velaverunt*, & paullo poſt, *obtentu aliquo ſpecieque velata*, ſic & alibi, Lib. ſcil. IV, c. 5. *Veritatem ſub* velamine *ſtultitiæ latentem*, dixit, ubi vid. Cl. Bünemann. Eodem modo & *convelare* dicitur. Ammianus Marcellinus, Lib. XXX. de Cauſſidicis dixit: *Cauſſarum infirmitatem rationibus validis convelare*, quomodo *argumentis convelare*, ſimiliter Gellius, Lib. VII. cap. 3. Huc & illud Senecæ, Cap. XII. de Vita Beata: *Quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod ac velamentum.* Quod ita jam diu ante lepide expreſſit Plautus, in Captiv. *Nec mendaciis ſubdolis mihi uſquam mantellum eſt meis.* Quemadmodum & nos vulgo dicimus: *Seine Schande bemænteln*, vel, *ſeiner Bosheit oder Faulheit ein Mæntelgen umgeben.* Quod in Trinummo Act. III. exprimit idem, per *errata obtegere.*

Lucianus quoque in hunc ſenſum Græce dixit: *τὴν ἀπαιδευσίαν τῇ δόξῃ ἐπικαλύψειν*, *inſcitiam opinione obvelare*, adverſus indoctum multos Libros ementem, pag. 394. T. II. opp. ſic enim & Græci ſcriptores verbo *ἐπικαλύπτειν*, uti conſuevere, quod mille aliis locis confirmari poſſet, ſi opus eſſet.

Neſcio vero, an hæc mea conjectura jam aliis in mentem quoque venerit, ut ſuſpicari quidem jure licet, quia obvia valde, facilis & cujusvis ingenio & ſagicitati expoſita eſt. Nulla enim mihi jam Juſtini Editio ad manus eſt alia, præter illam ſolam, quam curavit Matth. Berneggerus, Argentorati, CIↃ IↃC XXXI. cum ſuis atque

que Bongarſii & Modii Annotationibus, in quibus tamen nihil de hac emendatione deprehendere licet. Sed vidimus poſtea quoque Grævianam, quæ etiam vulgatum *levaretur*, exhibet. Interim licet & ab aliis jam præoccupata forte fuerit; noſtra tamen omnino eſt, quia inter legendum excogitavimus, non exſcripſimus ex aliis; a quo vili & deteſtabili plagii crimine nos ſemper immunes fuiſſe, & adhuc eſſe, nemo neſcit, qui nos novit. Nec neceſſe ſane erat, alienis plumis ſuperbire, aut quærere in muſtaceo laureolam.

CAPUT XIX.

Diogenes Laërtius locis duobus emendatus. Æg. Menagii conjectura laudata: altera vero Kuhnii improbata.

APud Diogenem Laërtium, Libro II. Segm. 67. in vita Ariſtippi, hæc leguntur: *ἐγὼ δὲ μὴ ἀνάχωμαι κράμματι ῥανθῆναι.* Hic omnes Interpretes ſenſum quidem perviderunt, recte enim vertunt: *excreatione aſpergi*; & tamen vocem mendoſam non ſuſtulerunt, ut quidem debebant; nihili enim eſt *κράμματι*. Acute ergo emendabat Menagius, *χρέμματι*, *ἀπὸ τοῦ χρέμπτω*, *exſpuo*: Kühnius vero *ῥάματι*, à *ῥαίνω*, quod longius videtur petitum.

Servetur ergo Menagiana emendatio ceu certa & appoſite excogitata; niſi quis mecum legere malit *ἐξεράματι*, ab *ἐξερᾶν*, quod pariter

riter eſt *exſpuere*, ſive *evomere*, de qua voce vide Commentatores ad 2. Epiſt. Petr. Cap. II, 22. & ipſum Menagium ad Diog. Laërt. Lib. IX. Segment. 4. pag. 394. item & copioſe, ut ſolet, Th. Gataker. in Miſcellaneis Poſthumis, Cap. XLI. pag. 854. ſqq. add. Bergler, ad Alciph. Ep. 7. Lib. III. pag. 292. Nequaquam vero opus multis demonſtrare, quomodo ex ἐξεράματι, factum fuerit per errorem κράματι; quum intelligentibus jamjam per ſe pateat, omiſſum fuiſſe temere initiale ἐξ, propter finem ſimilem antecedentis vocis, ἀνάχωμAI, quod mille hic exemplis probari poſſet, niſi notiſſimum, vide tamen divinam illam illuſtr. Rich. Bentleji Epiſtolam Criticam Malalæ Chronico adjectam, pag. 76. ſqq. quæ pluris ſane mihi eſt, quam totum ipſum opus Malalanum. Add. Wetſten. de recta Ling. Græc. pronunciatione, Orat. IX. pag. 197. item Gregor. Martin. de eodem Argumento, pag. 18. ut & Guil. Canteri Syntagma de Ratione emendandi Græcos Auctores Cap. I. ut alios taceam. Alter locus Diogenis noſtri occurrit Lib. III. Segm. 108. in Vita Platonis: οἷον τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ χρυσίον, καὶ πᾶν τὸ τυχὸν, καὶ τὸ τοιοῦτον. Ubi τὸ τυχὸν, expungendum cenſebat Henr. Stephanus: Menagius vero legendum exiſtimabat τὸ χυτὸν, ex MSStis Regiis. Quod vero hæc vox locum commodum hic invenire poſſit, ingenue equidem fateor. Potius tamen mihi legendum videtur: καὶ πᾶν τὸ τυχὸν ἐκ τῶν τοιούτων, *& quidquid forte ex his ſimilibus occurrerit*, ſenſu plano, niſi fallor, atque perſpicuo. Immo

Immo legendum potius videtur, καὶ πᾶν τὸ τῆκον, vel τηκτὸν, καὶ τὸ τοιοῦτον, & omne colliquefactum, ſeu liqueſcens, aut ſimile quid: ſenſu huic loco appoſitiſſimo. Facillimus enim lapſus inter τὸ τυχὸν, & τὸ τῆκον. Sed hactenus de Diogene Laërtio.

Caput XX.

Q. Curtius ſemel tentatus. Val. Acidalii emendatio conjecturæ Gronovianæ jure prælata. Funus *pro homine morituro aut morti deſtinato.* Vultus riguus *aut* irriguus, *Græcis* βρεχόμενος *aut* δακρυχόος, *quid?*

TRiſtis admodum atque flebilis eſt hiſtoria de Dario malæ ſuæ ſorti jamjam deſtinato atque hinc nullius ſalubris conſilii patiente, indeque optimum atque fidiſſimum ſuorum amicorum & miniſtrorum Artabazum, ſpreto ipſius ſaluberrimo conſilio, cum fletu & gemitu, temere dimittente, quam diſerte enarrat Curtius, Lib. V, cap. 12. ubi hæc inter alia plura: *Perfuſusque mutuis lacrimis, inhærentem ſibi* (Artabazum,) *avelli jubet: capite deinde velato, ne inter gemitus digredientem velut a Rege, intueretur, in humum pronum corpus abjecit.* Hic ſane omnia clara atque perſpicua, præterquam illa, *velut a Rege*, quæ quia ſine ſenſu commodo, forſan mendoſa ſunt. Quare Acidalius legebat, *vel a tergo*, ſapienter atque egregie, ut ego quidem puto; aſt juveniliter atque inepte,

inepte, judicante contra Gronovio, Lib. II. Obſervat. cap. 12. pag. 307. qui potius ex Modii Libris reponere malebat, *velut à rogo*, hoc eſt, illo quidem exponente, *non tanquam a Rege, ne quidem ut vivo; ſed jam velut a rogo, vel buſto, vel funere, inter gemitus & lacrimas digredientem* ſcil. Artabazum. Hæc ille: ſed dure perfecto, ſi quid videam, & coacte, atque a liberali Curtii ingenio nativaque ſimplicitate plane abhorrente conjectura, ut recte quidem cenſet Cellarius.

Quis enim quæſo unquam legerit in aliquo probato Auctore, rogum de homine dici commode poſſe? Certe enormis ejusmodi licentia ſive potius dura tumidaque Catachreſis ne in mediocri quidem poëta impune ferenda eſſet: quis eam igitur paullo emunctioris naris ſine ſtomacho atque indignatione toleret in Curtio, ſcriptore hercule politiſſimo & caſtigatiſſimo?

Neque ſane exempla illa ex Petronio atque Seneca a magno Gronovio allata ullo modo probant, ut quidem Lectoribus perſuadere conabatur, *rogum* pro homine morti aut exitio deſtinato, ſumi ſolere. Illud potius in rem ſuam allegare poterat ex Senecæ Epiſt. LXX. de Druſo Libone jam perituro: *Omnes neceſſarii deſeruerant impie, jam non reum, ſed funus:* quin imo ex ipſo noſtro Curtio Lib. X, cap. 5. *Intuentibus lacrimæ obortæ præbuere ſpeciem, jam non Regem, ſed funus ejus viſentis exercitus.* Quemadmodum ſic & Manilius, Lib. V. de Andromeda belluæ marinæ devoranda expoſita, cecinit:

Vir-

Virginis & vivæ rapitur ſine funere funus.

Quo & iſtud Claudiani pertinet Lib. I. de Eutrop. 130.

—— *tandem* ceu funus acerbum
Infauſtamque ſuis truſere penatibus umbram.

Sed aliud tamen in his locis omnibus eſt *funus*, & aliud plane *rogus*, nec unum pro altero commode & ſcite unquam ſumi poteſt. Quare ipſi potius rogo impoſita frigida hac Modiani Libri Lectione, ſit joco venia! malimus cum Acidalio, ejusque aſſeclis, viris doctiſſimis, juveniliter legere, *vel a tergo*; quam cum altero Clariſſimo alioqui Critico quem alias ex merito veneramur, ſeniliter nimis ſapere atque remotiora & a veri ſpecie alieniora ſectari.

Nobis tamen adhuc alia conjectura ſubnata, quam Lectori invidere nolumus; legendum nimirum nobis videbatur aliquando: *Ne inter gemitus digredientem* vultu riguo *vel* irriguo *intueretur.* Hoc videlicet facili admodum ac concinno ſenſu. Pudebat nempe Darium, poſt profuſos jam fletus, quos primos dolor acrior expreſſerat, priſtinæ dignitatis regiique faſtigii adhuc memorem, redeunte in præcordia virtute, muliebriter humentem lacrimis vultum Artabazo cum gemitu digredienti oſtendere, quare velato eum capite in terram pronum corpus abjeciſſe, prudenter addidit Curtius, quale & ſupra L. IV. cap. 10. de eodem Dario legitur, unde noſtræ conjecturæ haud leve pondus accedere videtur. Atque ſic fere

Lucanus noſter de Pompejo Magno jamjam infando phario ſcelere indigne perituro, Lib. VIII. divini operis:

- - - - - ut vidit cominus enſes,
Involvit vultus: atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput, tunc lumina preſſit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Poſſet, & æternam fletu *corrumpere famam.*

Scilicet dedecebant lacrimæ magnanimos heroas, ut notum, (licet flentes etiam quandoque exhibeantur ab Homero, Virgilio, aliisque poëtis, & noſter quoque Darius ſupra L. IVe cap. 10. in lacrimas ſolutus narretur a Curtio,). ſolique ſexui molliori convenire credebantur, inde Cornelia moeſta Pompeji conjux, apud eundem grandiſonum poëtam, Libro V.

Humentes *mirata* genas, *percuſſaque cæco*
Vulnere, non audet flentem *deprendere Magnum.*

Vultum vero *riguum* vel *irriguum* idem eſſe, ac vultum lacrimis manantem, vel ex poëtis notiſſimum eſſe arbitror, ſic pari modo *humentem vultum*, dixit Papinius Statius, Lib. III. Thebaid. qui & alibi *oculos humentes*. *manantes* & *madentes*, habet, quod & apud Ovidium & Lucanum aliosque occurrit; *Uventes oculos*, eodem ſenſu legere eſt apud Petron. Cap. CXV. ubi vid. Commentatores in Edit. Burmann. *ora humentia*, apud Sil. Ital. Lib. IX. & alibi ſæpius, huc & Apulejus Lib. X. Metamorph. pag. 241. *Senex infelix ora ſua recentibus adhuc rigans lacrimis*, ut alia plura nunc taceam. Græci ejusmodi *irriguum vultum* ſcite appellant

βρε-

βρεχόμενον, yel *δακρυχόον*, ut ex Homero, Euripide & Apollonio Rhodio aliisque notiſſimum eſt. Ceterum facillime fieri ex verbis, *velut a rege*, aut *velut a rogo*, noſtrum *vultu irriguo*, vel *vultu riguo*, tam liquidum atque clarum eſſe arbitror, ut nulla probatione aut perſuaſione indigere videatur.

Forſan tamen nihil prorſus mutandum, ipſeque potius locus commoda ſaltim explicatione fuerit adjuvandus. Nimirum turpe olim & funeſtum putabatur, quenquam a principis facie & ſermone triſtem & flentem diſcedere, ut vel ex notiſſimo Titi Veſpaſiani effato ſapientiſſimo conſtat. Hinc jure hic dolebat Darius, quod Artabazus plorans atque gemens a ſe, velut a Rege, mutata plane fortuna & conditione, digrederetur. Sed judicet ipſe Lector.

CAPUT XXI.

Michaël Apoſtolius ex Luciano emendatus, rejectis doctiſſimi Pantini & noſtris conjecturis.

IN Michaëlis Apoſtolii, ſcriptoris quamvis recentis; non tamen ob eam, quam præſtat, utilitatem, plane contemnendi, Collectione proverbiorum græcorum, & ſequens legitur, Centur. XIX, 99. haud uſque quaque ſanum & perſpicuum, ut quidem videtur: *ὑπηνέμια ὀνείρατα καὶ ἐπαίνων σκιαί, ἐπὶ τῶν μάτην ἐλπιζόντων*, h. e. *ventoſa ſomnia & laudum umbræ, de fruſtra ſperantibus.* Sed

 quid

quid hic ſint τῶν ἐπαίνων σκιαὶ, *laudum umbræ*, nemo facile dixerit. Doctiſſimus ergo Petr. Pantinus in elegantiſſimis & optimæ frugis pleniſſimis in Apoſtolium Notis, pag. 376. legere malebat, vel ὕπνων, vel κάπνε σκιαί; quibus ego non contentus, emendabam potius, ἐλπίδων σκιαί. Sed neuter Noſtrum καλῶς κἀγαθῶς, ut eventus quidem docuit. Ἐπῶν enim σκιαί, forſan ſine ulla dubitatione & cunctatione legendum eſſe, liquido apparet ex ſequenti Luciani loco in Harmonid. pag. 132. Fin. Edit. Aldin. Grævianæ vero cum Not. Var. pag. 589. Tom. I. ubi integrum Proverbium ſic quidem exhibetur: πάντα ἐκεῖνα ὑπηνέμια ὀνείρατα καὶ ἐπῶν σκιαὶ, *omnia illa ſubventanea inſomnia & verborum umbræ.* Ecquis ergo nunc dubitaverit amplius, quin ex hoc Luciani loco aliqua cum fiducia, corrigendus ſit impoſterum Apoſtolius?

Audiendus enim neutiquam Bourdelotius videtur, etiam apud Lucianum legendum cenſens ἐπαίνων.

Sed jure ſimul miror, qui latere potuerit hic ipſe Luciani locus ſummo κριτικωτάτῳque viro Petro Pantino.

Verum non omnia poſſumus omnes, nec fida ſemper tenaxque ſatis memoria, quia homines ſumus. εἷς γὰρ ἀνὴρ ἐ πάνθ' ὁρᾷ, ut alibi ait noſter Apoſtolius ex Euripide.

CAPUT

Caput XXII.

Lucanus in Pharſal. ter emendatus.

GRandiſonus & ingenti ſpiritu plenus Poëta Lucanus ea prodigia enarraturus, quibus minaces ſuperi ante exordia impii & infauſti belli plus quam civilis, terras impleviſſe dicuntur, inter alia hæc refert Lib. I. Pharſal. v. 548.

> - - - *flebile* ſævi
> *Latravere canes.*

Sed hic epitheton *ſævi*, elumbe & languidum nimis videtur, quid enim quæſo, *ſævum* ad lugubrem & querulum ululatum? Quare mihi ſcribendum videbatur olim:

> - - - *flebile* ſcævi
> *Latravere canes.*

Hoc eſt infauſti, & infelix omen portendentes Canes. Apud eundem Libro III. ſequens locus occurrit, v. 410.

> - - *non ullis frondem* præbentibus *auris*
> *Arboribus ſuus horror ineſt.*

Quid vero eſt, *frondem præbentibus auris?* nullus ſane aut exiguus certe atque obſcurus ſenſus exinde emergit. Hinc variis modis hunc locum tentatum fuiſſe a doctis Commentatoribus, ex adjectis variorum Notis abunde liquet. Mihi interim, ne ἄτυμβολος hinc abeam, legendum videtur:

> *non ullis frondem* prendentibus *auris.*

Hoc eſt, apprehendentibus & moventibus, quod ex adjecto ſcholio magis confirmatur, ubi ſcilicet legitur, *rapientibus*, quod pro gloſſemate τοῦ *prendentibus*, ſumendum omnino videtur. Sic *inſpirantes ramis arborum auræ*, dixit pariter Cicero II. de Orat. ſimile quoque apud Horat. Plin. Papin. Stat. Senecam & alios. Plura vid. apud Cl. Oudendorpium, qui tamen nihil hic mutandum cenſet, ſed commoda potius conſtructione & explicatione locum juvare contendit, quod & jam dudum Gujetus fecerat.

Denique Lib. VI. v. 642. ſq. de ſtygiis ſacris Hæmoniæ ſagæ Erichthus, ſequentes graves & ſonori verſus decantantur:

Haud procul a Ditis cæcis depreſſa cavernis
In præceps ſubſedit humus: quam pallida *pronis*
Urget ſilva comis.

Diſplicet hic omnino illud *pallida ſilva*, nimisque pallet elegantia & vis verſus, inprimis, quum mox ſequitur, *pallensque ſub antris Longa nocte ſitus.* Quamobrem lubens hic legerim ego:

- - - *quam* pendula *pronis*
Urget ſilva comis.

Quam conjecturam τὸ *pronis comis*, mirum quantum confirmat. Idem vero ſenſus in illis Senecæ, Thyeſte:

Sed taxus & cupreſſus, & nigra ilice
Obſcura nutat ſilva.

Hic enim τὸ *nutat*, idem eſt, ac *pendula pronis*

nis Urget ſilva comis. Sed huc inprimis Claudianus de Bell. Gild. fin.

- - - *non ſilva retardat*
pendula.

qui & Lib. II. in Rufin. extrem. dixit:

- - - *dubio tibi* pendula *rupes*
Immineat lapſu.

Quo & notiſſimus Virgilii locus pertinet, Æn. I.

- - - *tum ſilvis ſcena coruſcis*
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet *umbra*
Fronte ſub adverſa ſcopulis pendentibus, antrum.

Sed taceo plura ſtudio, paſſim apud poëtas, inprimis Papinium Statium aliosque, hoc modo occurrentia. Oſtendit tamen Celeb. Geſnerus ad Quinctil. Lib. I. Inſt. or. cap. 2. pag. 14. *pallorem* idem ſæpe eſſe ac *ſqualorem* & ſordes, & *pallidum* idem ac *ſordidum*, *ſqualidum:* Hinc forte iſthæc noſtra Emendatio minus neceſſaria. Sed hæc jam de Lucano, de quo diximus alibi plura.

CAPUT XXIII.

Galeni locus emendatur, neglecta Caſp. Hofmanni Conjectura.

LOcus legitur apud Galenum Pergamenum extremo V. de uſu Part. human. Corp. 6. de renum nutritione agens, hoc quidem modo: Τόδ' αἷμα τῇ σαρκὶ τῶν νεφρῶν προσκλύζεται καθάπερ ἡ κύστις, κἀντεῦθεν ἤδη κατὰ

 μικρὸν

μικρὸν ἀτμοειδῶς εἰς ὅλην ἀυτὴν διασπείρεται τε καὶ προσφύεται, καὶ τροφὴ γίνεται τοῖς νεφροῖς. In quo quidem loco omnia clara atque perſpicua, excepta unica voce, ἡ κύςις, in qua profecto turpe & inficetum mendum reſidet, quomodo enim quæſo ſanguis renibus affundi poteſt καθάπερ ἡ κύςις, *ceu veſica quædam?* Sane omnes omnino ineptias vinceret, ſi ita ſcripſiſſet Galenus. Hoc igitur probe animadvertens unicus Galeni Soſpitator & vindex, Caſparus Hofmannus, in Var. Lect. Lib. II. cap. 16. locum hunc pro aperte falſo merito declarat, & pro καθάπερ ἡ κύςις, legendum potius cenſet, καθάπερ ἡ δρόσος, *ad inſtar roris:* non male quidem ad ſenſum; peſſime vero, ſi quis priſcæ ſcripturæ veſtigia, ut decebat quidem, accurate hic requirat, quæ prorſus neglecta hic ac proculcata jacent, quæ enim obſecro, convenientia inter τὸ κύςις, & δρόσος? prorſus nulla, ſi quid in his videam. Scripſiſſe ergo potius Galenum opinor, καθάπερ ἡ χύσις, *quemadmodum effuſio & ſcaturigo quædam.* Senſu profecto convenientiſſimo. Fuit & quum legerem, καθάπερ ἴδισις, *quemadmodum tenuis quidam ſudor;* ſequitur enim mox, ἀτμοειδῶς διασπείρεται, quod appoſite utique de ſudore dici poteſt, nec inepte videtur excogitatum. Sed placet tamen altera conjectura ſuperius propoſita. Renatus vero Charterius in ſplendida ſua Galeni Editione, καθάπερ ἰλύς τις, hic exhibet, ſi ex Cod. aliquo antiquo, non male; ſin vero ex ingenio, ut putamus quidem, noſtras conjecturas hac nihilo pejores fore perſuaſi fere ſumus.

Caput

Caput XXIV.

Cornelii Taciti locus quidam depravatiſſimus tentatus, Juſt. Lipſii conjectura laudata.

In Corn. Taciti Vita Agricolæ Cap. 46. hæc leguntur vulgo: *Admiratione te potius temporalibus laudibus, & ſi natura ſuppeditet militum decoremus.* Quæ corruptiſſima & omni ſano ſenſu vacua eſſe, nemo non videt manifeſto. Ideo plurimum ſeſe torſerunt hic Interpretes in hoc turpiſſimo mendo emaculando, ceu videre eſt in Variorum Notis in ſplendida Gronoviorum Editione obviis, neque ſane abs re. Utinam vero tam feliciter conjeciſſent, quam alacriter ſtudium intenderunt ſuum in indagando vero! Nobis interim ita locus conſtituendus videtur: *Admiratione te potiùs, te immortalibus laudibus* (ita acutiſſime & rectiſſime Lipſius,) (*etſi naturam ſuperet militum,*) *decoremus.* Nempe per ironiam, rem miraculo proximam eſſe arbitratur Tacitus, in milite exemplar virtutis & generoſi Honeſti deprehendi poſſe, quum depravata militum natura ea plerumque eſſe ſoleat, ut mores humanos exuant, & belluinos contra induant, ſecundum illud tritiſſimum Lucani:

Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.

Agricola contra in eo naturam militum communem plane ſuperaverat, dum virtuti unice ſtudendo, vitiisque & licentiæ militari renunciando, omnibus bonis & honeſtis totum ſe-

ſe probaſſet. Teſtis ipſe Tacitus ſupra Cap. V. *Nec Agricola licenter more juvenum, qui militiam in laſciviam vertunt, neque ſegniter ad voluptates & commeatus titulum tribunatus & inſcitiam rettulit: Sed noſcere provinciam, noſci exercitui, diſcere à peritis, ſequi optimos, nihil appetere jactatione, nihil ob formidinem recuſare, ſimulque anxius & intentus agere,* &c. In quibus non laſcivum aliquem & licentioſum militem; ſed ſeverum potius & omnibus virtutibus ornatum philoſophum deſcribi, meritò quis dejeret. Atque hinc recte dixiſſe videtur Tacitus, Agricolam naturam militum omnino ſuperaſſe, dum admiratione & immortalibus laudibus condecorandus veniat, & vel poſt fata in exemplum omnium virtutum poſteris ſit proponendus. Fuit &, quum legerem: *&, ſi ſuppetet, armatura militum decoremus.* Sed quoniam in hac poſtrema conjectura nimium emendationis & tranſpoſitionis; ideo prius dicta magis placent, quod non tam violenta medicina loco male affecto fuerit adhibita.

Caput XXV.

Dionyſius Longinus bis emendatus, relictis aliorum ſuſpicionibus. Boivinius, Bartholinus & Iſ. Voſſius merito laudati.

In potentiſſimi Rhetoris Dionyſii Longini aureolo Libello περὶ ὕψυς, ſive de ſublimitate dictionis, ſequens inprimis locus Eruditos diu multumque exercuit, qui certatim, ut notum, in præ-

præſtantiſſimum hoc opus commentati fuerunt. Legitur vero ille Sect. XXXIX. ubi de compoſitione tractatur, dataque occaſione de rhythmo harmonico tibiarum fidiumque in Cithara, ejusdemque miro & ſtupendo plane etiam in rudiorum & muſices imperitorum mentes, effectu, eleganter agitur. Verba quidem hæc ſunt: Κἂν ἄλλοις ὅσοι παντάπασι, καὶ, νὴ δία, φθόγγοι κιθάρας, οὐδὲν ἁπλῶς σημαίνοντες, κ. λ. In quibus nec ſenſum ſibi conſtare, nec ſyntaxin, palam liquet: unde & in primis Editionibus fatale aſteriſci ſignum jure huic deſperato loco præfixum conſpicitur, quod ut tollerent atque expiarent cultiorum temporum ſequentium eruditi Commentatores, nihil facile prætermiſerunt. Tanaquillus ergo Faber legebat: ἄλλως τε καὶ ἐπεὶ, νὴ Δία, οἱ φθόγγοι τῆς κιθάρας, nimis profecto audacter, pro ſolito ſcil. more: nihilo vero melius Jac. Tollius hunc quidem in modum: ἀλλὰ καὶ ὅσοι παντάπασι: Cl. denique Boivinius divinabat: Κἂν ἄμουσος ᾖ, omnium optime adhuc & ad hunc locum appoſitiſſime. Eundem enim plane in modum Maximus Tyrius dixit Diſſert. XXXVII. p. 371. Edit. Heinſ. ἤδη τὶς καὶ ὑπὸ αὐλημάτων ἀνὴρ ἄμουσος διετέθη μουσικῶς. Mihi tamen minore adhuc cum licentia legendum videtur: Κἂν αὐλοῖς ὡσεὶ παντάπασι, (ſcil. οἱ φθόγγοι, quod mox ſequitur,) hoc ſenſu: *& in omnibus propemodum tibiis, ſeu tibiarum generibus, immo per Jovem! ſoni etiam citharæ nihil per ſe ſignificantes, auditorum tamen mentes*

mire

mire percellunt & ſingulari ſuavitate deliniunt.

Scilicet de αὐλοῖς, ſive tibiis, in antecedentibus modo dixerat, unde recte nos conjeciſſe putamus, κἂν αὐλοῖς, pro κἂν ἄλλοις, inprimis quum facillimus omnino lapſus ſit inter utrumque, ut liquido patet. Ἐν αὐλοῖς vero παντάπασι, ideo dixiſſe videtur, quod innumeræ fere tibiarum ſpecies olim eſſent, quæ & figura, & modulatione, & tractandi atque inflandi modo, mirum quantum inter ſeſe differrent, ut præclare & erudite oſtendit Caſp. Bartholinus in egregio *de Tibiis Veterum*, Libello, & dudum ante eum, Athenæus Deipnoſ. Lib. XIV. Sed de his hactenus.

Mox vero in ipſo contextu ſequitur: θαυμαςὸν ἐπάγουσι πολλάκις ὡς ἐπίςασιν, θέλγητρον, ſcil. οἱ φθόγγοι. Ubi pro τῷ ἐπίςασιν, Tan. Faber ſubſtituit, ἐπίςασαι, approbantibus fere cunctis Editoribus ſequentibus: ſed forte ſcribendum potius ὡς ἔκςασιν, vel quod idem, ἐς ἔκςασιν, hoc eſt, *ad ſtuporem & ecſtaſin uſque*, inſtrumentorum muſicorum ſoni auditores percellunt & permulcent, quod notum ex Iſ. Voſſio & aliunde. Quæ enim hic de mirabili rhythmi harmonici vi atque effectu in audientium mentes & affectus, obiter tangit Longinus noſter; ea longe elegantius, copioſius doctiusque perſequutus eſt Vir quondam ſummus Iſaacus Voſſius, in reconditæ eruditionis Libro ἀνωνύμως edito, *de poëmatum cantu & viribus Rhythmi*, ubi præter alia multa lectu omnino jucunda atque utilia, etiam ſtupenda aliquot exempla de in-

audito

audito & incredibili fere Muſices effectu in medium afferuntur, digniſſima utique, quæ attente legantur.

Caput XXVI.

Seneca philoſophus bis emendatus, aliorum Clariſſimorum virorum conjecturis inſuper habitis.

Seneca Libro II. de Ira, Cap. 35. *Senex*, inquit, *aut infirmi corporis eſt, qui cum ambulare vult, currit.* Nemini hic mendi ſuſpicio ſuborta fuit, licet manifeſto ſeſe prodat, adeo, ut fere pro menda typographica habuiſſem, niſi omnes, quas equidem vidi, Editiones ita exhiberent. Quis enim unquam audivit, ſenem aut infirmi corporis ægrotum currere poſſe, aut curſum pro infirmitatis ſigno eſſe accipiendum? Quare vix dubium, quin legendum hic fuerit: *qui, cum ambulare vult, corruit.* Senſu me judice, manifeſto & perſpicuo. Noſtram vero hanc conjecturam validiſſime confirmat Seneca alter, pater, controverſ. 33. Lib. V. pag. 298. *Surge tu debilis; conatur, & CORRUIT.* Quid nunc Clarius, quid quæſo apertius? huc & Cicero Orat. II. in Catilin. *qui homines primum ſi ſtare non poſſunt, corruant.*

Idem Philoſophus, Epiſt. XVIII. *Non eſt nunc*, ſcribit, *quod exiſtimes me ducere te ad modicas cœnas.* Sana hæc videntur; ſed non ſunt: Variant enim & turbant Libri veteres, qui teſte Lipſio

Lipſio, aut *admoveas cœnas*, exhibent, aut *moneas cœnas.* Unde *modicas cœnas*, fingebat Muretus, *medicas*, Lipſius, *monas*, Scaliger, & *Timoneas*, Turnebus; quæ Scaligeri atque Turnebi commenta non improbabat Lipſius. Omnes hic bene conjeciſſe mihi videntur; nemo optime. Suſpicor enim, omnino ſcriptum fuiſſe olim, *ad mimicas cœnas*, h. e. ad cœnas, in ſpeciem ſaltim pauperes & ſordidas ſicque ſimulatas, ſequitur enim mox: *Grabatus ille verus ſit, & ſagum, & panis durus ac ſordidus:* unde non leve pondus conjecturæ noſtræ accedit. *Mimica cœna* vero idem hic eſt ac *mimica mors*, apud Petron. Cap. XCIV. & *mimica ars*, apud eundem, h. e. mors & ars ſimulata ac veræ morti & arti oppoſita; *Cœnarum imaginem*, alibi dixit Petron. de quo nos alibi plura. Mox vero ipſe noſter Epiſt. XX. *imaginariam paupertatem*, vocat, quam hic *mimicam*, aut *mimicam cœnam*, dixit, & adhuc magis appoſite ad noſtrum locum, Epiſt. XXVI. *Numquid ſimulatio fuerit & mimus.* Sed jam ſatis de Seneca, plura impoſterum.

CAPUT XXVII.

Corruptiſſimus & hactenus tantum non immedicabilis Eruditis viſus Ciceronis Locus partim MSti Cod. auctoritate, partim ex ingenio, reſtitutus.

IN cultiſſimis magni Ciceronis operibus complures adhuc ſupereſſe nodos fere inextricabiles

biles & ænigmata ſolutu difficillima, ipſa eorundem ſedula lectio quemvis lectorem haud ſupinum uberrime edocebit, & inſuper perſpicue ſatis oſtenſum fuit a doctiſſimis Viris, Grutero, Manutiis, Lambino, Victorio, Turnebo, &, ut Grævium aliosque recentiores hic taceam, ab Andrea inprimis Schotto in Nodis Ciceronianis.

Nodorum horum ſi non primus, certe non poſtremus, omnium quidem ingenua confeſſione, habetur ſequens locus e Lib. III. de Natura Deor. Cap. 35. ubi de crudeliſſimo Siculorum Tyranno, Dionyſio patre, ſermo eſt, ut & iterum Lib. V. Quæſt. Tuſculanar. qui poſt horrenda in Deos ſacrilegia, ſæviſſimas in homines cædes, aliaque ſceleroſa & impia facta, per integros XXXVIII. annos impune patrata, rariſſima Tyrannis alioqui ſorte; ſine cæde & vulnere, & ſicca potius morte, ad inexorabilem Cereris generum, ut poëta ait, deſcendiſſe, animam turbulentam & tot propudioſis flagitiis inquinatam placide in lectulo ſuo reddidiſſe, demumque regia & magnifica pompa funerea elatus ibidem narratur. En autem ipſa illa Ciceronis verba controverſa: *Hunc igitur* (Dionyſium Tyrannum,) *nec Olympius Jupiter fulmine percuſſit, nec Æſculapius miſero diuturnoque morbo intabeſcentem interemit: atqui in ſuo lectulo mortuus*, in Tympanidis rogum *illatus eſt: eamque poteſtatem, quam ipſe per ſcelus erat nactus, quaſi juſtam & legitimam, hæreditatis loco, filio tradidit.*

Hic omnia ſane clara & perſpicua, præter-

terquam illa, *in Tympanidis rogum illatus eſt*: quod profecto monſtrum eſt horrendum, ingens, deforme, cuique omne ſanæ rationis & intellectus humani lumen ademtum, ut vel mediocriter docto in oculos ſenſusque ſtatim incurret. Igitur non mirum, omnes fere eruditos & ſolertes Commentatores huc unanimi conſenſu, conjunctisque viribus, concurriſſe, omnesque machinas & ingenii nervos acerrime intendiſſe, ut ſcævum hoc atque obſcœnum portentum ex ornatiſſimo alias Ciceronis loco vel in ſqualidas & remotiſſimas terras exportarent, vel in ipſum rogum inferrent, ut avidis flammis æternum ſepeliretur, nec unquam in dias luminis oras tetro aſpectu, rediret.

Multa ergo variaque excogitarunt iſti, pro ingenii modo, aut modulo, ut ſanarent locum peſſime affectum & vel ab injuria temporum, vel incuria librariorum contaminatiſſimum & inquinatiſſimum; quæ omnia pæne in unum collecta exhibet Cl. Verburgius in ſubjecta ibi obſervatione bene longa; ubi videri & legi poſſunt per otium ab iis, quibus volupe; nobis enim, ut ingenue quidem fateamur, ita comparata videntur iſta commenta omnia, ut nihil faciant prorſus πρὸς τὸν Διόνυσον, ut in proverbio eſt, vel potius πρὸς τὸν Διονύσιον, ideo nolumus ea hic faſtidioſe repetere, nec de ridiculis Lambini *Tympanidiis*, aut de Victorii *Tyrannidis* (quam Lambini emendationem aut corruptionem potius annotare oblitus eſt Verburgius,) quidquam commemorare. Tædet quoque

quoque hic infeliciſſimam Petri Petiti, viri alias doctiſſimi, conjecturam recoquere, & hoc vetus quaſi ulcus refricare, qua Lib. I. Miſcell. Obſervat. Cap. 4. pag. 19. ſola levi nominum idem fere ſonantium congruentia, inductus, legendum infauſto ſidere conjiciebat, *in Thymaridæ Heroum illatus eſt*, licet ipſum, qua erat ſcilicet eruditione, nequaquam fugeret, hoc ſuum periculum criticum & fidei hiſtoricæ aperte refragari, & luculentis graviſſimorum Auctorum Diodori Siculi & Plutarchi teſtimoniis directe adverſari: Eodem enim jure & eodem fundamento, ſcilicet nullo, legere quoque potuiſſet clariſſ. noſter Petitus, *Timandridæ Heroum*, cujus meminit Ælianus, Lib. XIV. Hiſtor. Var. cap. 32. ut taceam jam plures ejusmodi inanes prorſus hariolationes, quas quivis ſibi vel in ſomniis facile fingere poteſt, ſit venia dictis.

Longe igitur felicior fuit conjectura Fazelli, legentis hic, *Triumphantis in modum, in rogum illatus eſt*, quæ ideo noſtram & cujuſvis eruditi attentionem & plauſum meretur, quod ea mirifice placuit viro longe doctiſſimo & Critico acutiſſimo Jeremiæ Marklando, in ingenioſiſſima Epiſtola Critica ad Rev. Franciſc. Hare, pag. 27. ubi eum veritatem proxime acceſſiſſe, non vero ipſam attigiſſe, monet; quam ipſe proin præſtantiſſimus Marklandus jam tandem reducit ex MS. Regio, qui *Vit impanitis rogo*, exhibebat, unde ipſe ſcribere jubet: *in Triumphantis toga elatus eſt*; (quemadmodum Iſidorus Hiſpalenſ. Lib. XVIII.

 cap. 11.

cap. 11. Orig. ex vetere forſan Auctore, ſcripſit: *Purpuream & palmatam togam triumphantes induebantur:* quem locum emendatum, poſt Petavium, exhibet Cl. Wagenſeilius, ad Tela ignea Satan. pag. 275. ſed hæc obiter,) quæ ipſi conjectura, ut pote feliciſſime excogitata, mire adblanditur, (ut ipſe quidem ait, non ego.) Nec inficiandum ſane eſt, eam eſſe perquam ingenioſe inventam, pro more nempe ſuo ſolito, valet quippe mira prorſus ſagacitate in depravatis veterum Auctorum locis facile detegendis, detectisque maculis feliciter detergendis & εὐςόχως plane emendandis.

Interim pace clariſſimi viri, videamus, num ſuppeditata Veteris Mſ. Codicis Regii lectio iter nobis monſtret ad certiorem adhuc & probabiliorem conjecturam inveniendam. Quid enim quæſo corrupta illa verba *Vit Impanitis*, repræſentent aliud, quam *Vita Impunitùs?* ut quivis protinus videt, etiamſi luſcus, aut pæne cæcus fuerit? Idque ideo magis, quod Lactantius, aſſiduus ille Ciceronis noſtri imitator, poſt late recenſita hæc Dionyſii facinora, iisdem pæne verbis utatur, Lib. II. Inſtit. div. cap. 4. *Hæc ille fecit impune.* Simile pæne habet de eadem hiſtoria Arnobius, Lib. VI. adverſus Gentes. Ceterum *impunitus*, ſæpius apud noſtrum Cic. in Catilin. Verr. & alibi item Livium & alios. Ita & Dionyſ. Hal. Lib. XI. dixit συμφορὰς ἀτιμωρήτες. Et hanc ipſiſſimam fuiſſe Tullii noſtri manum, mihi veriſimillimum videtur, ideo potiſſimum, quod

in

in iſto Libro III. de Nat. Deor. περιμάχητον illud Stoicos inter præſertim, Problema diligenter, acute & docte excutitur; ſi providentia divina ſit, unde malis in vita eveniant bona, Bonis contra mala, curque illi pro ſceleribus impuniti maneant, hi vero pro virtutibus nulla præmia reportent? de quo videndi Seneca innumeris locis, Marc. Antoninus, Arrianus ad Epictet. Plutarchus ſingulari Libro, de ſera Numinis Vindicta, & ipſe Noſter Cicero paſſim alibi: item e Chriſtianis Auguſtinus, Lactantius, Minucius, Arnobius, Boethius, de Conſolat. philoſoph. Lib. IV. Baſilius M. Gregor. Naz. inprimis Joann. Chryſoſt. Lib. III. de providentia & alibi ſæpius, & quis non? e recentioribus vero Lipſius in phyſiologia Stoica, ut & Lib. II. de Conſtantia, Suaningius in Theologia Senecæ, Cudworthus in Vaſto inexhauſtæ eruditionis opere, Syſtemate ſcil. intellectuali, ubi pag. 88. hic ipſe Ciceronis locus allegatur; Sed quod mirum, inemendatus, item Grotius, Lib. de Verit. Relig. Chriſt. & Buddeus in Lib. de Atheiſmo & Superſtitione, ut alios plures jam taceamus, qui de hac ardua & ſalebroſa materia quidquam fuerunt commentati. Cicero ergo, ut ad eum quidem revertar, ſub Balbi aut alius adverſarii perſona, probaturus, doctrinam de providentia in his terris, inſuperabilibus fere difficultatibus (ex cæcorum quidem paganorum opinione,) adhuc premi, inter alia ſingulare inprimis Dionyſii impii & ſceleſtiſſimi Tyranni exemplum in contrarium

adducit, qui non obſtante vita ſua flagitioſiſſima & in omnia ſcelera infanda projectiſſima, per duos tamen de XL. integros annos opulentiſſimæ & beatiſſimæ civitatis Tyrannus fuerit, fortunam ſibi quaſi famulantem & ad nutum fere obſequioſam habuerit, ſicque ultimas ferme crudæ ſenectutis metas læte & tranquille attigerit, tandemque nec crudeli funere peremtus, nec miſero diuturnoque morbo lente enectus; ſed in lectulo potius ſuo placide mortuus, pompaque deinde regia & magnifica prorſus elatus fuerit, ſicque *vita impunitus*, e vivis exceſſerit, nec data ulla pro tot horrendis ſceleribus pœna, placidiſſime expiraverit, ita ut ſanctiſſimi & integerrimi alicujus viri morte mitiſſime & beatiſſime extinctus videri poſſet. Hanc quippe ſolam genuinam loci hujus Ciceroniani eſſe mentem vimque & ſcopum ratiocinii aut concluſionis, ut in ſcholis quidem loquuntur, nemo credo, facile negaverit, qui ipſam Contextus Ciceroniani cohærentiam ſedulo & attente conſideraverit. Adeo, ut hinc *Vita impunitus*, apud Ciceronem idem plane ſit, ac apud Valerium Max. in eadem Hiſtoria, *debita ſupplicia non exſolvit*, Lib. I. Cap. 1. Extern. 3.

Vix ergo mihi ſupereſt dubium, quin deſperatus hic & conclamatus pane locus Tullii in poſterum ita legi & conſtitui debeat, ex rationibus hactenus datis: *Vita impunitus*, *rogo illatus eſt*, (quemadmodum ita Plinius, Lib. VII, Cap. 44. *Metellus quatuor filiis illatus rogo*,) vel quod magis placet, quod ad poſterius, *regie*

regie elatus eſt, nihil enim de combuſtione cadaveris commemorant Auctores; ſed Diodorus Siculus Lib. XV. pag. 496. expreſſis verbis potius ſcriptum reliquit, τὸν πατέρα μεγαλοπρεπῶς θάψας, quod latine optime reddi poteſt, *patrem regie extulit*, junior ſcil. Dionyſius. Verbum autem *efferri*, funebre eſſe, notum eſt ex Kirchmanno, Kippingio, Roſino & Emmeneſſeo ad Virgilii Georg. IV. ex de la Cerda, & probatum quoque a Cl. Marklando; miror vero, eum non ipſum noſtrum Ciceronem laudaſſe, qui in hoc ipſo Libro paullo ſuperius eodem modo dixerat: *Cur Maximus* extulit *filium conſularem?* quomodo & Seneca, de Paſtore ſplendido equite Romano: *Eo die, quo filium extulerat, imo, quo non extulerat.* Lib. II. de Ira, cap. 33. ut taceam infinita alia, ita Livius, Lib. XLI, cap. 16. *funere magnifico elatus ſepultusque eſt*, & Lib. XXXVIII, 55. *mortuum elatumque Scipionem*, æque ac in noſtro Ciceronis loco. Sed de his quidem hactenus.

Priusquam autem in hanc conjecturam inciderem, cujus cur me unquam pœniteat, nullam ſane reperio cauſſam, legendum aliquando putabam: *In thymiamatis rogo illatus eſt*, vel, *in thymiamatis regum elatus eſt*, nempe ἐν θυμιάμασι. *Thymiamata* (qua voce & puri Latini Auctores utuntur, ut ſæpius Celſus Lib. V. & VI. aliique,) ſcil. Θυμιάματα, ſunt ſuffimenta ſuave olentia & pretioſa odoramenta, quæ in magnatum & regum rogos larga manu & ingenti ſumtu conjecta una

cum cadaveribus comburebantur, qua de re videri meretur Kirchmannus, de Funer. Romanor. Lib. III. Cap. 5. pag. 225. ſqq. item Kippingius & alii. Inde Herodianus, Lib. IV. Cap. 2. ubi de ἀποθεώσει Imperatorum tractat, expreſſis verbis ſcribit: ἐς δὴ τὸ οἴκημα τὸ δεύτερον ἀνακομίσαντες τὴν κλίνην, τιθέασιν ἀρώματά τε καὶ θυμιάματα πάντα, ὅσα γῆ φέρει, & paucis interjectis adhuc clarius: πάντα δὲ ῥᾶστα ἀνάπτεται, εὐμαρῶς ὑπὸ τοῦ πυρὸς, φρυγάνων τε πλήθους καὶ θυμιαμάτων ἐπιτεθέντος; quæ hanc noſtram conjecturam egregie & prævalide confirmare videntur.

Fuit &, quum legerem, *in diadematis rogo illatus eſt*, vel *in diadematis regum elatus eſt*, vel, *diadematus rogo illatus eſt*; hoc eſt, cum regum inſignibus, coronis & cimeliis.

Sed licet hæ conjecturæ non infeliciſſime, ut modeſtiſſime quidem de me meisque loquar, excogitatæ ſint; ſordent tamen atque vileſcunt plane præ illa ſupra propoſita, qua legendum eſſe docuimus & demonſtravimus: *Vita impunitus*, (niſi forſan quis malit, *Ita impunitus*, eadem ſcil. emphaſi,) *regie elatus eſt*. Sed hæc tandem ſufficiant.

OBSERVAT. CRITICAR. LIBRI PRIMI FINIS.

DANIE-

DANIELIS WILHELMI TRILLERI OBSERVATIONVM CRITICARVM

LIBER SECUNDUS.

Caput I.

Diogenis Laërtii locus quidam difficillimus poſt varios irritos conatus & infelices hariolationes Eruditorum, denuo tentatus. Duplex Eliſſus fluvius. *An in alterutrum projectus fuerit poſt fata Diogenes Cynicus?* Ἀλισμὸς idem ac ταρίχευσις. Ἐμβάλλειν εἰς ἀλισμὸν, *quid?* ἀδελφοί, *de canibus. Alia quædam conjectura de hoc Diogenis Laërt. loco.*

INexplicabilis fere nodus ſtrenuo inprimis vindice dignus, occurrit apud Diogenem Laërtium, Libro VI. Segm. 79. in vita Diogenis Cynici, ubi de ambigua ejus ſepultura, hæc inter alia leguntur: Οἱ δὲ, εἰς τὸν Ἐλισσὸν ἐμβάλλειν, ἵνα τοῖς ἀδελφοῖς χρήσιμος γένηται; *Alii autem ſe in Eliſſum immitti voluiſſe tradunt, ut ſic fratribus utilis eſſet.* Hic vero ſumma & ardua difficultas oritur circa vocem Ἐλισσὸν, vel, ut Ælianus in Var. Hiſt. VIII, 14. habet, Ἰλισσὸν: Sive enim pro fluvio Atticæ, ſive Corinthi, acceperis vocem hanc

Ἐλισσὸν; neutrum tamen huc quadrat, quomodo enim ſic prodeſſe poſt obitum fratribus ſuis poterat Diogenes, ſi ipſius cadaver in fluvium Eliſſum fuiſſet abjectum? Hanc igitur inextricabilem fere difficultatem probe perſpicientes viri doctiſſimi, in varia anxie abierunt, ut loco deſperato ſuccurrerent, & diverſas emendandi vias excogitarunt, ut ſanus ſenſus emergeret, ceu videre eſt in doctiſſimis obſervationibus Menagianis in hunc locum, pag. 255. ſqq. ubi omnes fere doctorum hariolationes & divinationes conjunctim exhibentur.

Sed ut verum fatear absque invidia, omnes ita mihi comparatæ videntur, ut nec aſſenſum mereantur, nec locum corruptum multum juvent.

Sic eruditus quidam Anonymus legebat ibidem: εἰς τὸν ἕλειον, *in locum paludoſum*, cui conjecturæ plurimum favet ipſe Menagius. Sed ut taceam neglectam nimis litterarum vicinitatem inter ἐλισσὸν, & ἕλειον; eadem iterum moleſta hic quæſtio oritur, quomodo ſcilicet utilis eſſe potuiſſet Diogenes, ſi quidem in paludem fuiſſet conjectus? Simile vero quid legiſſe Aldobrandinum, patet haud obſcure ex ejus verſione, *ſupra ſtercus projici*. Ipſe autem Menagius nodum hunc non circumſpecte ſolvit; ſed audacter potius ſecat, dum verba controverſa εἰς τὸν ἐλισσὸν, plane expungenda cenſet. Verum hac ratione omnis difficultas facillime ſuperanda eſſet, modo hæc methodus applauſum & laudatores inveniret;

ideoque

ideoque nulla prorſus hic Menagii, ſummi cetera viri, habenda eſt ratio. Stephanus denique Monachius, vir incomparabilis alias, minus tamen feliciter, hic emendabat, *εἰς τὸ ἄλσος, in lucum*: Sed quæ obſecro, convenientia eſt inter τὸν ἐλισσὸν, atque τὸ ἄλσος? & quomodo Diogenes mortuus ſic fratribus ſuis utilis eſſe poterat, ſi & in lucum fuiſſet abjectus? Omitto plura congerere: interim ex hactenus allatis perſpicue patet, quam περιμάχητος atque variis conjecturis & ſuſpicionibus opportunus hic ſit locus.

Igitur poſt tot ſummorum virorum irritos ut plurimum conatus, nec mihi ſpero, venia denegabitur, ſi & ego conjecturam meam ſuper hoc loco tenebricoſo, modeſte protulero, inprimis quum ea ſuperius allatis ſi non melior, at certe nihilo deterior videatur.

Legéndum ſcilicet ſuſpicabar: *εἰς τὸν ἁλισμὸν ἐμβάλλειν*, h. e. *in ſalituram conjicere*, ſive *corpus ſale condire*, ut ſic ab omni fœtore & putredine liberum in plures annos durare poſſet. Eſt vero ἁλισμὸς idem ac alias ταρίχευσις & ταριχεία, quod apud Ariſtotelem & Plutarchum &c. occurrit. Ita apud Eunapium, in Vita Maximi legitur, καὶ οἱ γε ὕειοι τῶν ἀρταμων ἁλισμοὶ, h. e. *ſuillæ coquorum ſalſuræ*, ut ſcite emendabat Petr. Petitus, Lib. II. Miſcellan. Obſerv. Cap. 6. pag. 96. niſi potius ſcribendum fuerit ὑειχοὶ, quod ſenſu idem, & veteri ſcripturæ magis reſpondet, aut ἀκανικοὶ, pungentes & aculeati quaſi ſales: eodem ſenſu & κρέα ἐν ἁλσὶ, dixit Dio Chryſoſt. Orat. VII. pag. 107.

Qua emendatione nec coacta nimis, nec longius petita, admiſſa, optimus ſane & elegantiſſimus emergit ſenſus. Nimirum, ne præceptoris atque Magiſtri ſui ocyus nimium obliviſcerentur; atque cum ſepulto corpore vel ejus memoriam ſepelirent diſcipuli, aſſeclæ & fratres, Diogenes moriturus hinc præcipiebat, (quamvis per jocum, ut quidem videtur,) ut cadaver ſuum ſale conditum atque ſic incorruptum, ipſis ante oculos poſitum maneret, in quod ſedulo intuentes, Magiſtri & fratris ſemper recordarentur, atque præceptorum ejus memores, in monſtrato vitæ itinere, libero illo & nullis legibus aut vulgi opinionibus adſtricto, fortiter pergerent. Sicque omnino χρήσιμος εἶναι poterat ἀδελφοῖς, etiam poſt fata, & ipſo ſuo cadavere alias inutili. Quo minus enim exiſtimem, per ἀδελφοὺς, ſive fratres, *canes* hic intelligi debere, ut viſum quidem Menagio, obſtare inprimis videntur hæc antecedentia in Diogene Laërtio: *ἄταφον ῥίψαι, ὡς πᾶν θηρίον αὐτοῦ μετάσχοι, inſepultum abjici cadaver, ut omnis beſtia* (ſcil. carnivora) *ipſius particeps eſſet.* Quis enim canes hic excludat animal carnivorum & cadaverum inſepultorum inprimis adpetens, ut notum?

Heu! terra ignota canibus date præda Latinis
Alitibusque jaces.

Ait poëta, Æn. Lib. IX. h.e. ut Jacobus exclamat apud Philonem Jud. de Joſepho, p. 414. ἀτιθάσσοις καὶ σαρκοβόροις θηρσὶν εὐωχία καὶ θοίνη γέγονας.

Et

Et ſic Lucanus,ſic Martialis,ſic ipſe Homerus,ſtatim initio Iliados, item & Odyſſ. Lib. III, 259. ſic Sophocles in Antigone, aliiq; plures, canes odoriſequos ſemper conjungunt cum alitibus carnivoris, ubi de inſepultis cadaveribus in deteſtationem publice projectis loquuntur; Vid. Collecta hac de re ab ill. & *κριτικωτάτῳ* Rich. Bentlejo, ad Horat. Epod. X. pag. 319. huc & Plutarchus in Artaxerxe, pag. 1020. *Τῶν στρατηγῶν τοὺς μὲν ἄλλους ὑπὸ κυνῶν σπαράττεσθαι καὶ ὀρνέων*, quomodo nempe ipſe Jeremias Cap. XV, 3. in atrociſſimis diris, pariter dixit, *τοὺς κύνας εἰς διασπασμὸν, καὶ τὰ Θηρία τῆς γῆς, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ εἰς βρῶσιν καὶ διαφθοράν*, ſecundum LXX. Interpp. rectiſſime ſcilicet. Nam in ipſo contextu Hebræo הכלבים עוף שמים בהמת הארץ *canes, volucres cæli, & beſtiæ Terræ*, perquam appoſite conjunguntur, verum hæc nota. *Πᾶν* ergo *θηρίον* hic haud dubie canes etiam comprehendit. Imo per me licet, & *ἀδελφοὺς* pro canibus hic aliquis ſumat. Nam ne tunc quidem ſenſus ineptus: Volebat ſcilicet Diogenes cadaver ſuum ſale conſpergi & muria condiri, quo fratres ſui canes ſuis carnibus ita opipare præparatis & *ἀλιπάστοις*, ut Euſtathius atque Athenæus loquitur, diutius veſci & lautiſſimas exinde epulas habere poſſent. Ex hactenus ergo diſputatis nunc perſpicue ſatis patere arbitror, nullam forte meliorem medicinam loco huic depoſito pæne atque conclamato adferri poſſe, quam legendo, *εἰς τὸν ἁλισμὸν ἐμβάλλειν*, inprimis, quando facillimus omnino lapſus ſit

in

in majuſculis litteris, inter ΕΛΙΣΣΟΝ & ΑΛΙΣ-ΜΟΝ, ut ad oculum ſcilicet patet. Succurrebant quidem & alia plura. Ita legendum quondam conjiciebam, εἰς τὴν ἠλυσίην ἐμβάλλειν, h. e. *in viam publicam projicere*, ἠλυσίη enim teſte Heſychio, eſt ὁδὸς, ſive *via*: porro in mentem etiam veniebat ſubſtituere, εἰς τὴν ὕλασσαν ἐμβάλλειν, h. e. *in ſtruem ſarmentorum conjicere*, ἐςὶ γὰρ ὕλασσα, ἡ ξυλία καὶ φρυγανισμὸς, eodem Heſychio interprete, licet aliud viſum Salmaſio. Sed quia jamjam Diogenes dixerat ἄταφον ῥίψαι, *inſepultum abjicere*; hæ emendationes, licet nec infelices prorſus, nec abſonæ, mihi omnino ſupervacuæ videbantur.

CAPUT II.

Apuleji Apologia poſt Scaligerum & alios, bis emendata. Sabazius & Sybariticus, *de homine vinoſo, molli & luxurioſo.* Ructus ſentina, *item* halitus cadi, & ὄζειν οἴνου, *de potoribus vinum redolentibus.*

APud Apulejum, in Apologia, pag. 68. Edit. Pricæ, de Craſſo calumniatore hæc ſcripta leguntur: *Nam equidem hic ſabra tecum heſterna die obructantem.* Ubi nemo gentium, immo nemo credo geniorum, ut plus dicam, explicare valebit, quid ſit monſtroſiſſimum illud *ſabratecum*, prout in Codice Florentino exaratum eſt. Non ergo mendoſiorem ullum in tota Apuleji Apologia locum hoc quidem præ-

præſenti, occurrere, omnes ingenue faſſi ſunt eximii Commentatores, quem proinde ut emacularent, nulli omnino operæ pepercerunt, nec ſudori; quo vero ſucceſſu, apparebit liquido ex Notis Elmenhorſtii, pag. 346. Interim ſummi Joſephi Scaligeri acutiſſimam conjecturam, qua *hanc fabram techinam*, ſubſtituebat, hactenus ceterorum omnium divinationibus palmam præripuiſſe, ibidem obiter docetur.

Mihi tamen in ſola iſta acquieſcendum non videtur, inprimis, quum & alia occurrant animo nihilo pejora, immo & paullo probabiliora. Quid enim obſecro prohibeat legere: *Hunc Sabazium tibi obructantem?* Nempe *Sabazius* eſt Bacchi cognomen, ut notum, præter plures alios, ex Strabonis Lib. X. pag. 535. & inprimis Scholiaſt. Ariſtoph. ad Veſpas, Aves & ad Lyſiſtratam, & huc optime quadrat ad ſtrenuum ſemperque ebrium potorem. Longe tamen veriorem conjecturam eſſe arbitror hanc: *Hunc Sybariticum tibi obructantem.* Notum ſcilicet & de Sybaritis, ex Athenæo, Plutarcho, Æliano, Suida, Heſychio, Apoſtolio & innumeris fere aliis, quam molles, luxurioſi & vinoſi fuerint, ut & hinc in proverbium abierint, de quo vid. Eraſmum in Adag. *Sybariticus* ergo hic eſt homo luxurioſus, mollis & vino devotus, quod huic loco optime convenit, ut quivis deprehendit ſtatim faciliime. Poſſet quoque legi, *hunc ebriacum*, quam vocem aliqui Plauto reddendam cenſent, teſte Taubman. vel denique, *Saburratum*, de quo vid.

vid. Deſ. Eraſmus, in Sylloge parœmiarum, inprimis autem Plautus ipſe in Ciſtellaria.

Sed, jam ad alterum locum æque corruptum & medicinæ indigum. Mox pag. 69. ſcriptum legitur: *ructus Nam.* Sana prima quidem fronte hic omnia: ſed ulcus tamen ſubeſſe, teſtatur Cod. MS. Florentinus, qui clare exhibet, *ructu ſpinam*, unde ingenioſe fingebat Pricæus, *ructus popinam*, pag. 142. aliorum enim conjecturas ibi ſimul allatas haud moror. Forſan tamen nec ineptius legendum fuerit, *ructus ſentinam*, ſic enim *cloacam ventris & ſentinam oris*, eadem elegantia dixit Claudian. Mamertus, Lib. II. de ſtatu Animæ, cap. 9. ceu ibidem opportune monet Pricæus, ex Brantio non laudato, oblitus licet una indicare, vel Apulejum ipſum ſic ſcribere potuiſſe, vel reipſa ſcripſiſſe, ut nobis quidem videtur. Quo & vel maxime facit Sidonii Apollinaris locus, Lib. III. Epiſt. 13. pag. 80. in graphica quidem ſed & faſtidioſa deſcriptione perditiſſimi cujusdam gnathonis & nebulonis. *Mephiticum odorem ſuper cumulat eſculenta ructatio de dapibus heſternis, & redundantium* ſentina *canarum.*

Sed poſſet quoque non incommode legi, *ructus ſapam*, vel *ructus vappam*, quæ proxime ſane accedunt ad corruptum illud *ructu* aut *ructus ſpinam*, & ſenſum utique concinnum & acutum conſtituunt. Sic in Oda Anacreontica, a Caſaubono, ad Athenæ. Lib. XV, cap. 4. pag. 953. primum publicata, pari ſenſu dicitur, τὸ χεῖλος ὄζειν οἴνου, *labium redolebat vinum*, ſicut & in Antholog. Lib. I, cap. 59, 7.

ἔπνεεν

- - - ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὄδωδεν πίθου.

Item B. Jo. Chryſoſtomus Homil. XXXIX. in 1. Cor. XV. Tom. V. opp. pag. 447. ὅταν ἐρεύγηται συνεχῶς ἀηδῆ, καὶ σεσηπότος οἴνου πνέῃ. Et Plinius non minus eleganter de inſanis potoribus: *poſtera die ex ore halitus cadi*, Libro XIV, cap. 22. Qualia & Seneca, Plutarchus, Stobæus & alii, res enim obvia. Priorem tamen conjecturam, ut ingenue fatear, his jure prætulerim. Sed ſatis jam de re ingrata.

CAPUT III.

Corruptiſſimus quidam Menandri verſus ex Donato ad Terentium, contra Jo. Clerici & Phileleutheri Lipſ. ſententias, tentatus.

Donatus ad Terentium, verſum quendam Menandri producit; ſed ita corruptum & miſere dilaceratum, ut vix ſanum verbum, nedum ſenſum, inde exſculpere liceat. Sic enim ſcripta ſunt verba, ſive potius monſtra:

ΚΟΔΕΞΙΑϹ ϹΥΜΥΡΥΝΑϹ ΧΧΗϹ ΔΙϹΤϹΙΝϹ.

Ex his portentis ſequentem verſum, ſive potius verſus umbram procudit Cl. Jo. Clericus in Menandri reliquiis:

Σχολύψασα σὺ μυῤῥίνας τῇδε ἔκτεινε.

Evulſos myrteos ramos hac extende.

Sed

Sed ut nihil hic de ſenſu, vel de metri lege, moneam, ubi quæſo ſunt in hac nova moneta priſcæ ſcripturæ veſtigia? Certe ego nulla plane agnoſco. Perſonatus ergo Phileleutherus ille Lipſienſis, qui eruditiſſimas & acutiſſimas, utinam & modeſtas! Cenſuras in hunc Clerici Librum conſcripſit, jure hic deſiderat Clerici acumen & ἰυςοχίαν; dum vero pag. 10. depravatum hunc verſum ita refingit ipſe:

Ἀπὸ δεξιᾶς σοι μυῤῥίνης κλάδυς λάβε.

A parte dextra ſume verbenas tibi.

Melius quidem, non nego, verſui conſuluit; ſed ductum litterarum antiquarum æque licenter neglexit. Quare mihi ſub his verborum podigiis ſequens ſententia latere videtur:

ΕΚ Δ' ΕΣΤΙΑϹ ϹΥ ΜΥΡΡΙΝΑϹ ΕΧΗϹ ΔΙΚΤΥΝΝΗϹ.

Ἐκ δ' ἑςίας σὺ μυῤῥίνας ἔχης Δικτύννης.

Hoc eſt: *Ex ara Dictynnæ* ſive Dianæ, *verbenas habe vel habeas.* In quibus ſane nec ſenſum deſiderabis, nec litterarum ductum, licet vis verſui facta fuerit aliqua. De Dictynna autem erudite agit Spanhem. ad Callimach. p. 261. ſqq. Interim difficiles nugæ videntur & incerta inſomnia, quod non piget candide fateri. Sed vivitur & ſcribitur hoc pacto ut plurimum.

Caput IV.

Vegetius de Mulomedicina, bis emendatus.

Τυφλὸν ἔντερον, Inteſtinum cæcum *pro parte Coli Veteribus.*

Vegetius Lib. I. Artis Veterinariæ, cap. 40. eos

eos morbos deſcripturus, qui a vitiata digeſtione originem ducunt, ita inter alia loquitur: *Partem* (cibi,) *in urinas reſolvit, partemque ſecum trahit in ſtercora.* Hic libenter legerim: *partemque fæcum*, h. e. materiæ craſſioris, ſordidæ & ad nutritionem ineptæ, notum enim, quid ſint hoc ſenſu fæces alvinæ apud veteres medicos. Τό τρυγῶδες, vocant Græci, Ariſtoteles, Plato, Plutarchus, Theophilus, alii: inprimis huc Nemeſius de Natura Humana, Cap. XXIII. pag. 205. τοῦ μὲν σπληνός τὸ τρυγῶδες ἕλκοντος καὶ τροφὴν οἰκείαν ποιουμένου, quæ ſane eadem phraſis, ac hic apud Vegetium, ex noſtra quidem emendatione. Sed pergit noſter in ſequentibus: *In inteſtinorum partibus, quæ ducuntur ab aqualiculo uſque ad colum, quod appellatur enteron.* Hic in quodam Cod. MS. ſcriptum eſſe, quod appellatur *cyphon interim*, obſervat Cel. & diligentiſſimus Geſnerus. Unde haud dubie ſcribendum, *typhlon enteron*, nempe Τυφλὸν ἔντερον, ſive inteſtinum cæcum. Nemini autem mirum videri debet, colon inteſtinum & cæcum pro uno fere eodemque hic ſumi Vegetio, Veteres enim per inteſtinum cæcum intellexerunt globoſam & capacem partem ad principium coli, quod Celſus innuit & Rufus Epheſius, ita loquitur ſummus quondam Medicorum eruditorum, Thom. Bartholinus, Anatom. Reformat. Lib. I. cap. 11. & alibi. Quare non dubium, quin recta noſtra ſit emendatio, qua pro vitioſo *cyphon interim*, τυφλὸν ἔντερον, *typhlon enteron*, legendum eſſe monuimus,

 pari

pari vero mendo apud Cœlium Aurelian. Lib. IV. Chron. Morb. cap. 6. legitur *typhlotero*, nempe pro *typhlo entero*, h. e. τυφλῷ ἐντέρῳ, ut recte jam diu emendavit perſpicaciſſimus Paul. Leopardus Lib. XII. Emendat. Crit. cap. 2. & poſt eum Thom. Reineſius, Lib. III. Var. Lect. cap. 18. pag. 662. ceterum τὸ τυφλὸν ἔντερον occurrit etiam apud Varron. Lib. IV. de Ling. Lat. p. m. 28.

Caput V.

Ælianus uno loco emendatus, altero explicatus. Conr. Geſneri conjectura laudata. Ἐπίγραμμα *pro pictura*, & ἐπιγραφεὺς, *pro pictore.*

De notiſſimo Socratis genio hæc Ælianus commemorat Lib. VIII. Var. Hiſt. cap. 1. φωνὴν πολλάκις ἔφασκεν ὁσίαν πομπῆς ἐγκεκληρωμένην αὐτῷ. Verum in his illud ὁσίαν πομπῆς, vitioſum eſſe, tam certum forte eſt, quam me vivere & hæc ſcribere; neque enim ſyntaxis conſtat ſibi, neque ſenſus. Multa ergo excogitarunt & machinati ſunt eruditi Interpretes, quorum commenta & divinationes hic repetere nolo, quia junctim legi poſſunt in recentiſſima Cl. Abrahami Gronovii, Amici noſtri honoratiſſimi, Editione cum Variorum Notis. Mihi vero, ut rem paucis abſolvam, legendum potius videtur, φωνὴν πολλάκις ἔφασκεν ὡς διὰ πομπῆς ἐγκεκληρωμένην αὐτῷ, vel ὡς διὰ πνοῆς,

πνοῆς, h. e. *vocem vero ipſi ſæpius obtigiſſe, quaſi per immiſſionem aliquam aut inſpirationem factam*, optimo ſane & concinno admodum ſenſu. Niſi malis potius cum Geſnero legere, ὁσίας πομπῆς, minima quidem licentia; at maxima contra veriſimilitudine: reliquorum enim clariſſimorum virorum conjecturæ ideo minus arrident, quod longius omnino petitæ & licentius paullo a vetere ſcriptura diſcedere videantur, prout attentius eas legenti ultro patebit & in oculos ſtatim incurret. Neque tamen ſic prorſus male legeretur, φωνὴν πολλάκις ἔφασκεν ὡς τῆς ἄνω πομπῆς, vel, ὡσεὶ ἄνω πομπῆς, hoc eſt, *vocem ceu de cælo miſſam*, vel *cælitus delapſam*, ſic fere τὰ θεόπεμπτα ὀνείρατα, apud Ariſtot. & Plutarch. & θεόπεμπτα σημεῖα, ſæpius apud Dionyſium Hal. &c. Ἡ ἄνω πομπὴ vero eodem modo dictum hic eſſe videtur, ac ἡ ἄνω κοιλία, ἡ ἄνω πόλις, ὁ ἄνω βασιλεύς, ἡ ἄνω φύσις, ἡ ἄνω κλῆσις, & ἡ ἄνω Ἰερουσαλήμ, Galat. IV, 26. quod huc maxime facit, ubi vid. Hug. Grotium, ut infinita alia in Lexicis hinc inde crebro obvia nunc ſtudio taceam. Conf. Rev. & Celeb. Alberti Periculum Crit. Cap. XIV. pag. 54. Ex his igitur nunc eligat acutus Lector, quodcunque magis ipſi ad palatum fuerit viſum.

Sed pergamus jam ſi lubet, ad alterum Æliani locum, qui non tam emendatione, quam explicatione indiget. Libro IX, cap. 11. ubi de nobili, pictorum certamine mentio fit, dicitur inter alia: τὸ δὲ ἐπίγραμμα ἦν αὐτῷ

ὁ Ἄιας, κ. λ. ubi τὸ ἐπίγραμμα novo aliquo & alias haud obvio ſignificatu idem eſt, ac argumentum picturæ, ſeu ipſa pictura, de qua abſolvenda inter ſeſe convenerant Parrhaſius & alter ipſo nihilo inferior pictor. Bene ergo notat hic Tanaquillus Faber: *Ergo novam habet ſignificationem* Ἐπίγραμμα. Fuit igitur ex hac ratione, quum legere vellem ὑπόγραμμα, vel ὑπογραμμὸς, ſenſu ſane optimo & loco huic aptiſſimo.

Verum me meliora edocuit poſtea Heſychius; ſcribit enim clare, ἐπιγραφεὺς, ζωγράφος, *Epigraphens*, *pictor*. Quando ergo Ἐπιγραφεὺς pictorem ſignificat, neceſſario exinde ſequitur, τὸ ἐπίγραμμα eſſe *ipſam picturam*, ſive *pingendi argumentum*. Hinc nihil hic quidem mutandum.

Caput VI.

Vetus Juvenalis Scholiaſtes emendatus. Ardeliunculus, *monſtrum vocis*. Bardocucullus, *veſtimenti aut operimenti genus. Improbabilis Jani Rutgerſii, V. C. conjectura modeſte confutata.*

GRaviſſimus ille morum Cenſor & acerrimus Satyricus, Juvenalis, ita declamat in morboſos ſæculi mores, Sat. VIII, 145.

- - - - - *ſi nocturnus adulter*
Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Ad quæ verba ita vetus ſcholiaſtes, doctiſſimus alioquin ſi per inſcitos & inficetos librarios ubique

que licuiſſet, qua de re in ſequentibus plura, ita inquam commentatur: *Galero fuſco & horrido ardeliunculo, quales ſunt latrunculatorum, aut ex lucerna turpi intincto.* Sed hic jure quæritur, quid ſit monſtroſum illud *ardeliunculo?* nemo ſane facile dixerit, quid depravatiſſima hæcce vox proprie ſignificet.

Fuit ergo, quum legerem: *Galero fuſco & horrido, æthalo inuncto*, h. e. αἰθαλῷ, nempe *pingui fuligine inuncto*, inde vero noſtra conjectura haud leve pondus accipere videtur, quod ſequitur mox: *aut ex lucerna turpi intincto.* Ita autem & uvam nigram & quaſi fuligineam Ægyptiacam *æthalon* fuiſſe dictam, obſervat Plinius, Lib. XIV, cap. 7. fruſtra dubitante Harduino, unde patet, vocem hanc græcam nec Latinis auribus fuiſſe faſtiditam. Sed hoc obiter.

Magis tamen nobis ſeſe approbat conjectura altera, qua legendum cenſemus, *bardocucullo*, quod quid ſit, fuſe atque perſpicue docet Octav. Ferrarius, de Re Veſtiar. Part. II, item Salmaſ. ad Jul. Capitolin. Pertinac. pag. 551. nec non Commentatores ad hunc ipſum Juvenalis locum apud Hennin, & inprimis ad Martialis Epigramma 128. Lib. XIV, ubi verba:

Gallia Santonico veſtit te bardocucullo.

quæ ſane dictum Juvenalis locum ſcite & egregie illuſtrant. Mirum ergo, hæc non in mentem veniſſe viro undiquaque doctiſſimo, perſpicaciſſimo & κριτικωτάτῳ, Jano Rutgerſio, qui in Var. Lect. Lib. VI, cap. 18. ita de hoc

 loco,

loco, deſperaturus quaſi exclamat: *Ego quid hoc loco faciendum ſit, ignoro, niſi fortaſſe, albeliunculo, ut id tegumenti capitis nomen ſit.* Sed quis quæſo inquam, de monſtroſa hac voce *albeliunculo*, aliquid inaudiverit? quis ſciat obſecro, quale ſit illud capitis tegumentum? Jure ergo, etſi cum gemitu, pronunciandum, nuſquam minus ingenii, nuſquam minus eruditionis atque peritiæ criticæ oſtendiſſe Janum Rutgerſium, virum cetera maximum; quam hoc quidem in loco, quem invita plane Minerva, & iratis Muſis omnibus, adgreſſus fuiſſe videtur. Quid enim facilius, quam τῷ corrupto *ardeliunculo*, ſubſtituere notiſſimum *bardocucullo?* & tamen id tum non ſuccurrebat viro præſtantiſſimo & harum rerum callentiſſimo.

Unde nunc clare, opinor, patet, ingenii humani excellentiam atque ſubtilitatem pendere ſæpiſſime a temporis opportunitate atque fauſta occaſione fortuito oblata, quod multis hic probari poſſet, ſi neceſſe. Sed nolo hic parvas res magnis motibus ridicule agitare, ex ſapientiſſimo Taciti conſilio, quare hæc ſufficiant.

Caput VII.

Heſychius aliquoties emendatus. Jac. Palmerii conjecturæ repudiatæ.

Nunc iterum animi gratia, ad Heſychium, in quo ſane plusquam Augiæ ſtabulum adhuc expurgandum reſtat. Ille ergo pag. 289. Αἴθεται, καίεται, σκοτεῖ, πειρᾶται.

Ubi

Ubi legendum potius videtur: πυρȣ̃ται, vel πυριᾶται, hoc enim eſt αἴθεται, vel καίεται, quod ipſum confirmat Schol. ad Ariſtophan. Nubes, pag. 139. αἴθειν ὅ ἐςι πυρȣ̃ν. Malim & κοτεῖ in ſqq. *excandeſcit*, *iraſcitur*, pro σκοτεῖ, ſed non opus videtur. Ita enim Noſter ſupra: Ἄιθον, λαμπρὸν, πυῤῥὸν, μέλαν, vid. & ibidem reliqua. Τὸ αἴθειν autem eſt ab Chald. אתון *Atthun*, *fornax*, unde & *Ætnæ* nomen. vid. Bochart. Chan. Lib. I, cap. 26.

Porro pag. 446. Θραῦσμα, λύπη, πληγή, παῦσμα, παῦσις.

Vitioſa hæc poſtrema. Legendum enim κλάσμα, & κλάσις, quod probabile videtur. Niſi quis malit τραῦμα, τραῦσις, ſeu τρῶσις.

Ibidem, pag. 779. Πόννα, τὸ γράφος, ἢ μάγος.

Scribit hic Palmerius: Ποννα τὸ γράφος ἢ μάγος, quia nempe mox ſequitur, πόννος, μάγος. Sed infelix hæc omnino conjectura nulli credo, ſeſe probatura; haud dubium enim, quin vox μάγος, ex ſequenti voce πόννος, perperam huc irrepſerit. Πόννα nempe aut γράφος ſignificat, aut λύπην. Clariſſime Noſter infra, Πώννα, γραφίον, λύπη, quem locum bene jam huc revocavit Salmaſius. Corrigendus ergo ex hoc ſaniore noſter male affectus, ſcribendumque hinc: Πόννα, τὸ γράφος, ἢ ἄχος: ἄχος enim idem eſt atque λύπη, moeror & triſtitia, ut notum. Ipſe Noſter ſupra: Ἄχεα, λύπη, vel λύπαι, ut ſcribendum potius videtur, & alibi: ἄχος, λύπη, & Andronicus Rhod. Lib. περὶ παθῶν, p. 524.

Edit. Heinſ. ἄχος, λύπη ἀφωνίαν ἐμποιοῦσα. Simile etiam apud Suidam.

Mihi vero vix eſt dubium, quin hac Latina, ut videtur, voce πόννα, aut πῶννα, reſpexerit hic Heſychius ad vocem *pennam* ſimul & ad *pœnam*, quum eam ſcilicet explicaret per γράφος vel γραφίον, item per λύπην ſeu ἄχος, quod condonandum omnino homini latinarum litterarum experti. Similes enim errores in vetuſtiſſimo Gloſſario Græco-Latino crebro occurrunt; ita *ſtagnum* explicatur per κασσίτερον, λίμνη, & *Facundus* per εὔγλωττος, γόνιμος, ubi manifeſta confuſio inter *ſtagnum* & *ſtannum*, & inter *Facundus* & *Fœcundus*, ut & optime obſervavit vir doctiſſimus, Deſiderius Heraldus, Adverſarior. Lib. I. capp. 9. & 11. pag. 66. ubi & plura ejusmodi παροράματα. Verum adeo apud ipſum noſtrum Heſychium innumeræ fere occurrunt latinæ ejusmodi voces nunc male, nunc bene, nunc plane non, interpretatæ: Sic Δοῦξ, *Dux*, πριβάτον, *privatum*, Μαγίστωρ, *Magiſter*, λαῖτος, *lætus*, ἰούγερον, *Jugerum*, Φόρμικα, *formica*, πέννα, *penna*, Φράτηρ, *frater*, Τύῤῥις, *Turris*, τριβοῦνος, *tribunus*, Φίσκος, *fiſcus*, πρόκαυτα, *præcauta*, ῥεφούγια, *Refugia*, & ut finiam ſemel, Φλοῦκτος, *fluctus*, quod ipſe explicat per εἶδος ῥοφήματος, ubi tamen forſan legendum, εἶδος ῥοφίου ἢ κύματος, ῥόφιον enim idem eſt ac κῦμα, teſte Noſtro ſupra, ῥόφημα autem κῦμα quoque ſignificare, mihi quidem hactenus incompertum, licet faveat nonnihil analogia. Niſi forſan ex Homero legendum fuerit, τρόφι κύματος, de quo vid. Suidas,

das, & ipſe Noſter. Sed pergamus jam in Heſychio, pag. 794. προσκόπτειν, ἁμαρτάνειν, προσβλέπειν.

Vitioſum eſſe poſtremum verbum, vidit jam Guietus, qui mutabat inde in προσβλάπτειν, non male prorſus: malim tamen ego legere minore negotio, παραβλέπειν, hoc eſt, *negligere*, *negligentia peccare*, German. *Etvvas verſehen*, ut notum. Niſi conjectura potius arriſerit Paul. Leopardi, τοῦ ἑλληνικωτάτου, legentis & ſupplentis: Προσκόπτειν, ἁμαρτάνειν, προσκοπεῖν, προβλέπειν, Lib. V. Emendat. cap. 7. quod ſane ingenioſum.

Ibid. pag. 861. Στενάζειν, λυπεῖν, τινὲς δὲ πατάξαι τὸ ἱερὸν ὀστοῦν, ἄλλοι παίειν ἁπλῶς, οἱ δὲ καταμανθάνειν τὰ στήθη.

Vitioſum hic atque peſſime contaminatum eſſe τὸ καταμανθάνειν, vel aliquis ipſo Tireſia multo cæcior, clare perſpiciet. Palmerius ergo legere malebat, καταμαστεύειν τὰ στήθη, peſſime mehercule & perquam inconvenienter: quid enim hæc emendatio ad hunc locum, ubi de planctu & percuſſione pectoris in luctu, ut notum, ſermo eſt? ita enim Noſter etiam infra: Στενάξαι, τινὲς πλῆξαι καὶ παῖσαι, οἱ δὲ στένιον τὸ στῆθος, & alibi: Στενοτυπούμεναι, εἰς τὰ στήθη κοπτόμεναι, στερνοτυπούμεναι. Nihil ergo, nihil profecto infelicius excogitari poterat hac quidem lugubri emendatione. Sed facilius ſane eſt, alienas cogitiones reprehendere; quam genuinam hujus loci lectionem deprehendere. Interim non abſone legi hic poſſe putem, οἱ δὲ κα-

F 5 θαι-

ϑαιματῦν τὰ ςήϑη, *quidam vero per cruentare & lacerare pectora*, vocem ςενάζειν, interpretantur, quod in graviſſimo luctu utique fieri ſolebat. Chorus lugentium & plangentium feminarum apud Senecam Troadibus:

Tibi noſtra ferit dextra lacertos,
Humeroſque ferit tibi ſanguineos.
Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent: fluit, & multo
Sanguine manat, quamcunque tuo
Funere feci, rupta cicatrix.

quo & Quinctilianus, Declam. X. *Tum repetitis ſanguinavere planctibus lacerti*, ut alia plura jam omittam, notiſſima quippe cuivis. Sic & apud Nahum. Cap. II. puellæ dicuntur, מתופפות על לבביהן *tympanizantes ſuper pectora ſua*, quæ ita reddunt οἱ ὁ φϑεγγόμεναι ἐν καρδίαις αὐτῶν, haud ſatis quidem bene: Interim tamen hæc ſcite inſerviunt illuſtrando & ab intempeſtivis emendationibus vindicando Ariſtæneto, Lib. II. Epiſt. 5. ubi pariter καρδία φϑέγγεϑαι dicitur, ſed hæc obiter.

Hoc enim eſt καϑαιματῦν τὰ ςήϑη. Sed plura de hoc notiſſimo lugendi more, vid. apud Lucian. Lib. περὶ πένϑυς, ſive de Luctu, inprimis vero apud eos, qui ex inſtituto hac de re commentati, ut Nicolai de luctu Veterum, & Geierus de Luctu Hebræorum, Kirchmannus de Funere Romanor. aliique plures, quos hic allegare nihil opus. Vid. Jo. Henningii Archæolog. Paſſional. Cap. XXV. pag. 260. ſeqq.

Poſ-

Poſſet vero etiam haud incommode hic legi, *κακοπαθεῖν τῷ στήθει*, vel *καταπναίνειν τὰ στήθη*, hoc eſt, *male affectum* vel *percuſſum eſſe pectore*, aut *lædere ſive corrumpere pectora.* Sed prius tamen *καθαιματῦν*, magis placet mihi, forte & aliis, niſi fallor.

Sed forſan adhuc longe aliud latet, legendumque diviſim videtur: *ἄλλοι παίειν ἁπλῶς, οἱ δὲ καὶ ἅμα τάμνειν τὰ στήθη.* h. e. *alii hoc verbum pro percutere ſimpliciter ſumunt, alii vero ita, ut ſimul etiam Pectora ipſa ferire & lacerare, ſignificet.* Senſu profecto convenientiſſimo. Facillimo autem negotio ab imperito librario ſcribi potuit *καταμανθάνειν*, pro *καιαματάμνειν*, ut quivis perſpicit confeſtim.

CAPUT VIII.

Trebellius Pollio ſemel tentatur. Iſ. Caſauboni conjectura longius petita. Cl. Salmaſii explicatio haud ſatis probata.

TRebellius Pollio, in duobus Gallienis, cap. VIII. de inſolita decenniorum Gallieni celebratione, hæc refert: *Proceſſerunt etiam altrinſecus centeni albi boves, cornibus* auro jugatis, & *dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes.* Hic illi *boves cornibus auro jugatis*, merito diſplicuere ſummo Viro Iſ. Caſaubono quia nec ſenſus commodus ineſt his verbis, nec probæ latinitatis ſapor. Malebat ergo legere, *boves cornibus aureis jugati*, vel potius, *cornibus auro virgatis.* Non ſatis, puto, feliciter: nam *cornua auro virgata*, nec locum hic habere poſſunt, nec apud ullum Auctorem

ita

ita occurrere crediderim. Salmaſius contra longa oratione defendebat illud vulgatum, *cornibus auro jugatis*, idque idem eſſe aſſerebat, ac, *cornibus auro vinctis*: ſed gratis hæc omnino adſtruxit, nec idoneum teſtimonium ullum attulit, qua ſententiæ ſuæ robur atque auctoritatem conciliaret. Quid multa? verbo dicam: legendum mihi videtur, *cornibus auro fucatis*, h. e. auro infectis, auro pictis aut obductis, quæ loquendi ratio apud probatæ Latinitatis Auctores ſæpius occurrit, ut doctis quidem notum. Vid. Caſp. Barthii Adverſ. Lib. XII, cap. 7. p. 678. Minimam vero omnino eſſe mutationem inter *jugatis* & *fucatis*, ecquis obſecro eſt, qui non ſtatim deprehendat? Verum hoc leve; Niſi quis malit *cornibus auro cruſtatis*, quomodo Ammianus Marcell. Lib. XXIV. dixerat. *Porta ferro cruſtata*, h. e. obducta, ſ. ferrata, & *marmoribus cruſtata domus*, Lucanus, ut notum. Sed nec hoc multum placet. Forte etiam nihil plane hic mutandum; & locus commoda potius explicatione juvandus fuerit. Sed nihil definio ego. Ceterum de Cornibus auratis vid. præter Salmaſ. & Commentatores Virgilianos, Deſid. Herald. ad Martialem, pag. 180.

CAPUT IX.

Diogenes Laërtius ſemel emendatus. Ægid. Menagius & Meric. Caſaubonus notati. Sam. Bochartus laudatus. Ὁμαρτῆ, ἁμαρτῆ & ἁμαρτήσαντες, *apud Heſychium quid?*

DIogenes Laërtius, Libro III. Segment. 95. in

in Vita Platonis, hæc ſapienter monet: ἄν τι πρὸς πρεσβυτέρους ἁμαρτάνοντας διαλέγηται, ἁρμόττοντας δεῖ τοὺς λόγους διαλέγεσθαι, ὡς πρεσβυτέροις. In quibus verbis τὸ ἁμαρτάνοντας, ἁμαρτάνειν, ſive peccare & offendere Lectorem omnino videtur. Ægidius igitur Menagius illud plane expungere jubebat ceu otioſum, minus neceſſarium, & ex ſequenti voce ἁρμόττοντας, temere natum; cui ſevero nimis, mandato ſubſcribebat præpropere, ſi impune quidem hic dicere liceat, Vir majoris diligentiæ, quam judicii, Mericus Caſaubonus: Sed hoc nodum eſt ſecare, non ſolvere. Samuel ergo Bochartus, heu quantus vir! locum potius integrum eſſe contendebat, idque adducto aliquo B. Chryſoſtomi teſtimonio utcunque probabat: neque id injuria. Non video enim rationem, quare ſenes non æque peccare poſſint, atque hinc modeſte redargui & placide increpari debeant. Licet contrarium ſuadeat Philemon comicus, in collectione Cel. Jo. Clerici, pag. 366.

Μὴ νουθέτει γέροντα ἁμαρτάνοντά τι,
Δενδρὸν παλαιὸν μεταφυτεύειν δύσκολον.

& ipſe S. Apoſtolus jubeat, 1. Tim. V. Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα, Ubi vid. Rev. Wolf. in Curis philol. & alios Commentatores, ut & Dougtæum in Analect. ſacris ad V. T.

Si tamen aliquid hic mutandum; legerem omnino pro ἁμαρτάνοντας, potius, ἁμαρτῇ ὄντας, h. e. *una congregatos*, nam ἁμαρτῇ, teſte

teſte Heſychio, idem eſt ac ὁμῦ, h. e. *una* ſive *ſimul*, & tantundem valet ac ὁμαρτῇ, de quo vid. eundem Heſychium, & inprimis Cl. Arnald. in Animadverſ. Crit. cap. XII. pag. 68. vel ſi hoc minus placuerit; legendum quoque una voce, ἁμαρτήσαντας, hoc eſt, ὁμῦ γενομένες; ſic enim laudatus modo Heſychius: ἁμαρτήσαντες, συντυχόντες, ὁμῦ γενόμενοι ἢ ὁμῦ πρoϊέμενοι. Venerabilem ergo ſenum una congregatorum concionem hac voce indicare voluit Diogenes Laërtius, ut mihi quidem videtur. Malebam quidem aliquando, ἀπαρτια νοῦντας, h. e. *perfecta & exquiſita cogitantes & in mente volventes*; ſed licet hoc minus aſpernendum videatur; longius tamen omnino petitum videtur præ eo, quod modo indicavimus.

Caput X.

Seneca poſt Juſt. Lipſium emendatus. Plinius major illuſtratus.

SEneca Epiſt. CXIII. de ſummo Mundi ac Naturæ artifice, ita pro more ſolito, eleganter & præclare: *Tot fecit animalia, nulli ſimilitudo cum altero convenit.* Bene hæc quidem; at in Libris manu exaratis omnibus, indice Lipſio, legebatur: *nullius magnitudo*, quod tamen nullo modo ferri poteſt, præceſſerat enim jamjam: *nulli corpori non & color proprius eſt, & figura ſua & magnitudo.* Quare idem malebat legere Lipſius: *Nullius imagini puto, cum altero convenit*; acute me hercule & proxime

xime a vero! Illud tamen *puto*, minus placet, & ſenſum languere facit; unde ego ſcribere mallem: *Nullius imago tota cum altero convenit;* Senſu ſane liquido & rotundo. Idem de diverſis hominum vultibus obſervavit Plinius, Lib. VII, cap. 1. *Jam in facie vultuque noſtro, quum ſint decem, aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere: quod ars nulla in paucis numero præſtet affectando.* Simile quoque me apud Ariſtotelem legere memini; ſed locus jam non ſuccurrit, inprimis quum Libri jam non ſint ad manum, vid. tamen etiam Manil. Lib. IV. Aſtronom. Huc quoque illud Gregorii Nazianzen. e divina Orat. XXXIV. pag. 552. Tom. II. Opp. πῶς ἑστηκότα τέ τὰ εἴδη (τῶν ἀνθρώπων) καὶ τοῖς χαρακτῆρσι διεστηκότα; ὧν τοσούτων ὄντων, αἱ ἰδιότητες ἀνέφικτοι; reſpexit huc etiam Fabius Quinctilianus, Lib. II. Inſtit. Orat. cap. 13. *Nec ad unum modum formatæ manus, & in vultu mille ſpecies.* Neſcio ergo, quid melius aptiusque corrupto huic Senecæ loco poſſit ſubſtitui, quam quidem illud ſuperius propoſitum & Lectoris æquo arbitrio permiſſum: *Nullius imago tota cum altero convenit.* Si quis tamen meliora forſan excogitare valeat; concedat in publica commoda abſque invidia, & felicioris ingenii gloria mactus, diſcedat contentus, ſpernatque, ſi velit, vanas noſtras hariolationes.

CAPUT

Caput XI.

Veterum epulonum mos integros porcellos pelle ſua conteƐtos in lautioribus cœnis ponendi. Corruptiſſimus Diphili comici locus poſt Caſaubonum & Scaligerum, emendatus. ConjeƐtura de apris gauſapatis *Petronii. Hippocratis locus illuſtratus.*

Solebant olim guloſiores Nepotes porcellos cum integra pelle vel coƐtos, vel aſſatos, in lautis ſuis menſis libentius ponere, unde apud Athenæum, Lib. IX, cap. 7. pag. 381. ubi de artificioſa porci integri præparatione Sermo eſt, mentio fit καὶ τῆς Φορινῆς ἤδη γενομένης κραμβαλέας, *pellis vero jam arefaƐtæ ſeu toſtæ*, & mox ibidem, Cap. 8. pag. 383. Diphilus Comicus ait:

Χοιρίδια περιφόρεινα κρομβώσας ὅλα.

Quæ quum mendoſa valde ſint, Iſ. Caſaubonus in divino Commentario, pag. 662. ſic refingenda in melius cenſebat:

Χοιρίδια περὶ Φορινὴν ἄκραν κραμβαλέα.

Scilicet ex modo laudato loco: in qua tamen conjeƐtura ſatis alioquin ingenioſa, ſibi ipſi non ſatisfacit plane. Pro vitioſo vero iſto κρομβώσας, Scaliger, eodem referente Caſaubono, legebat potius θρομβώσας, quod tamen huc ægre quadrare videtur, utut proxime abſit a priſcis litterarum duƐtibus. Mihi igitur legendum aliquando videbatur:

Χοιρί-

Χοιρίδια περιφόρεινα κραμβῶσας ὅλα.
hoc eſt:

Porcellos ſua pelle adhuc circumdatos torrens integros.

Quoniam vero verbum κραμβάω, vel κραμβόω nempe à κράμβος, in uſu olim fuiſſe, nondum conſtat; cujus quippe loco κραμβαλίζω dictum eſſe notum eſt, licet ipſa analogia neutiquam refragetur; hinc mitto hanc conjecturam, ſcribendumque potius duco:

Χοιρίδια περιφόρειν' ἀκριβῶσας ὅλα.
hoc eſt ſcilicet,

Porcellos adhuc pelle ſua circumtectos artificioſe præparans.

Senſu hercule perquam perſpicuo & huic loco accommodatiſſimo. Περιφόρεινον vero, vel περιφόρινον (nam utrumque recte ſcribi poſſe videtur,) hic adjectivum eſſe puto ἀπὸ τῆς φορινῆς, licet id mihi nondum lectum fuiſſe ingenue fatear. Sed forſan etiam haud minore probabilitate legendum hic fuerit: χοιρίδια περὶ φορινῇ aut φορινὴν κομβῶσας ὅλα, hoc eſt: *porcellos circum ſua pelle conveſtiens* vel *involvens totos.* Κομβῶσασθαι enim Heſychius exponit per ςολίσασθαι, & κόμβωμα per ςόλισμα, item alibi ἐγκομβωθεὶς, explicat per δεθεὶς, & ἐγκόμβωται, per ἐνείληται. Adeo ut veroſimile valde nunc videatur, Diphilum ſic quondam ſcripſiſſe. Vide vero de hoc verbo κομβῶσασθαι & ἐγκομβῶσασθαι, plura notatu digna apud ſumme Rev. Wolf. in Curis Crit. & Philol. ad 1. Ep. Petri V, 5. pag. 167. &

 quos

quos ibi allegat plures, qui de eodem diligenter tractarunt. Fallor vero hic vehementer, aut *apri gauſapati*, in Cœna Trimalchionis Petroniana, Cap. XXXVIII. quos eruditi Commentatores hactenus explicare non valuerunt, idem ſint, ac hic *χοιρίδια περιφόρεινα*, vel *χοίροι περιφόρεινοι*? Certe ita omnino videtur: *Φορινὴν* enim ſeu apri pellem Satyricus lepide ſuo more dixiſſe hic videtur *gauſape*, aut *gauſapam*, unde nobis ridicule effinxit *apros* illos *gauſapatos*, ſive ut græce id exprimam, *κάπρους περιφορείνους*, vel *περιφορίνους*. Sed de hoc Petronii loco *περιμαχήτῳ* alias plura. Ceterum & Hippocratis jam ætate moris fuiſſe, ut porci pelle ſua adhuc circumjecti in cœnis ponerentur, patet ex aureo ejusdem Libro de Victu in Morbis acutis, §. LX. pag. 317. ubi carnes ſuillas præçipit, *ἐσθίειν ἄνευ τῆς Φορινῆς καὶ ὑπέψυχρα*, *edere abſque pelle & ſubfrigidas*; qui locus egregie illuſtrat laudatos ſupra Athenæi locos, & ex iisdem viciſſim præclaram lucem accipit. Juvat vero ſub finem hujus obſervationis, exclamare cum poëta Satyrico:

- - - quanta eſt gula, quæ ſibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!

Caput XII.

Dialogus de Claris Oratoribus bis emendatus & explicatus. Jani Douzæ conjectura laudata.

In Dialogi de Claris Oratoribus Tacito vulgo, minus recte opinor, adſcripti Capite VII.

VII. hæc leguntur: *Tum mihi ſupra tribunatus & præturas & conſulatus aſcendere videor, tum abire: quodſi non in alio oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia venit. Quæ fama & laus cujuſvis artis cum Oratorum gloria comparanda eſt, qui non illuſtres in urbe ſolum apud negotioſos & rebus intentos; ſed etiam apud juvenes & adoleſcentes; quibus morum indoles eſt & bona ſpes ſui?* Ubi magnos multosque fluctus in tranquillo moverunt Interpretes, & graviſſimum mendum ſubeſſe clamarunt, quod ut eluerent, multum ſudarunt & æſtuarunt, ſed incaſſum, ut videre eſt in Editione Taciti Gronoviorum. Locus enim non menda; ſed prava potius diſtinctione laborare videtur, qua ſublata, omnia luce meridiana clariora, opinor, apparebunt illico. Sic nempe legendum & diſtinguendum: *Tum mihi ſupra tribunatus & præturas & conſulatus aſcendere videor, tum abire: quod ſi non in alio oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia venit; quæ fama & laus cujusvis artis*, &c. Nempe voluptatem animi, quæ ex ſolida, perfecta & imperioſa eloquentia oriatur, omnibus tribunatibus, præturis & conſularibus merito præfert, eamque nec in alio ſcil. ſtudio aut honore oriri, nec in codicillis dari, nec cum gratia venire poſſe aſſerit, unde nulla fama nec laus cujusvis artis cum oratorum gloria comparanda veniat. Quid quæſo nunc clarius? Tantas autem turbas unicum ſaltim punctum male nec in ſua ſede poſitum ciere potuit, quod mirum omnino & vix credibile. *Sibi* vero vel *ex ſe abire* dicuntur enthei & pectora Nu-

mine fatidico repleti vates, qui totum quaſi hominem poſuerunt & in alium delati orbem nec plebeja & caduca cernunt, nec profantur, ut de fatidica Phemonoë grandiſonus Lucanus, Lib. V.

- - non unquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan: mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto ſibi cedere juſſit
Pectore &c. Conf. & Virgil. Æn. VI. de Sibylla.

Immo & forte hic alluſerit Auctor ad aquilas aliasque aves ſublimia adeo petentes, ut e conſpectu hominum ſenſim abire atque demum plane quaſi evaneſcere videantur. Quorſum illud inprimis ſpectat Ciceronis, Lib. III. de Orator. cap. 36. de potentiſſimo ævi ſui Oratore Craſſo: *Repente te quaſi quidam æſtus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conſpectu pæne omnium abſtraxit.* &c.

Interim non damno prorſus Jan. Douzæ conjecturam in Petronianis legentis: *tum abire in cœlum*, id eſt, beatiſſimum eſſe & ſumma felicitate ebrium exultare, ut proverbiali locutione dici notum eſt: *Vertice ſidera tangere*, dixit Horatius, aliique, ἕως ὀρανῦ ὑψωθῆναι, item, εἰς ὀρανὸν ἀπελθεῖν, & ὀλύμπια δώματα ναίειν, Græcos eodem ſenſu loqui, item & Hebræos dicere, עלה השמים, h. e. *in cœlos abiit*, ſive *adſcendit*, notavimus alibi jam copioſius. Aliter tamen conſtituit hunc locum Rutgerſius in Var. Lect. Lib. III, cap. 11. quem vide, Nobis quidem non perſuaſit Vir ſummus, ut candide fateamur.

Sed

Sed ſatis de hoc loco. Pergamus jam ſi libet, ad Caput XII. ejusdem elegantiſſimi & bonæ frugis pleniſſimi Dialogi. *Nam lucroſæ hujus,* inquit ibi Auctor, *& ſanguinantis eloquentiæ uſus, recens & malis moribus natus.* Nec hic conveniunt inter ſe Interpretes, quomodo nempe legendum ſit, & quid ſignificet proprie *eloquentia ſanguinans.* Putem ego omnino ſcribendum, *lancinantis eloquentiæ*, h. e. pungentis, acris, aculeatæ, ſagittatæ, ſequitur enim mox, *in locum teli repertus*, unde noſtra conjectura mire confirmatur; teli enim proprie eſt *lancinare*, pungere & confodere. Quo maxime pertinet illud Senecæ patris, Lib. II. Controverſ. ſub init. de Fabiano philoſopho: *Deerat illi oratorium robur, & ille pugnatorius mucro*, h. e. lancinans eloquentia. Inde & notum Græcorum proverbium, ξίφος τιτρώσκει σῶμα, τὸν δὲ νῦν λόγος, quo & illud Plauti in Bacchid. initio, de dictis aculeatis: *Animum fodicant, bona deſtimulant, facta & famam ſauciant*, qualia & apud Ciceronem, Senecam & alios occurrunt. Huc & illa inprimis Sophoclis in Antigone, v. 1200. ſqq.

Τοιαῦτά σου-ὥστε τοξότης
Ἀφῆκα θυμῷ καρδίας τοξεύματα
βέβαια. κ. λ.

Nec non Æſchyli in Suppl. v. 453.

Καὶ γλῶσσα τοξεύσασα μὴ τὰ καίρια.

Quæ ſane illa, *in locum teli repertus*, ſcite illuſtrant. Inde & Cleodemum Peripateticum Philoſophum dicacem, clamoſum & mordacem

a diſcipulis ſuis ξίφος καὶ κοπίδα, *gladium & bipennem*, vocatum fuiſſe, meminit Lucianus in Sympoſ. ſ. Lapith. pag. 636. T. II. Opp. plura vid. apud Cl. Majum, in Obſſ. Sacr. Tom. II. pag. 46. ſeq. & Creſollium, Theatr. Veterum Rhetorum, paſſim.

Caput XIII.

Phile de proprietate Animalium, poſt noviſſimum ejus celeberrimum Editorem, aliquoties aut emendatus aut tentatus.

PHilen de proprietate Animalium, Auctorem quamlibet recentiorem, terſum tamen, ingenioſum & curioſum, ante hos ſex annos denuo edidit Cl. de Pauw, multaque in Notis feliciter admodum & acute paſſim emendavit atque reſtituit cum in Phile ipſo; tum & in ejus Magiſtro & Hodegeta, Æliano. Superſunt tamen adhuc quædam, in quibus mihi haud plane cum ipſo convenit, quæ bona cum ipſius, ut ſpero, venia, in hoc Caput conjicienda cenſui. Neque enim ægre laturum confido Virum doctiſſimum meum qualemcunque diſſenſum, inprimis, quum ille ita comparatus ſit ubique, ut nec vilitatem verborum, nec incivilitatem morum accuſare, nec debitam modeſtiam & humanitatem jure deſiderare poſſit. Sed quid opus plura præfari? progrediamur potius ad Philen ipſum! Capite ergo IV. de magna Struthione, mox ab initio:

Στρου-

Στρȣθὸν δὲ φασι μεγάλην οἱ Φρύγες.

Quid ſibi hic velint Phryges, quærit hic Cl. Editor, mutatque inde bonos & ſero ſapientes *Phryges* in ἴδρεις, h. e. *periti*, intelligentes, ita enim Heſychius: ἴδρις, ἐπιςήμων, ἔμπειρος, ἴδρεις, ἔμπειροι, ἰδρείη, σοφία. Sed ego nullam ſatis exactam convenientiam video hic inter Φρύγες, & ἴδρεις, quam tamen ſeſe reperiſſe exiſtimat Vir præſtantiſſimus. Majore profecto veriſimilitudine legiſſet, οἱ Φραδεῖς, *periti*, vel οἱ γραφεῖς, *ſcriptores*. Sed ut verum fatear, nondum bene perſpicio ullam hic emendationis neceſſitatem: cur enim quæſo Phryges de magnæ Struthionis natura & proprietatibus non æque narrare quidpiam potuerint, quam aliæ nationes?

Cap. XI. pag. 40. de Gruibus:

Πρὸς τὰς ὑπὲρ γῆς ἐμβολὰς τῶν πνευμάτων.

Hic iterum Cl. Editor τὸ ὑπὲρ γῆς, mutare mavult, in ἀπὸ γῆς, vel in ὑπoργεῖς. Sed neutrum ſatis commode, ut mihi quidem videtur, venti enim, qui ἀπὸ γῆς veniunt, inde ἀπόγειος ἄνεμος, apud Heſychium, & *venti a terra ſurgentes*, apud Senecam, Lib. I. de Ira, & in Nat. Quæſt. poſſunt quoque eſſe ὑπὲρ γῆς, & frequentiſſime quoque ſuper terra debacchari ſolent, ut notum. Unde parum juvatur locus hic hac quidem emendatione. Alterum ὑπoργεῖς, vero nec *iracundum* ſignificat, ut quidem ſcripſit celeberrimus Editor, quum ὑπoργίζομαι, ſit potius *paullulum*

iraſcor, ut notum; nec ſcio ſatis, an græce bene dicatur, ὑπωργής, nondum enim mihi vox illa in ullo vetere Auctore Græco, quantum memini, occurrit. Potius igitur minima ſane mutatione legendum videbatur, τὰς ἀπωργεῖς ἐμβολὰς, ἀπωργὴς enim eſt *valde iracundus* & *furore percitus*, eſt que ea vox non ex Homero ſolum & aliunde notiſſima; ſed & ab ipſo Cl. Editore hic laudatur. Vel ſi hoc minus placuerit; legendum etiam forte erat, ἐνεργεῖς, *præpotentes*, *validiſſimas* ſcil. τῶν πνευμάτων ἐμβολάς. Immo ne ſic quidem male locus emendaretur:

Τὰς ἐφ' ὑγρῆς ἐμβολὰς τῶν πνευμάτων.

hoc eſt:

Ventorum ſuper mari irruptiones.

Ἡ ὑγρὴ enim Homero aliiſque poëtis idem eſt ac Θάλασσα, ſive mare: Inde bene huc Heſychius, ἐφ' ὑγρὴν, ἐπὶ τὴν Θάλασσαν, plura vid. in divino Ill. Spanhemii Commentario ad Callimach. Hymn. in Jovem, pag. 12. add. Ritterſhuſ. ad Oppian. Lib. I. Cyneget. pag. 4. & Cl. Arnald. Lect. Græc. Lib. II. cap. 7. pag. 179. iterum Heſych. in πολυβότειρα, πολὺν ὑφ' ὑγρὴν, ἐπὶ τὴν Θάλασσαν, ὑγρὰν γὰρ αὐτὴν εἶπεν πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς γῆς, ξηρᾶς οὔσης, qui locus huc apprime facit; quemadmodum ex altera parte ἡ ξηρὰ pro terra ſumitur etiam in Novo Teſtamento, ut notum. Hoc vero pacto perquam amice conſpirat Phile cum ſuo Magiſtro Æliano, cujus locum hic adduxit Cl. Editor. Verum ne tunc quidem, ut ingenue

genue fatear, ego hic video urgentem emendandi neceſſitatem: cur enim τὰς ὑπὲρ γῆς ἐμβολὰς τῶν πνευμάτων, dicere commode haud potuerit Auctor; cauſſæ ego ſane nihil quidquam reperio, ut jam ſupra monui. Sed de his hactenus; nunc ad alia:

Cap. XII, 40. pag. 48. de Perdicibus pullos ſuos ab imminentibus inſidiis tutos vafre præſtantibus, hæc leguntur:

Τὰ ςικτὰ συλλέγουσι μακρόθεν βρέφη.

Hic τὰ ςικτὰ merito ſuſpectum eſt Cl. Editori, mallètque hinc mutare vel in ἄςικτα, vel in ταρακτὰ; de quibus emendationibus peritiores judicent; ego ἐπέχω. Malim tamen pro τὰ ςικτὰ potius legere ἄσφιγκτα-βρέφη, h. e. *pullos diſperſos fuga & contineri atque conſtringi neſcios*: ἄσφιγκτος enim eſt qui conſtringi & colligi nequit. Me vero non adeò male conjeciſſe, haud obſcure patet ex antecedenti verſu 24. ubi de iiſdem perdicibus matribus dicitur:

Σφίγγουσι καὶ θάλπουσιν ὡς Ἐρασμίους.

Conſtringunt, colligunt & fovent ceu amabiles (pullos)

Huic ergo nunc jure opponi videtur τὸ ἄσφιγκτα βρέφη. Sed & commode legi hic poſſet: τὰ βυκτὰ βρέφη, h. e. *perterritos & meticuloſos pullos*: τὰ βυκτὰ enim exponit Heſychius per σχέτλια, δείλαια, *miſera*, *timida*: niſi malit quis ſcribere οἰκτιςὰ βρέφη, *pullos miſeratione dignos*; de qua voce iterum Heſych. in οἰκτιςὰ,

& οἰκτρά. Fuit denique etiam quum legerem: Τὰ δεκτὰ βρέφη, *amabiles, gratos & acceptos pullos*, quos modo nominaverat eodem ſenſu, diverſa vero voce, Ἐρασμίας. Δεκτὸν inquit denuo Heſychius, εὐπρόσδεκτον, Δεκτὸς, ἀρεστός, ſed notiſſima hæc vox crebroque in ipſo Novo Teſtamento occurrit. Hæc vero conjectura licet haud prorſus inepta videatur, vileſcit tamen minusque δεκτὴ & accepta eſt præ binis præcedentibus, ἄσφιγκτα & τὰ βυκτά, ex quibus una videtur omnino eligenda. Sed pauca hæc ad Philen hac quidem vice: plura & forſan meliora, ad eundem proxime, ἐὰν ὁ Θεὸς θελήσῃ.

Caput XIV.

Alciphron ter emendatus. *Anthericus* ſeu Aſphodelus planta, in ſacris magicis adhibita. *Dardani* & *Dardanides* pro magis & ſagis.

Tanti leporis tantæque ſuavitatis plenæ ſunt ubique facetiſſimi Alciphronis Epiſtolæ, ut vel rigidi cujusdam Catonis vultuoſam frontem diffundere triſtesque de pectore curas abſtergere valeant. Egregiam proinde prorſus operam in illis ſcite explicandis & feliciter emendandis poſuit quondam Cl. Steph. Berglerus, Vir, ſi intimam græcarum deliciarum peritiam, & acutam in detegendis locis corruptis & emendandis depravatis ſagacitatem ſpectes, cum pauciſſimis hodie omnino comparandus, nulli

nulli vero plane poſtponendus. Reliquit tamen, ut non omnia poſſumus omnes, quosdam conclamatos pæne locos, in quibus aquam ſibi hærere candide faſſus eſt. E quorum numero & ſequentes ſunt, quos jam Lectorum pace, producere lubet, non eum quidem in finem, quaſi ingenioli noſtri exiguas vires vane oſtentare velimus, aut nos laudato Berglero in græcæ linguæ cognitione potiores & acutiores fore temere exiſtimemus; Sed ut haud illaudabili potius ſtudio experiamur, an vel nobis poſt tantum virum, in his ſpiſſis tenebris aliqua benignior lux affulſerit, locumque forte in nobis invenerit vetus illud dictum, ſæpe verum, Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

Fiat igitur periculum, ἀγαθῇ τε τύχῃ, ut quidem optamus. Locus ergo omnium unanimi conſenſu corruptiſſimus, ſtatim occurrit, Lib. II. Epiſt. IV. ſeu ult. pag. 266. ubi inter apparatum magicum celebris cujusdam Pharmacevtriæ, recenſentur, præter λιβανωτὸν ἄῤῥενα, καὶ ςύρακα, καὶ πέμματα σελήνης, denique etiam ἄγρια φύλλα ἀνθρώπων, *ſilveſtria folia hominum.* Sed quid quæſo hic faciant homines, ubi de plantis magicis ſermo? aut quis unquam hominum explicuerit, quæ ſint proprie illa φύλλα ἀνθρώπων; hominum inquam folia? Mendum ergo nimis apertum eſt, nimisque clamat ipſum. De medicina igitur depravatiſſimo huic loco lege Artis, faciunda, probe & diligenter circumſpexere Viri celeberrimi, illud Berolinenſium eximium decus

decus la Croze, & Stephanus Berglerus. Prior itaque legit ἄγρια φύλλα ἀνδραχνῶν, *agreſtia folia Andrachnarum*; acutiſſime quidem primam frontem; unde & Cl. Berglerus nihil ſeſe melius afferre poſſe, in Notis, ingenue profeſſus eſt, hincque id ipſum in verſionem recepit ſuam, reddens, per *Silveſtrium folia Andrachnarum.* Verum quum, ut ex Theophraſto, Dioſcoride, Galeno, Plinio & aliis Botanicis, inprimis Salmaſio, in Exercitat. Plinian. pag. 362. & Bod. à Stapel, ad Theophraſt. Lib. VII. pag. 750. ſatis notum eſt, Ἀνδράχναι ſint portulacæ, quæ ad focum potius culinarem pertineant, quam magicum, & ori gratiores ſint, quam orco, aut triſtibus pallentis Erebi Diis; non ſane video, quomodo hic ἀνδράχναι, portulacæ illæ, ad apparatum magicum ſcite referri poſſint.

Id forte perſpiciens, qua erat ſagacitate, laudatus ſæpius Berglerus, aliam viam ineundam ſibi cenſuit, legendumque forte potius credidit, ἄγρια φύλλα τῶν δρυῶν, *agreſtia folia quercuum*, quæ ſcilicet in re ſacra & arcanis magicis adhiberentur, ut inter alia patet ex Theocriti Idyllio XXVI. quod ibi laudat apportune.

Hæc ingenioſe ſatis eſſe excogitata, nemo paullo humanior facile negaverit; nec dubitarem ipſe, veram eſſe omnino hanc conjecturam, niſi nimium quantum diſcederet a priſcæ ſcripturæ veſtigiis, quæ enim eſt convenientia inter τῶν ἀνθρώπων, & τῶν δρυῶν; nulla

la profecto, aut perquam exigua, ut cuivis ſtatim in aures oculosque incurret.

Quare nobis potius legendum videbatur, ἄγρια φύλλα τῶν ἀνθερικων, *agreſtia folia Antherici* ſeu *Aſphodeli.* Ἀνθέρικ@ enim & caulis & ipſa ſæpius herba eſt Aſphodeli, vid. Scholiaſtes Theocriti ad Idyll. I. & alibi, & quæ ex hoc aliisque plurimis copioſe pro more, hac de re congeſſit Jo. Bod. a Stapel, ad Theophraſti Hiſt. Plant. Lib. I. cap. 7. pag. 17. & inprimis Lib. VII. cap. 12. pag. 869. & ill. Ezech. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Del. pag. 444. ſq. Hunc ipſum autem Anthericum ſeu Aſphodelum ſacris faciundis olim adhibitum fuiſſe, teſtis eſt inter alios Claſſicus ipſe Theocritus, laudato ſuperius Idyllio XXVI. ubi inter alias plantas ſacro uſui deſtinatas commemorat quoque

Κισσόν τε ζώοντα, καὶ ἀσφόδελον τὸν ὑπὲρ γᾶς.

Et Hederam viridem, & aſphodelum humi naſcentem.

Ad quæ hæc commodum notavit ſcholiaſtes, pag. 137. Ἀσφόδελ@ δὲ βοτάνη πλατυφυλλ@, ἧς ὁ καυλὸς καλεῖται Ἀνθέρικ@, quo ipſo conjecturam noſtram egregie confirmari palam liquet, apud Heſychium eſt, ὁ τοῦ ἀσφοδέλου καρπὸς, quod lubens mutarem in καυλὸς, niſi id ipſum ſchóliaſtes quoque ad ſupra laudatum Callimachi locum totidem verbis exhiberet. Conf. huc Cl. Arnaldi Lect. Græc. Lib. I, cap. 3. pag. 15. Stygiis porro ſacris hanc plantam fuiſſe dedicatam, patet inter alia

ex

ex eo, quod manes apud inferos antherico vel aſphodelo veſci, tradiderit ipſe Homerus, Odyſſ. Ω, 13. & ex eo lepidus Lucianus, Lib. de Luctu, pag. 301. commemorans *λειμῶνα μέγαν τῷ ἀσφοδέλῳ κατάφυτον*: inde & defunctorum tumulos antherico fuiſſe olim conſitos, ceu planta manibus divis ſacra, conſtat ex quodam Porphyrii Epigrammate, laudato jam opportune a Bodæo a Stapel, ad Theophraſtum, pag. 869. & poſtea cum aliis, nuper a Cl. Langguth, in Antiquit. plantarum feralium, pag. 73. quo & nonnihil facit, quod Plinius notavit, Lib. XXI. Cap. 17. *Traditur, & ante portas villarum ſatum Aſphodelum remedio eſſe contra veneficiorum noxam.* conf. Anecdot. Gr. Wolf. Tom. IV. pag. 206. Proſerpinæ quoque ceu Deæ infernæ, ſimulacra aſphodelo fuiſſe coronata, teſtatur Suidas cum aliis. Vid. Meurs. in Rhod. Lib. I. Cap. 16. Sed de his hactenus. Unde nunc, ſpero, ſatis apparebit, legendum hic eſſe apud noſtrum Alciphronem, *ἄγρια φύλλα ἀνθερίκων*, non vero *ἀνθρώπων*. Poſſet quoque non nego, & commode ſatis legi, *φύλλα Ἀδιάντων*, *folia Adianti*, quippe quæ planta, de qua præter alios, multa quoque collegit laudatus Bod. a Stapel, ad Theophraſt. Lib. VII, Cap. 13. pag. 880. ſqq. etiam ad ſacra & faſcinationes, Auctore Zoroaſtre, adhibebatur: vel & *ἀνθρισκίων*, quo de olere vid. Heſych. Sed prior conjectura magis omnino placet præ his, inprimis quum & ipſe noſter Alciphron infra Lib. III. Epiſt. 12. p. 306. aperte iterum meminerit *τοῦ ἀνθερίκου*. Nunc

Nunc obiter καὶ ὡς ἐν παρόδῳ, aperire quoque liceat fontem erroris, unde forſan pro ignoto ἄγρια φύλλα ἀνθερίκων, in Alciphronis contextum irrepſerit illud ἄγρια φύλλα ἀνθρώπων. Nempe Sciolus aliquis Scriba, aut lector quidam nimium eruditus & præter rem ſapiens, forte huc reſpexiſſe putaverit Alciphronem ad notiſſimum illum verſum Homeri Il. Z. 146. φύλλων γενεὴ ἀνδρῶν, cujus & Mimnermus meminit, & Cointus Smyrn. Lib. IX. & XIV. Lucianus in Charont. Plutarch. in Conſolat. ad Apollon. & alii plures, vid. Stob. Serm. XCVI. pag. 528. ſqq. niſi & ſimul reſpexerit ad illa Homeri, Odyſſ. H, 206. ἄγρια φῦλα γιγάντων. obſervat enim Cl. Berglerus, in hoc Alciphron. loco, vulgo legi φῦλλα, ſcilicet pro φῦλα, &c. unde factum, ut in ipſum contextum notius illud pro paullo ignotiore, temere reciperet, nulla ceterum ipſius ſententiæ & rationis habita ratione. Sed hæc conjectura. Tranſeamus ad alia.

Lib. III. Ep. 3. Evagrus piſcator magnam piſcium vim felici captura nactus, ita ut & detritum & obſoletum rete rumperetur, ſic inter alia ſcribit ad Philotherum bonum ſodalem: ἐγὼ δὲ τὴν σαγήνην ἀπλώσας, ἠπόρουν, κ. λ. *Ego, qui verriculum explicaveram;* nulla, aut inepta certe ſententia. Unde & Cl. Berglerus in ſubjecta Nota, recte ſcripſiſſe videtur: *Non ſatisfacit hoc verbum. MS. Cæſareus Lambecii* ὑπλώσας; quod æque ſenſum haud meliorem reddit, ut apparet.

Quare minimo cum negotio & magna niſi fallor,

fallor, cum probabilitate, mihi hic legendum videtur, ἐγὼ δὲ τὴν σαγήνην ἀπολέσας, ego autem poſtquam Verriculum perdidiſſem, aut corrupiſſem; ſenſu ſane optimo, inde enim mox in ſequentibus ad fœneratorem Chremetem ſeſe iturum adjicit, ut acceptis ab eo pro ſcapha interea oppignerata, quatuor aureis, αὖθις καινεργῆσαι αὐτῷ τὴν σαγήνην ὑπάρξει, novum ſibi verriculum comparare poſſit; quare & fuit, quum legerem, παλαιώσας, *antiquans*, *abolens*, *uſu conſumens*, quod aptius ſcilicet adhuc reſpondere videtur τῷ ſequenti καινεργῆσαι: mihi tamen, ut ingenue fatear, alterum ἀπολέσας, nunc melius & convenientius huic loco eſſe credibile eſt. Verum de his hactenus.

Sed nodus ſolutu longe difficilior occurrit eodem Lib. III. Epiſt. 44. pag. 372. ubi Gryllion quidam omnibus juvenibus aliis prælatus, dicitur Θετταλίδα τινὰ γραῦν, ἢ Ἀκαρνίδα φαρμακεύτριαν πεπορισμένος, *Theſſalam aliquam vetulam aut Acarnanicam veneficam adeptus*. Hic quidem omnes ſciunt, quæ ſint Theſſalæ anus, nurus & feminæ, nempe decantatiſſimæ ſagæ & veneficæ, de quibus innumeris locis Veteres & poëtæ & proſaici ſcriptores abunde mentionem fecerunt, ut & obſervavit in Adagiis magnus Eraſmus.

Verum quæ ſint e contrario αἱ Ἀκαρνίδαι φαρμακεύτριαι, tam ignotum & obſcurum profecto; quam notum atque perſpicuum alterum. Graviſſimum enim & turpiſſimum mendum hic ſubeſſe, & ſenſus ipſe docet affatim,

tim, & diverſitas Veterum Codd. confirmat adhuc uberius; quoſdam enim Ἀκαρανίδα, quoſdam & aliud exhibere, obſervat in Notis Cl. Berglerus, qui ipſe legi poſſe conjiciebat, Ἀκαρνανίδα, ſi modo conſtaret, Acarnenſes mulieres æque magiæ crimine infames olim fuiſſe, ac quidem Theſſalicas; ſed quia hac de re nihil prorſus notum ex Veterum monumentis, ideo lubricæ huic conjecturæ ipſe parum, aut nihil, tribuit Vir Candidiſſimus.

Quid igitur multa? Dicam verbo, legendum mihi omnino videri, *ἢ Δαρδανίδα φαρμακεύτριαν, aut Dardaniam ſagam.* Δάρδανος, *Dardanus*, nempe ſceleſtiſſimus & celebratiſſimus ob nefandas præſtigias quondam fuit magus, apud Ægyptios, cujus meminere Plinius, Lib. XXX, cap. 1. Apulejus in Apologia, Euſebius, in præparat. Evangel. Lib. II. Joſephus, Lib. VIII, Antiquit. Jud. cap. 2. Tertullianus, & alii, qui ubique tantam infamis ſui nominis excitaverat obſcuram claritatem, propter Stygias artes ſcilicet & Acherontica ſacra, ut poſtea omnes alicujus nominis magi ab ipſo *Dardanii* & *Dardani* cognominarentur, immo ut ipſæ magicæ artes *Dardaniæ* inde vocarentur, unde Columella, Lib. X, v. 358.

At ſi nulla valet Medicina repellere peſtem;
Dardaniæ veniant *artes*.

Ubi vid. Clariſſimorum Virorum Notas in Edit. Geſneriana, add. & Jac. Durant. Caſellii Var. Lect. Lib. II. cap. 10. in Theſauro Critic. Gruteri, Tom. III. & Jo. Baptiſt. Pii Annotat. poſter. Cap. CXCV. ibid. Tom. I. p. 472. immo

& exinde notiſſimum e Digeſtis *Dardanariorum* nomen, hoc eſt nebulonum annonam flagellantium, ſtrangulantium & fruges excantantium, ortum fuiſſe, non inepte aut jejune conjectat Adr. Turnebus, Lib. IX. Adverſ. cap. 17. & alibi, add. & hac de re Ægid. Menag. Amœnitat. Jur. Civ. Cap. XXXIX. pag. 343. Jo. Brodæi Miſcellan. Lib. IV, cap. 10. Jac. Cujac. Lib. XIX. Obſervat. cap. 19. Briſſon. de Formulis, Jo. Calvin. in Lexico Jur. voce *Dardanarius*, Gilbert. Cognati Adagia Eraſmo adjecta pag. 1480. & Guil. Gentii proverbia ibid. p. 1539. Hermann. Latherus, Lib. III. de Cenſu, cap. 7. pag. 567. ſqq. Scip. Amirat. Lib. XII. Diſſertat. polit. in Tacit. Diſc. 3. & Mart. Zeiller. Cent. II. Epiſt. 7. Jo. Langii Epiſt. Med. 72. Lib. I. pag. 395. & alii fere innumeri, cui enim quæſo non dictus Hylas, aut *Dardanus* potius? Ceterum *Dardanus* videtur convenire cum Chald. חרטום *Chartom*, *Magus*, unde חוטמין *Chartummin*, & חרטמים *Chartummin*, *Magi*; Sed hæc obiter.

Ab hoc igitur inſigni mago *Dardano*, Δαρδάνῳ, noſtrum Alciphronis Δαρδανίδα, ut eo revertamur jam, unde digreſſi ſumus, deſcendere, vix ullum ſupereſt dubium; ſicuti enim Δάρδανος generatim quivis celebris Magus eſt, ita & Δαρδανίς pari modo quamvis denotat inclitam per ſtygium nefas ſagam & mala nocendi arte potentem veneficam; quare & majoris emphaſeos gratia, in noſtro Alciphrone adjectum videtur, Δαρδανίδα φαρμακεύτριαν.

Ceterum in his Alciphronis Epiſtolis circa Nominum ſic dictorum propriorum ſcripturam

vel

vel maxime ubivis fere peccatum fuiſſe, quam plurimis locis oſtendit Cl. Berglerus manifeſtiſſime, & emandat plerumque feliciſſime. Sed de his nunc cuivis æquo Lectori liberum permittimus judicium, nihil dubitaturi, eum interim hac noſtra conjectura ſatis ni fallor, blanda, contentum fore; donec melius certiusque quidpiam allaturi fuerint nobis feliciores & ſolertiores.

Ceterum mala lingua malusque oculus abſit ab hoc capite quam longiſſime, quod de re magica exorſi ſumus, & nunc in eadem triſti materia, fatis ſic jubentibus, læti finimus.

CAPUT XV.

Servius bis emendatus, rejectis Caſtellani & Cuperi conjecturis. Hyades etiam Suculæ *dictæ. Vetus Juvenalis Scholiaſtes ſemel emendatus.*

SErvius ad I. Æneid. Virgil. v. 539. ita ſcribit: *Et quia hoc ſignum eſt, ubi ſicles.* Sed quid ibi quæſo *ſicles?* Gisbertus ergo Cuperus, V. C. Cap. 1. Obſſ. Var. Lib. II. pag. 163. legebat: *ubi ſunt hyades*: Bene quidem ad ſenſum; ſed non ad veterem ſcriptionem, quæ enim obſecro, convenientia *ſicles* inter atque *hyades?* Vix igitur dubium, quin legi hic oporteat: *ubi ſuculæ. Suculæ* ſcilicet hyades quoque appellabantur, quamvis inepte, ut docet Cicero Lib. II. de Natura Deor. Varro & alii: vid. Aul. Gellii Noct. Att. Lib. XIII, cap. 9. &

ibi Comment. apud Gronov. add. Munker. ad Hygin. Fab. CXCII. pag. 270. & quos ibi copioſe laudat Auctores, item Taubmann. ad I. Georg. Virg. nempe derivabant Veteres ab ὗς *ſus*, ſive σῦς, quum tamen deberent deducere potius ἀπὸ τῦ ὕειν, *pluere*, ut notum. Hæc ergo inepta etymologia peperit nobis *ſuculas* ſive parvas ſues. De quo non dubitandum.

Idem Vetus Scholiaſtes Virgilianus ad Æn. VI. *Sed jam abuſive*, inquit, *ſacra Liberi Orgia vocantur, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, ex ſylvis.* Sed poſtrema hæc ἀπὸ τῶν ὀρῶν, non ſignificant *ex ſylvis*; ſed *ex montibus*, potius, ut notum, quare & ita legendum cenſebat Petr. Caſtellanus, in Ἑορτολογίῳ, ſ. de Feſtis Græcorum, pag. 84. Quo ipſo ſenſum quidem non nihil juvabat; ſed litterarum ductum penitus negligebat. Melius ergo faciliusque ſubſtituendum reor, pro EX SYLVIS, EXCELSIS. Τὰ ὄρη enim ſeu montes idem ſunt ac τὰ ὑψηλὰ, *Excelſa*, ut ex mille Veterum locis affatim conſtat. Vel legendum etiam, *ex clivis*, facilis enim omnino eſt lapſus, inter τὰ *ſilvis* & *clivis*, videlicet per metatheſin litterarum.

Sed claudat hoc Caput alius Vetus Scholiaſtes, nempe Juvenalis, ad cujus Sat. XV. ita commentatur: *Funus adultæ*, hoc eſt, *oro maturæ.* Quod quum nullum prorſus ſenſum efficeret, Janus Rutgerſius, V. C. ita emendandum cenſuit Cap. 16. Var. Lect. Lib. I. ut ſcilicet legeret, *Viro maturæ.* Bene omnino atque εὐστόχως. Sed cur quæſo non potius legebat,

bat, *Toro maturæ*, ſenſu eodem, & litterarum ductibus accuratius adhuc obſervatis. Virginem vero *toro maturam*, (ὡραῖαν γάμȣ, ἐπίγαμον, dicunt pariter Græci,) dixere Ovidius, Apulejus, Tertullianus & alii plures, ut de hac conjectura nihil eſſe poſſit dubii, quare verbum amplius non addo.

CAPUT XVI.

Menandri Comici locus mutilus & depravatus, poſt Jan. Rutgerſium & Dan. Heinſium, duplici modo tentatus.

PErquam elegans profecto foret gnome ſequens in comparatione Menandri & Philiſtionis, ſive Philemonis, pag. 365. Editionis Rutgerſianæ, in Var. Lect. Lib. IV, cap. 12. occurrens, ſi quidem per ſupinos diſcinctosque librarios, aut temporum injurias, licuiſſet. Præfixus enim infauſti ominis aſteriſcus ſatis clare oſtendit, bonum & integrum ſenſum naufragium hic quaſi feciſſe. En autem ipſa Menandri verba:

Εἰ * γάμος ἦν ὁ σώζων τὴν ἄλλȣ νόσον,
Νόσον σώζων αὐτὸς ἀποθνήσκει νοσῶν.

Hoc eſt Rutgerſio optime interpretante, pag. 378.

Servare morbo ſi quis alterum queat;
Servator ipſe quomodo poſſit mori?

Sed licet hic verus ac genuinus Menandri ſit ſenſus; aliud tamen plane tinniunt ipſa verba

græca modo producta: quid enim quæſo vox *γάμος*, *nuptiæ*, in primo verſu? & quid porro eſt *νόσον σώζων*, in altero? quis vero unquam ſic loquutus? nemo profecto, nemo. Mirum ergo omnino, Rutgerſium primi verſus ulcus intactum plane reliquiſſe; ſecundum vero ita ſaltim parum immutaſſe, pag. 385. *Πῶς σώσας ἄλλον αὐτὸς ἀποθνήσκει νοσῶν.* Daniel autem Heinſius, ibidem, pag. 412. utrumque verſum ita emendabat, aut immutabat potius:

Εἰ ἀθάνατος ἦν ὁ σώσας ἄλλον ἐκ νόσου,
Σώσας νόσου πῶς αὐτὸς ἀποθάνοι νοσῶν;

Sed quantum hic licentiæ & violentæ medicinæ ubique? Inprimis, quando ex *γάμος*, difficili tractu extorquetur, *ἀθάνατος*, ne minima quidem probabilitate? interim negandum non eſt, Heinſium hic Menandri ſenſum & probe perſpexiſſe, & verſum ſatis rotundum tornaſſe. Verum & meas circa hunc locum hariolationes bona cum Lectoris venia, proferre hic liceat. Legendum ergo mihi videtur ſequentem in modum:

Εἰ ἄμαχος ἦν ὁ σώζων ἄλλον ἄνοσον,
Πῶς ἂν σώζων αὐτὸς ἀποθνίσκει νοσῶν;

Vel etiam hoc modo:

Εἰ ἀκάμας ἦν σώζων τὸν ἄλλον πόσιν,
Πῶς ἂν σώζων αὐτός ἀποθνήσκει νοσῶν;

Hoc eſt:

Si invincibilis & inexpugnabilis eſſet ille, qui alium ſervat, ut ſine morbo degat;

Quo-

Quomodo quæſo ipſe ille Servator morbo perire
poſſit?

Vel:

Si nullo morbo & dolore corriperetur, qui alium
ſervat virum;
Quomodo quæſo ipſe ille Servator morbo perire
poſſit?

Senſus utrinque commodus, facilis & acutus, nec vis ulla antiquæ lectioni illata: quid enim quæſo facilius, quam τὸ γάμος mutare in ἄμαχος, aut ἀκάμας, nempe per metatheſin litterarum? ut de reliquis taceam. Sed verſum non ubique recto pede incedere, quin potius quandoque claudicare, deprehendet mecum ſolers Lector, & jure dolebit. Malui tamen verſui vim aliquam inferre; quam ſenſui aut priſcis litterarum ductibus, quos ſemper quantum pote, reverenter habeo & religioſe tracto, ut par eſt ſcilicet.

CAPUT XVII.

Titus Livius poſt J. F. Gronovium & Jo. Clericum, aliquoties tentatus, aut emendatus. Heſychius obiter correctus, Obſcurus Ciceronis locus illuſtratus.

REdeamus jam, ſi ita quidem lubet, pauliſper ad Tit. Livium, ex promiſſo noſtro, ſuperius Lib. I, cap. 10. liberaliter facto. Lib. I, cap. 32. de peculiari ritu bellum inferendi per haſtam in hoſtium fines immiſſam, hæc

leguntur: *Ut fecialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferret.* Hic valde mihi ſuſpectum videtur illud, *haſtam ſanguineam præuſtam:* quomodo enim quæſo haſta illa eſſe poterat ſanguinea ſimul & præuſta, & quem in finem? nempe ad terrorem incutiendum hoſtibus, ut putat quidem Vir magnus, Adr. Turnebus, haud ego. Lubens ergo hic legerim ipſe: *aut ſalignean præuſtam;* ſenſu profecto multum concinniore & clariore. Sic *qualus ſaligneus*, *palus ſaligneus* & *clava ſalignea* apud Columellam, & *pedes ſalignei* apud Terentium, ex emendatione Cel. Jo. Clerici in Arte Crit. P. III. S. I, cap. 6. p. m. 71. licet iſta emendatio ibi vix neceſſaria videatur. Græci vocant *κεςρωτὸν ξύλον* ejuſmodi *lignum ſaligneum præuſtum.* Heſychius: *εἰώθασι δὲ οἱ βοτῆρες πυρῶν τὰ ἄκρα τῶν ἰταίων ξύλων, ἕνεκα τȣ̃ τετυλῶσθαι πυρίκαυςον*; ita enim locus hic omnino legendus videtur: vulgo, *τὰ ἄκρα τῶν αὐτῶν* legitur, & *πεπολῶσθαι*, quod tamen Salmaſius bene mutavit in *τετυλῶσθαι.* Alias enim haſtæ ſanguineæ adeo obſcuræ ac dubiæ auctoritatis merito eſſe videntur, ac *haſtæ* quidem *gramineæ*, apud Ciceron. IV. in Verr. cap. 56. quæ quid ſint, nemo adhuc ſatis bene explicuit, quod ſciam; placet tamen plurimum conjectura Verburgiana, poteſtque magis adhuc confirmari ex Heliodori Æthiop. Lib. X. pag. 461. ubi narratur, frumenti triticique ſpicas in Meroë Æthiopum inſula, tantæ proceritatis eſſe, *ὥςε καὶ ἱππέα πάντα καὶ καμηλίτην ἐςιν ὅτε καλύπτειν*, *ut equi-*

equitem omnem & camelo inſidentem occultent & operiant. Sed hæc obiter; ſunt enim alterius loci. Pergamus in Livio! Libro XXXIII, cap. 38. *Smyrna & Lampſacus libertatem uſurpabant, periculumque erat, ne ſi conceſſum his foret, quos metuebat, Smyrnam in Æolide Joniaque, Lampſacum in Helleſponto, aliæ urbes ſequerentur.* Sed quid in his, *quos metuebat?* monſtrum ſane metuendum videtur, quod ut abigeret Gronovius, legebat, *quaſi tabe*, acutiſſime ſane; ſed mallem legiſſet potius, *quaſi mutua tabe*, quod & ſenſum efficaciorem efficit, & depravatæ ſcripturæ; *quos metuebat*, accuratius longe reſponder. Mutuo enim contactu contagionem atque tabem propagari & quaſi multiplicari cognitum ubivis eſt. Ita Noſter ipſe ſupra, Lib. I, cap. 23. de uſuris edacibus ab ære alieno, *poſtremo veluti tabem perveniſſe ad corpus;* ubi *ad cor*, legere malebat infeliciſſimus criticorum, Robert. Titius, caſtigatus hinc merito ab Yvone Villiomaro, ſeu Joſepho Scaligero, Lib. II. Animadverſor. cap. 6, 4. pag. 60. Sed ſimilia plura quoque occurrunt apud Noſtrum, Lib. VII, cap. 38. & Lib. XLII, cap. 5. alibique; quæ loca a nobis obſervata hic quoque produxiſſemus, niſi eadem jamjam a Cl. Gronovio præoccupata animadvertiſſemus. Verum haud cara talium annona. Nam & alii Auctores plures illa ſimilitudine & allegoria frequentius utuntur. En igitur pauca teſtimonia ex multis. Tacitus Lib. I. Hiſt. cap. 26. *Infecit ea tabes legionum quoque & auxiliorum motas jam mentes:* item Lib. III. Hiſt. cap. 11. de ſedi-

tioſo exercitu: *Legiones veluti tabe infectæ.* Antea quoque jam Salluſtius dixerat Cap. 36. de Bell. Catilin. *Tanta vis morbi, atque uti tabes, pleroſque civium animos invaſerat*; ita & Lib. I. Hiſtor. in Fragment. *neu patiamini licentiam ſcelerum, quaſi tabem, ad integros in contactu procedere*, ubi male vulgo legitur, *quaſi rabiem.* Huc maxime etiam facit eximius iſte Petronii locus, in divini Carminis guſtu de Bello plusquam civili, Cap. CXIX.

Nulla eſt certa domus, nullum ſine pignore corpus,
Sed veluti tabes, *tacitus concepta medullis,*
Intra membra furens, curis latrantibus, errat.

Ubi vid. Commentatores apud Celeb. Burmann. Illuſtrat denique hunc Livianum locum haud parum ſequens Juvenalis verſus, Sat. II, 78.

- - - Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures.

Ubi vide doctiſſimos interpretes apud Henninium: quo & elegans dictum Appii ſpectat, apud Dionyſ. Hal. Lib. IX. pag. 602. ἕως ἤδε ἡ φαγέδαινα ἐγκαθημένη πάντα σήπῃ καὶ διαφθείρῃ τὰ καλὰ, eodem ſcilicet ſenſu, ac hactenus dicta. Sed licet hæc omnia nec male conjecta, nec invalide probata videantur; forte tamen minore longe negotio ſanandus fuerit hic Livii locus, legendo: *quod metuebat*, ſcilicet Antiochus Rex, quod præceſſit. Eligat ergo nunc acutus & modeſtus Lector, quodcunque magis placuerit.

Libro XL, cap. 10. In graviſſima Perſei Oratione accuſatoria contra fratrem Demetrium:

trium : *Diſcerne & deſpice Inſidiatorem & petitum inſidiis, noxium huic eſſe caput.* Poſtrema hæc noxia omnino & depravata eſſe, viderunt omnes & indicarunt interpretes. Alii ergo legerunt, *inceſſe*; alii vero, *execrare*, Gruterus denique, *eſto*, nullus male quidem, aut inepte. Mallem tamen ego potius emendare: *noxium huc arceſſe caput*, præceſſerat enim modo: *Quos nominavero, arceſſe.* Vel legerem etiam libenter: *noxium hinc faceſſe caput*, æque bene: ſic enim ſupra Noſter, Lib. I. cap. 47. *Faceſſe hinc Tarquinios, aut Corinthum*; & Curtius Lib. X, cap. 2. *faceſſite hinc ocyus.* Plura hujus verbi exempla collecta videſis apud Non. Marcell. voce Faceſſere, pag. 305. Poſſet denique & non minore elegantia ita locus conſtitui: *Noxium huic ſeca caput:* Magis tamen mihi placere fateor binas præcedentes conjecturas.

Sed hactenus de Livio! Tranſeamus jam ad alia, ne nauſeam creemus Lectori, dum diu nimis chorda eadem oberramus. Plura enim adhuc reſtant Liviana; ſed alii capiti aliique occaſioni reſervanda.

CAPUT XVIII.

Diogenes Laërtius ter emendatus, relictis Merici Caſauboni & Joach. Kühnii conjecturis.

APud Diogenem Laërtium in Vita Pythagoræ, Libr. VIII. Segment. 14. pag. 500. hæc leguntur mutila admodum, obſcura & depra-

pravata: ὕτω δὲ ἐθαυμάσθη (ὁ πυθαγόρας,) ὥςε ἔλεγον τὺς γνωρίμυς αὐτῦ, παντοίας Θεῦ φωνάς. Ubi Rittershuſius pro γνωρίμυς, legebat γνώμας, non male, probante quoque Menagio. Mericus vero Caſaubonus τὰς γνωρίμυς αὐτῦ παροιμίας, ſubſtituebat, non inconcinne. Kühnius denique, ὥςε λέγειν τὺς γνωρίμυς τὰ αὐτῦ παντοίας Θεῦ φωνάς, quod minus placebat mihi. Nobis, ut verbo dicam, legendum videtur: ὥςε ἔλεγον τὰς φρονίμυς αὐτῦ μαντείας Θεῦ φωνάς, h. e. *In tantum omnibus admirationi erat Pythagoras, ut ſapientiſſima ejus effata vocarent Dei voces.* Sic enim clare admodum de noſtro Pythagora Ælianus, Lib. IV. Hiſt. Var. cap. 17. ὡς χρησμῷ θείῳ, ὕτως οἱ τότε προσεῖχον τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτῦ, *tanquam oraculo divino; ita ejus dictis ii, qui tunc erant, acquieſcebant.* Similia plane Jamblichus & Malchus in Vita Pythagoræ, item Nicephorus Gregor. Hiſt. Rom. Lib. VIII. p. 231. &c.

Alter locus, ad quem nunc accedimus, legitur; Lib. IX, Segment. 12. in Vita Heracliti, his quidem verbis: Κρότωνα τινὰ ἱςορεῖν ἐν τῷ κατακολυμβητῇ. Ubi merito quærit doctiſſimus Kühnius, quid ſit κατακολυμβητὴς, & cur ita vocetur? quum nulla appareat neceſſitas, cur adjectum fuerit τὸ κατὰ, putatque, inde forſan legendum eſſe, ἐν τῷ κατὰ κολυμβητὴν, quod tamen ſibi ipſi diſplicere, ingenue fatetur. Sed mihi facilis videtur medela, legendo, ἐν τῷ κατωκολυμβητῇ. Κατωκολυμβητὴς ſcilicet eſt urinator, qui profunda petit, & ſeſe altius in undas demittit, dictumque

que eſt, ut κατωφερὴς, κατώρυχ@, κατωφόρ@, & κατωκάρα, & infinita talia apud Heſych. Suid. Phavorin. & alios crebro occurrentia. Alio vero nomine τὸν τατωκολυμβητὴν, Ariſtoteles, Lib. IX. de Hiſt. Animal. cap. 48. & ex hoc Ælianus de Nat. Animal. Lib. XII, cap. 12. vocavit ὕφυδρον κολυμβητήν.

Sed nunc ad tertium Diogenis noſtri locum, Lib. X. Segm. 9. in Vita Epicuri: ἥτε διαδοχὴ - - - ἀνηρίθμους ἀρχὰς ἀποκύουσα, ἄλλην ἐξ ἄλλης, τῶν γνωρίμων, h. e. *Scholæ Epicureæ ſucceſſio innumerabilia initia aliud ex alio, diſcipulorum peperit.* Sed quid hoc, & quis hæc intelligit? Joach. ergo Kühnius pro ſua in his litteris mira ſagacitate, locum non ſanum merito credidit; ſed dum ἀρχὰς, mutat in ταραχὰς, idque ad ſanandas animi perturbationes trahit, ipſe novas profecto turbas ſive ταραχὰς, excitat, nam nullo plane modo hæc emendatio locum hic habere poteſt. Quamobrem mihi vix dubium, quin levi mutatione ſcribendum fuerit ἀνηρίθμους ἀπαρχὰς ἀποκύουσα, h. e. *innumerabiles primitias, aliam fœturam ex alia, diſcipulorum pariens.* Nimirum ἀπαρχαὶ ſunt primæ fœturæ agri, pecudum hominumque, ut notum; quæ ſane conjectura huc apprime facere videtur.

Forſan tamen nihil plane immutandum; ſed locus potius commoda interpretatione juvandus. Ἀρχὴ nempe ſpecies apis eſt aculeo carentis, Heſychius: Ἀρχὴ, εἶδος μελίσσης ἀκέντρου, quod acute videtur dictum in otioſos & fruges conſumere natos Epicuri ſectatores &

& diſcipulos: imbelles enim & imbecilles eſſe apes, quæ aculeo careant, res nimis nota eſt: ſed hæc obiter. Ἀρχαὶ ergo examina ſeu globuli apum ſunt, unde locus hic noſter inſignem plane lucem accipere videtur. Scilicet hunc in modum vertendus tum erat: *Hæc vero Epicuri ſucceſſio innumerabilia quaſi examina diſcipulorum peperit, aliud nempe ex alio progenerans.* Niſi quis denique legere malit, ἀνηρίθμους ἄγρας, *innumerabiles venationes* & *capturas*, quaſi: facili nempe metatheſi litterarum, inter ἀρχὰς, & ἄγρας. Sed hoc leve. Eligat nunc acutus & κριτικὸς Lector ex his, quod magis ipſi placuerit; Nos viles noſtras merces mangonico artificio impudenter nimis atque imprudenter exornare, omnino veremur.

Caput XIX.

Q. Curtii locus a minus neceſſaria Cel. Gronovii conjectura vindicatus; & facili opera explicatus. Copia *pro manu armata ſ. copiis.* Stropha *idem ac fraus, inſidiæ.* &c.

Cultiſſimus Alexandri M. præco, Q. Curtius, de miſerando Darii fato hæc inter alia refert, Lib. V, cap. 12. *Rex Darius curru paullo ante vectus, & deorum a ſuis honoribus cultus, nulla externa ope admota, captivus ſervorum ſuorum, in ſordidum vehiculum pellibus undique contectum imponitur.* Omnia quidem hic clara planaque viderentur; ſi per ſummum Virum J. F. Gro-

Gronovium liceret: Is enim vocibus, *ope admota*, neſcio quare, offenſus, eas ſede ſua movere contendit, earundemque loco ſubſtituere jubet, *nulla externa vi admota*, quomodo nempe Curtius noſter loquutus infra, cap. 7. Lib. VI. vid. ejus Obſſ. Var. Lib. II. cap. 12. pag. 308. Sed vehementer dubito, an ſeſe cuiquam urbanioris notæ hominum approbatura ſit coacta illa & violenta mutatio vocis *ope*, in *vi*; quæ enim quæſo inter has convenientia & harmonia? ſane ne minima quidem, ut clare patet, quod tamen pace divorum Viri magni manium monitum a nobis ſit. Si igitur aliquid hic mutandum fuerit; malim omnino reſcribere, *nulla externa copia admota*, ſenſu profecto facili planoque. *Copiam* enim idem eſſe ac facultatem ac potentiam, quis neſcit? Sed & *copia* idem valet nonnunquam ac copiæ ac manus armata. Quam in rem perſpicue admodum Tacitus, Lib. II. Hiſt. cap. 52. *Mazippa levi cum* Copia *incendia, & cædes & terrorem circumferret.* Ubi *levis copia* idem eſt ac *modica manus*, quod mox ſequitur in contextu. Atque hic vocis *copiæ* ſenſus huic loco egregie plane convenit. Nempe miſerrimus Darius a ſuis ſubjectis & ſervis captivus ducebatur, nulla manu armata hoſtili exterius adhibita, quá vertente tergum fortuna, ſervire coactus fuiſſet. Quid ergo nunc clarius planiusque? Poſſet tamen etiam haud inepte hic legi: *nulla externa ſtropha admota*, id eſt, fraude, dolo, aſtutia, inſidiis, quá voce uſi hoc ſenſu Petronius, Seneca, Martialis, Phædrus, Symmachus, Pru-

Prudentius & Plinius in Epiſtolis, ut doctis notum, vid. Cel. Burmann. in Commentario Novo ad Phædr. Lib. I. Fab. 14. pag. 35. Præſtat tamen, me quidem judice, prior conjectura noſtra huic poſtremæ. Sed Lectoris eſto arbitrio permiſſum.

CAPUT XX.

Ælianus loco aliquo corrupto emendatus, Variis aliorum Clariſſimorum Virorum conjecturis poſt habitis.

SCitum ſane fuit Iſocratis Rhetoris dicterium in Athenienſium civitatem, quod ita enarrat Ælianus, Lib. XII. Var. Hiſt. cap. 52. Ὁμοίαν εἶναι (τήν Ἀθηναίων πόλιν) ταῖς ἑταίραις, καὶ γὰρ ἐκείνους τοὺς ἁλισκομένους ὑπὸ τῆς ὥρας αὐτῶν, βούλεσθαι συνεῖναι αὐταῖς, ὅμως δὲ μηδένα εὐτελῶς οὕτω περιφρονεῖν, ὡς ὑπομεῖναι ἂν συνοικῆσαι τινί αὐτῶν. In quibus tamen mendum latere circa vocem ἐκείνους, recte obſervarunt eruditi Commentatores. Licet enim τὸ ἐκεῖνο, apud Atticos, & inprimis Ælianum ſtilo ἀττικώτατον, ſæpius παρέλκειν ſciamus, quod uberius edocet Index in Ælianum græcus: hic tamen locum nequaquam habere videtur, quod deſit omnino ſubjectum, ut in ſcholis loquuntur, ſeu viri vel juvenis nomen, de quo, vel quibus iſta prædicantur, quæ in contextu ſequuntur. Tanaquillus ergo Faber, qua erat, ut notum, audacia, legendum jubebat: ἐκείνων ἐραστὰς ἁλισκομένους, nulla

nulla ſane probabilitate, nec minima quidem veri ſpecie. Hinc tam audax facinus merito caſtigat Schefferus, legendum potius cenſens, ἐκείναις: Sed quid tum fiat cum ſeq. ἀυταῖς, alterutrum enim abundare palam liquet, licet id neget Cl. Perizonius, qui non rejicit conjecturam Schefferianam; quin potius aliquot ſimilibus pleonaſmis magis confirmat. Omnium vero minime ſeſe tuebitur Jac. Gronovii lectio, quando pro ἐκείνυς, legendum imperabat νεανίσκυς, quæ enim quæſo vel minima eſt convenientia ἐκείνυς inter, atque νεανίσκυς? Sane ſi ἐκείνυς in ἐφήβυς mutaſſet; aliquem ſaltim literarum ductum obſervaſſet, nec adeo procul a ſcopo abfuiſſet. Sed quilibet ſuo indulget genio & abundat ſenſu; ideo nihil hic exprobrandum. Nobis contra, ut verbo moneam, leviſſima ſane mutatione locus hic vexatus ita conſtituendus videtur: Καὶ γὰρ ἀγύνυς τὺς ἀλισκομένυς ὑπὸ τῆς ὥρας ἀυτῶν, κ.λ. h.e. *etenim feminarum uſu alias carentes viduumque & frigidum cubile habentes* (hi enim ſunt proprie ἄγυνοι,) *ab ipſarum pulchritudine captos, velle cum ipſis rem habere.* Senſu ſane commodiſſimo & luculentiſſimo, quod ſequentia contextus clariſſime evincunt. Fuit tamen etiam, quum legerem: καὶ γὰρ κοινῶς τὺς ἀλισκομένυς ὑπὸ τῆς ὥρας ἀυτῶν. κ. λ. *Vulgo etenim vel plerumque ab ipſarum pulchritudine captos velle cum ipſis rem habere.* Κοινῶς enim, ut notum, idem eſt ac communiter, vulgo, plerumque, more recepto &c. Profecto & hic nemo non ſtatim videt, quam belle & apte nunc omnia

cohæreant, & quam planus & facilis ſenſus inde emergat. Interim malim tamen priorem conjecturam poſteriori longe præferre. Monendum vero adhuc circa vocem περιφρονεῖν, eam haud dubie mutandum eſſe in παραφρονεῖν, quod jam viderat Joach. Kühnius, etſi nihil certi ſtatuerit.

Quod enim Cl. Perizonio nihil hic mutandum videbatur; cauſſæ ego nihil ſane video, quare in re adeo manifeſta hærere, nec verum patens perſpicere voluerit. Neque enim omnia illa exempla ex Homero, Heſiodo atque Ariſtophane adducta ita comparata ſunt, ut aut Æliano explicando inſervire, aut corrupti hic verbi περιφρονεῖν defenſionem commode ſuſcipere poſſint. Sed ſolet ſæpe hic vir maximus deplorata & conclamata defendere, quod quondam dicebat de Salmaſio Hugo Grotius, & etiam jure dici poteſt de Joach. Kühnio, Reineſio & aliis quibusdam, ſalva tamen virorum maximorum auctoritate, fama & veneratione.

Caput XIX.

Cornel. Tacitus ter emendatus, aliorum conjecturis exploſis, excepta Grotiana.

Præter ea, quæ jam ſupra paſſim ſuſtulimus, ſuperſunt adhuc quam plurima graviſſima menda, quibus Clariſſimus ob obſcuram linguam ſublimesque ſententias & reconditos ſenſus ſcriptor, Cornelius Tacitus, turpiter proh dolor!

dolor! ubique inquinatus eſt, ex quibus nunc tria potiſſimum indicare & emaculare lubet, reliquis emendandis inferius commodiore loco deſtinato.

Libro XIV. Annal. cap. 8. de Agrippinæ nece: *Magis ac magis anxia Agrippina, quod nemo a filio, ac ne Agerinus quidem, aliam fere litore faciem nunc, ſolitudinem ac repentinos ſtrepitus, & extremi mali indicia.* Hæc corruptiſſima eſſe, nemo non ſtatim deprehendit: quare multum hic æſtuaſſe doctos interpretes, non mirum. Inprimis quum in Cod. Florentino antiquiſſimo MSt. *aliam fore lateret*, extare, obſervaret Pichena. Ex qua corrupta licet ſcriptura, ſequentia tamen fere ſcripſiſſe Tacitum, auguror: *aliam fore faciem, ſi lætarentur,* (quod ſcilicet ſalva evaſiſſet naufragium,) *nunc ſolitudinem*, &c. Senſu ſane perſpicuo, ſi quid judicem. Aliam nempe fore faciem, ſcilicet occurrentium, & de ſuperato feliciter vitæ diſcrimine gratulantium, ſi lætaretur filius imperator & ceteri aulæ proceres. Ideo & *lætaretur*, legi poſſet, ſi ad ſolum nempe Neronem reſpiciatur: ita fere Cicero orat. pro Milone, *lugere eum ſolum, propter quem ceteri lætarentur*, & mox, *ſi grata res publica eſſet, lætaretur.* Certe melius de hoc loco depravatiſſimo jam non ſuccurrit. Quærant feliciores.

Eodem Libro, Cap. 16. De Carminum ſtudio temere a Nerone affectato: *Contractis, quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum inſignis ætatis nati, conſidere ſimul & allatos, vel ibidem repertos verſus connectere.* &c. Quæ omnia mi-

re turbata, fœde corrupta & ſano ſenſu prorſus vacua eſſe, ex copioſis variis divinationibus & conjecturis iſti loco in Gronoviana Editione ſubjectis abunde liquet. Variæ quoque mihi ſuper hoc deſperato loco ſubnatæ ſunt conjecturæ, ex quibus nunc binas ſequentes ceteris præfero. Scilicet ſic mihi locus conſtituendus videtur, ut ſenſus pateat: *Nec dum inſignis arte; ii gnari, conſidere ſimul*, &c. Hoc eſt: Ipſe Nero artem verſus ſcite pangendi nondum bene callebat; ii vero juvenes, quos in artis ſocietatem adſciverat, gnari non nihil illius divinæ artis, ſupplebant, emendabant, & melius inſtruebant verſus a Nerone nunc male prolatos, nunc truncos & dimidia ſui parte adhuc mutilos, ita ut tandem unum poëma concinnarent, quanquam diſſonum, nec uno impetu & inſtinctu ſcriptum, *nec uno ore fluens*, ut mox ſequitur, ſcilicet, quod a diverſis eſſet compoſitum, & haud uno tenore decurreret. Hanc certe Taciti fuiſſe mentem, prope perſuaſus ſum. Ceterum huc fere illud Claudiani, Lib. II. in Eutrop. v. 326. ſqq. licet de alia re:

- - - *juvenes venere protervi,*
Laſcivique ſenes, quibus eſt inſignis edendi
Gloria.

Altera vero de hoc loco conjectura noſtra hæc eſt, ut legendum cenſeamus: *nec tam inſignis artis gnari; præcedit enim, quibus aliqua pangendi facultas eſſet*, adeo ut notetur, ſocios Neronis arte verſus pangendi haud multo melius

lius inſtructos fuiſſe, ac ipſum quidem Neronem, ſcilicet ex veteri proverbio: ἧλιξ ἥλικα τέρπει, & alio ſimili: τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, item ὁμοῖον ἄγει Θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον, καὶ κολοιὸς παρὰ κολοιὸν ἱζάνει. Nam ſimilis ſimili gaudet, ut Latini dicunt.

Tertius denique locus occurrit in Vita Agricolæ, Cap. XXXIII. *Cum Agricola, quanquam lætum & vix monitis coërcitum militem adhuc ratus, ita diſſeruit.* In quibus illud, *adhuc ratus*, ſenſum valde turbat & quædam ibi deficere innuit. Grotius igitur acute legabat, *adhortatus*; aliorum enim commenta non placent. Nam ſimili plane modo Silius Italicus, Lib. V.

Nunc hos, nunc illos adit, atque hortatibus implet.

& Lib. VIII.

Maxima tot populis rector fiducia Brutus
Ibat, & hortando notum accendebat in hoſtem.

Forte & ſcribendum non minore elegantia: *adhuc adortus*, ſenſu perſpicuo, niſi fallor. Agricola militem ad pugnam jam paratum & inflammatum, gravi illa & ponderoſa Oratione, quæ ibi ſequitur, inſuper adgreſſu ..it, ſicque magis adhuc inflammavit.
Sed hæc hactenus.

Caput XXII.

Heſychius ter emendatus Χοιράδες, *quid? Galenus correctus.* ξηροὶ, σκηροὶ *&* σκληροὶ, *confuſa. Hippocratis locus obiter emendatus.*

Heſychius inprimis fœde contaminatus eſt, pag. 975. in voce χοιράδες, ſic enim vulgo legitur ibi: χοιράδες, αἱ ἐγκείμεναι πέτραι, καὶ πάθος τὶ δεινόν.

In quibus verbis duo quaſi prærupti ſcopuli obſtant, qui lectorem inoffenſo pede progreſſurum valde offendunt. Quid enim quæſo hic αἱ ἐγκείμεναι πέτραι? nihil profecto; ſi quid quidem videam ego. Quare id quidam docti mutare conati ſunt in ἐκκείμεναι πέτραι, hoc eſt, *exſtantes & prominentes petræ*, nec id quidem male, aut infeliciter: Poſſet tamen æque bene hic ſubſtitui, ὠγκώμεναι πέτραι, vel ὀγκέμεναι, quod idem, *prætumidæ & elatæ petræ*, vel ἐγκυμόμεναι πέτραι, *gravidæ quaſi & turgeſcentes prominentesque petræ*, niſi hoc nimis poëticum & catachreſticum videatur in ſcriptore pedeſtri & Grammatico: Sed & perquam commode legi hic poſſet, αἱ ἐκτεινομέναι πέτραι, *prominentes & extantes petræ:* immo nihil forte mutandum, ἐγκείμεναι enim petræ ſunt ſcopuli intus latentes, & idem, ac ὕφαλοι, qui χοιράδες dicebantur, vid. Steph. Bergler. ad Alciphr. Ep. 14. Lib. I. pag. 60. Ἐξέχουσα εἰς θάλασσαν πέτρα, eodem ſenſu alias Noſter dixit in voce Σκόπελος. Inde vero ſignificanter

ter Hippocrates Lib. de Glandulis, *χοιράδες*, inquit, *ἀναπηδῶσιν*, *ſtrumæ exſiliunt*, *proſiliunt*, ubi ad has ipſas petras *ἐκκειμένας* vel *ὠγκωμένας*, alluſiſſe eum credibile, ab earum enim protuberantia Chœradas nomen ſortitas fuiſſe ſuum, Paullus Ægineta, Actuariusque infra allegati cum aliis ſuo loco laudandis, clare teſtantur. De his vero petris Chœradibus multa collegit Cl. Arnaldus, in Animadverſ. Crit. Cap. XXXVII. p. 248. ſqq.

Sed majus omnino atque extantius mendum latet in reliquis verbis, *καὶ πάθος τί δεινόν*: Perquam obſcurum enim atque reconditum valde manet, qualiſnam potiſſimum affectus ſive paſſio ſit morbus ille *χοιράδες* dictus, & ad quam inprimis corporis partem proprie pertineat. Quare vix dubium mihi hæret, quin hic legendum fuerit, *καὶ πάθος τί ἀδένων*, *& paſſio quædam glandularum*. Medicis nimirum notiſſimum eſt, ſtrumas ſive chœrades eſſe præduros & cedere neſcios glandularum, potiſſimum colli, axillarum & inguinum tumores: Inde bene hunc in ſenſum Paullus ab Ægina, Lib. IV. Cap. 53. *αἱ χοιράδες, ἀδένες εἰσὶν ἐσκιῤῥωμένοι, κατά τε τὸν τράχηλον, καὶ μασχάλας, καὶ βουβῶνας μάλιστα συνιστάμεναι*, id eſt, *ſtrumæ, glandulæ ſunt induratæ, quæ in collo, axillis & inguinibus maxime exſurgunt & intumeſcunt.*

Idem habet Actuarius, Libro II. *περὶ διαγνώσ. παθῶν*, Cap. 37. *αἱ δὲ χοιράδες ἀδένες εἰσὶν ἐσκιῤῥωμένοι, κατά τε τὸν τράχηλον, καὶ μασχάλας, καὶ βουβῶνας μάλιστα συνιστάμεναι.*

μεναι. Omitto Galenum, Aëtium, Pollucem, Rufum Epheſium, immo Hippocratem ipſum, in Lib. *περὶ ἀδένων*, ſive de glandulis, aliosque plures, qui eadem, aliis licet verbis, de Chœradibus hiſce adnotarunt, vid. Henr. Stephani Dictionarium Medicum, pag. 512. ſeqq. Unde nunc manifeſto conſpici arbitror, teſtibus haud rejectaneis noſtram niti conjecturam, tantisque auctoritatibus ſuffultam, non opus habere, quod multos extimeſcat contradictores. Quis enim non videat liquido, ſenſum longe meliorem atque comtiorem exinde emergere, ubi legerimus, *πάθος τί ἀδένων*, quam ubi vulgatum, *πάζεος τί δεινόν*, admiſſum fuerit? Igitur nolim Lectorum judicio atque ingenio diutius diffidere, qui per ſe ſtatim ipſi cognoſcent, opinor, quid verum ſit atque decens.

Sed unicum hic addere liceat locum Galeni, ideo potiſſimum, quod fœda menda ſit inquinatus, quam hac quidem commoda occaſione emaculare animus eſt. Sic autem ille in Definit. med. *χοιρὰς ἐςὶ σὰρξ ξηρὰ καὶ δύσλυτος*, h. e. *ſtruma eſt caro ſicca & ægre ſolubilis.* Sed quid hic quæſo eſt *σὰρξ ξηρὰ*, *caro ſicca?* nempe legendum haud dubie, *σὰρξ σκληρὰ* vel *σκηρὰ*, *caro dura & ſcirrho indurata*, ſcil. *σὰρξ ἐσκιῤῥωμένη*, ut ſupra ex Paullo Ægineta & Actuario demonſtratum.

Idem vero, ac hic, mendum occurrit quoque in Hippocratis Libro de Natura Mul. initio, ubi *οἱ μαζοὶ ξηροὶ*, legitur, pro *μαζοὶ σκληροὶ*, vel *σκηροὶ*, ut clare docebimus alibi.

Eſt

Eſt vero σκηρὸν, Heſychio teſte, σκληρὸν, παχὺ; licet contrarium habeat in Gloſſario Hippocratico Erotianus, qui per χαυνόσομφον, potius exponit, qua de re alibi plura.

Adeo uſque depravatus erat bonus noſter Heſychius in pathologicis & anatomicis; ſed longe adhuc corruptior eſt in botanicis, quod vel ſequens inquinatiſſimus locus docebit evidentiſſime: Μῶλυ, inquit noſter Lexicographus, φυτȣ̃ εἶδος ἀλεξιφάρμακον, ἢ βοτάνης ἀντιπάθιον, οἱ δὲ τὸν λόγον, δι' ȣ̃ τὰ πάντα μολύνεται, ὅ ἐςι προσγίνεται.

In quibus ſane ȣ̓δὲν ὑγιὲς, adeo ut mirum fere ſit, decantatiſſimum & potentiſſimum alias contra faſcinationes & pericula hoc Moly in hoc loco invidiam, malum oculum malamque ſcribarum manum amoliri haud potuiſſe. Legendum ſcilicet, ut paucis complectar, Μῶλυ εἶδος φυτȣ̃ ἀλεξιφαρμάκȣ, ἢ βασκανίης ἀντιπάθιον (ſive melius, ἀντίπαλον) οἱ δὲ τὸν λόγον, δι' ȣ̃ τὰ πάντα μολέεται, ὅ ἐςι, προσγίνεται. Hoc eſt: *Moly ſpecies eſt plantæ contra venena aut adverſus faſcinum: quidam autem ſapientiam per Moly intelligunt, per quam omnia proveniunt, hoc eſt, generantur & peraguntur.* Senſu liquidiſſimo, qui antea nullus. Sed vid. hoc de loco plura in ſchediaſmate noſtro de Moly Homerico, proxime auctius edendo.

Caput XXIII.

Seneca philoſophus quater emendatus. Heſychius ſemel.

Graviſſimus & ſanctiſſimus morum Cenſor, M. Annæus Seneca, de molliſſimo & delicatiſſimo Sybaritarum Smindyride ſive Mindyride, Lib. II. de Ira, cap. 25. hæc refert non ſine bile rugoſaque ſanna: *Idem bilem habere ſæpius queſtus eſt, quod foliis roſæ duplicatis incubuiſſet.* Ubi τὸ *bilem*, plures Editores omittunt, quia non intelligebant; male omnino: licet enim vitioſa ſit iſta vox & bilem moveat; non tamen erat reticenda. Gronovius quidem, præeunte Lipſio, ſanam eſſe iſtam bilem credebat, atque de febricula bilioſa ſtomachique tumultu ex bilis ſuffuſione oborto, explicabat; ſed frigide omnino (ſit venia dicto!) minusque commode: quis enim unquam dixerit hoc ſenſu, *bilem habere?* Sagacior ergo erat conjectura Rubenii, legentis, *bullam*, quia Ælianus, Lib. IX. Var. Hiſt. cap. 24. eandem enarrans hiſtoriam, habet, *φλυκταίνας*, h. e. *bullas* & *tumores*, ex ardui laboris duritie excitatos. Sed quoniam & hæc vox *bulla*, nimis hic generalis eſt, nec græcum *φλύκταιναν*, ſatis ſcite exprimit; ideo & hanc conjecturam repudiamus, potiusque legendum cenſemus, *vibicem habere queſtus eſt.* Satis quidem appoſite ad hunc locum. Notum nimirum eſt, quid ſit proprie vibex, lividum ſcilicet atque tumidum veſtigium plagæ, verberis

beris aut contuſionis, Græcis *ἴβυξ*, Heſychius ex Emendatione quidem Scaligeri, *ἴβυξ*, *ςίγμα*. Hoc vero pacto major concordia futura inter Æliani *Φλύκταιναν*, & Senecæ *vibicem*: *Φλύκταινα* enim ſæpe idem ac *vibex*. Sed ſatis jam de his. Fuit quidem aliquando, quum legere mallem, *tylen habere queſtus eſt*., nempe *τύλην*. Sunt autem *τύλαι*, ſive *τύλοι*, *phlyctænæ*, vel tumores calloſi a duro & ærumnoſo labore bajulis & operariis in manibus humeriſque oborti, quod teſtatur his Heſychius: *Τύλαι, αἱ ἐν ταῖς χερσὶ Φλύκταιναι, ὡς περισσὰ τινὰ καὶ τοῖς ὤμοις*, quæ vero in vocibus *ὡς περισσὰ τινὰ*, corruptiſſima, quare ſcribendum videtur, *Φλύκταιναι, ὡς πυρὶ ἀνιςάμεναι*, *puſtulæ ceu ab igne excitatæ*, Salmaſii enim conjectura minus placet, tanquam coacta & longius petita. Niſi legere quis malit, *ὡς Φυσηματα τινὰ*, quod Noſter ipſe confirmare videtur, infra voce *Φλύκταινα*, *Φλύκταινα, τὸ ἀπὸ πυρὸς Φύσημα, κ.λ.* Vel *ὡς Φύσκαι τίνες*, legendum ex Scholiaſte Ariſtoph. in Veſp. p. 511. vid. & ad Acharn. p. 417. Similia vero cum his Heſychianis habet Suidas, qui proinde conferendus. Verum licet hæc conjectatio haud omni prorſus ingenio viduata videatur; malim tamen prius *vibicem*, retinere; quam poſterius *tylen*, quia illud latinum; hoc vero græcum, licet ſenſus utrinque unus idemque ſit, & cum Æliani narratione accuratiſſime conſpiret.

Alter vero Senecæ locus occurrit in ſapientiſſima Conſolatione ad Helviam, Cap. XI. his qui-

quidem verbis: *Animus, naturæ ſuæ memor, levis ipſe, expers, & quandoque emiſſus.* Hic *τὸ expers*, venuſtatis & probi ſenſus omnino expers eſt; ideo omiſit & Muretus, malo utique exemplo, recte ſic judicante Gronovio, qui hinc malebat *exſertus*, acute profecto atque eleganter. Verum majore cum probabilitate legendum videtur: *levis ipſe, præpes, & quandoque emiſſus*, ſenſu valde commodo. Niſi malis legere, *expeditus*, ſenſu pariter admodum convenienti.

Tertius porro locus legitur de Providentia, Cap. V. ubi ita cum DIS expoſtulat ſapiens Vir Stoicæ Sectæ præſidiis munitus & duratus: *Quid opus fuit auferre? accipere potuiſtis: ſed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur, niſi retinenti.* Hic malim ego, *renitenti*, facili litterarum lapſu atque metatheſi. Licet enim & alterum *retinenti*, probum; illud tamen noſtrum ἐμφατικώτερον eſt, niſi fallor.

Locus denique quartus extat Lib. de Tranquillitate Animi, Cap. XV. ſequentem in modum: *Catonem fleam, quod vulnera ſua fortiter tulit?* Nimis languidum atque imbelle hoc videtur de re ſane forti, immo atroci. Hinc Muretus volebat legi, *quod vulnus ſuum iteraverit;* Procul omnino a ſcopo & priſca etiam ſcriptura. Nec felicius Lipſius, conjectans, *quod vulnera ſibi fortiter intulit.* Quare malim ego: *quod vulnera ſua fortiter rupit;* appoſite omnino fortiterque. Sed res nimium profecto nota de Catone. Sic infra, Epiſt. XXIV. de eodem, *Nudas in vulnus manus egit*, h. e. inermes, ablato

ablato ſcilicet letifero ferro; malim tamen & hic *crudas*, legere, quia magis emphatice id dictum videtur.

Sed hæc de Seneca jam ſufficiant. Plura & graviora in ſequentibus. Nondum enim ſatis exhauſtus eſt ille omnis ſapientiæ humanæ Theſaurus.

CAPUT XXIV.

Phile de proprietate Animal. denuo bis emendatus. Hippocrates illuſtratus. Heſychius tentatus. Εἰς πῦρ, *pro* ἐν πυρὶ.

PErgamus jam hic in Phile illuſtrando & emendando, ſi ſuperius propoſita non diſplicuerint, quod de æqui Lectoris candore & placida humanitate ſecus ſuſpicari, ne quidem fas eſſe arbitramur. Sed fiat jam initium ἄνευ προοιμίου.

Cap. XXX, v. 73. pag. 122. Δάφνην φάγουσα φάτΤα. Mendum in his omnino latere videtur: non φάγουσι enim, ſive edunt palumbes laurum contra faſcinum; ſed φέρουσι potius, ſive important nidis ad malum omen averruncandum, quod conſtanti quidem fama ubique traditur. Cl. ergo Editor abſque mora ſcribendum hic imperat pro vulgato φάγουσα, potius λαβοῦσα, exigua ſane probabilitate. Mihi vero τὸ φάγουσα, mutandum probabilius videbatur in φέρουσα, vel potius minore licentia in ἄγουσα, quod idem eſt, ut notum, ac φέρουσα, ſive *congerens*, *apportans*. Clare Heſychius in ἄγω, ἄγων δ' αἴθωνα σίδηρον, ἀντὶ τοῦ φέρων, & paullo ſupe-

ſuperius, ἄγει, κομίζει, ἄγειν, κομίζειν, καὶ τὸ φέρειν, & iterum, Ἄγεται, φέρεται; hinc & ἄγειν & φέρειν ſæpius conjuncta leguntur, eodem ibidem obſervante, ita πολλὰς ὠφελείας ἄγειν τὲ καὶ φέρειν, dixit Dionyſius Hal. Lib. V. pag. 307. & ita alibi ſæpius. Sed quid opus plura teſtimonia in re notiſſima congerere? judicent docti! nihil amplius addo.

Cap. LXXII, v. 17. pag. 214. De vi lithontriptica, ut creditur, Lyncurii Lapidis: Εἰς πῦρ κομισθὲν καὶ ποθὲν. *Qui lapides renum tritus potusque reſolvit*, ut cum Priſciano loquar, in Periegeſi. Ad quæ verba ita Cl. Editor: *Miſere flacceſcit illud* κομισθὲν: *An forte legendum*, κονισθέν? κονίζω, κονίζομαι, *pulverem immitor, in pulverem vertor.* Hæc quidem ille doctiſſimus Vir. Sed quantum ego ſciam, τὸ κονίζεσθαι nunquam id ſignificat, quod quidem hic traditur ſine auctoritate. vid. Cl. Weſſeling. Obſſ. Var. Lib. II, cap. 23. p. 246. ſqq. Clare iterum Heſychius: κονίζεσθαι, κυλίεσθαι, φθείρεσθαι, κονιορτοῦσθαι. Quam bene vero atque appoſite hac doctiſſimi Grammatici Interpretatio conjecturæ propoſitæ conveniat, aliorum eſto Judicium. Fatendum quidem ingenue, perquam exiguam omnino differentiam intercedere inter κομισθὲν, & κονισθὲν, atque proinde ingenioſam videri hanc conjecturam: Quoniam vero ſignificatio vocis κονισθὲν, abhorret prorſus ab hoc loco præſenti, nec ullo modo ipſi convenire poteſt; eam dictis ex cauſſis merito miſſam facimus, & ad aptiorem locum ablegamus. Nobis vero legendum hic potius videtur, εἰς πῦρ σποδισθὲν,

διωθὲν, hoc eſt, *cineſactum*, ut cum Lucretio loquar, Lib. III. vel in igne in cinerem redactum, ſive calcinatum, ut Medici loquuntur, ſenſu profecto planiſſimo & commodiſſimo. Eſt vero hoc σποδιωθὲν, ut notum, a verbo, σποδίζω, *in cinerem verto*, ſive *comburo:* Ita Ariſtophanes in Veſpis, p. m. 451. με κεραυνῷ Διατινθαλέῳ σπόδισον ταχέως, ubi vid. Schol. Gr. & Flor. Chriſtian. in Notis, p. 452. Inde bene huc Hippocrates, Lib. II. de Morbis Mulier. §. LXVIII. Καρδαμὸν ἄγριον καὲν καὶ σποδωθὲν, *naſturtium ſilveſtre uſtum & in cinerem redactum.* Quale quid & alibi crebro occurrit, ut & apud Dioſcoridem, Æginetam, Galenum & alios. Τὸ σποδωθὲν enim ibi idem eſt, ac hic σποδιωθὲν, nempe a σποδέω, quod ſignificatione tantundem valere, ac σποδίζω, vulgatiſſimum eſt.

Sed mihi adhuc alia ſubnata eſt ſuſpicio, ſcribendum ſcilicet eſſe, loco τῶν εἰς πῦρ κομιωθὲν, ut vulgo legitur, εἰς περκνὸν πρηωθὲν, hoc eſt, *ad nigredinem uſque combuſtum*, quemadmodum ſic alibi Hippocrates dixit, κέρας αἰγὸς ἢ ἐλάφου μελανθὲν, ſive μέλαν, *capræ aut cervi cornu ad nigredinem uſque exuſtum.* Eſt enim τὸ περκνὸν idem ac μέλαν, ſive μελανθὲν. Heſychius: περκνὸς, γλαυκὸς, μέλας, & rurſus: περκνὸν, μελανόν. Denique etiam pro verbis iſtis, εἰς πῦρ κομιωθὲν, non incommode unica vox ſubſtitui poſſet, nempe, ἐσπυρκοριωθὲν, hoc eſt, *igne exſiccatum, igne toſtum;* tale enim quid videtur innuere idem Heſychius, quando ſcribit: ἐσπυρκορίζομεν,

ἐις πῦρ ἐξηραίνομεν. Quia vero hic locus aliquanto obſcurior & ab omni mendæ ſuſpicione non prorſus vacuus mihi videtur; ideo lubricæ huic conjecturæ nimium indulgere nolim. Forte enim diviſim legendum: *ἐς πῦρ χορίσκομεν*, *in igne ſaturamus*, h. e. in igne tam diu tenemus, donec illud, quod injectum fuit, probe percaluerit & excanduerit, totumque ignitum fuerit. Immo forſan hoc ipſo loco potius legendum videatur, *ἐς πῦρ κομίζομεν*, aut *εἰς πῦρ κυρίζομεν*, vel *κερματίζομεν*, h. e. in igne in partes minimas redigimus, utrumque enim ſignificat & *τὸ κυρίζειν* & *τὸ κερματίζειν*, ut notum. *Κερματίζειν* enim eſt *εἰς λεπτὰ διαιρεῖν*, teſte Schol. ad Ariſtophan. Plut. pag. 41. vid. & Heſych. & Suidas. Verum potius *τὸ σποδιάσθεν*, reliquis ſuſpicionibus hactenus copioſe allatis merito prætulerim. Niſi quis potius Philæ locum integrum plane ſtatuat, illudque *εἰς πῦρ κομισθὲν*, per *in ignem conjectum*, ſive *igni illatum*, commode ſatis, explicare velit. *Κομίζων* enim teſte Heſychio, idem eſt, ac *βαστάζων καὶ ἐπιφέρων.* Neque ſane Philes is eſt Auctor, a quo quis omnes purioris Græciſmi veneres & elegantias, ſine temeritatis nota, jure exigere poſſit, quod ſemel dictum ſit, ne quis nimio emendandi pruritu divexetur. *Εἰς πῦρ* autem notiſſimo Atticiſmo idem hic eſſe, ac *ἐν πυρί*, tritiſſimum eſſe, nec ulla probatione indigere arbitror. Sic in ipſo Novo Teſtamento promiſcue dicitur, *ὑπάγειν εἰς εἰρήνην*, & *ἐν εἰρήνῃ*: & *ἐλθεῖν ἐν Ἰταλίᾳ*, & *εἰς Ἰταλίαν*, apud Dionyſ. Hal.

Hal. Lib. I. apud quem talia fere innumera. plura vid. in Indice Æliani græco & apud Grammaticos Veteres: Sic ſupra apud Noſtrum, mox in procœmio operis, v. 12. καὶ ζῶσι λοιπὸν εἰς ἐρήμους γῆς τόπους, pro ἐν ἐρήμοις γῆς τόποις, ut bene obſervat celeberrimus Editor. Sed talia plura occurrunt paſſim apud hunc poëtam non poëtam, verſus enim politicos ſcripſit, ut notum, non metricos. Qua de re plura Cl. Editor in præfatione.

Caput XXV.

Locus Ovidii corruptiſſimus poſt Ill. Nic. Heinſium aliosque clariſſimos viros, denuo tentatus.

FRagmentum Carminis Ovidiani de Medicamine Faciei, tot nævis atque verrucis deformatum eſt, ut magis indigeat medicamine coſmetico ad eluendas maculas, quam ipſæ quidem puellarum formæ nimis ſtudioſàrum facies. Inter alia plura ſequens verſus 88. immedicabilis fere viſus eſt doctis Interpretibus:

Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum.

Turpiſſimum enim mendum ipſi inſidere, & ſpiſſa loci caligo clare oſtendit, & ex diverſis Codd. MSStorum Lectionibus in nitidiſſima Editione Burmanniana ſedulo adnotatis manifeſtius adhuc pateſcit. Quidam enim *cibum*, hic legunt, alii *ſubum*, (unde Sligtenhorſtius fingebat *ſcrupum*, pro ſcrupulo, dure omnino & in-

infeliciter) alii denique: *Emiriris pigribus adde thymum.* Ex quibus verborum monſtris Nicol. Heinſius formabat:

Et modicum miſtis picribus adde thymum.

Perperam omnino! dicendum enim erat, *picridibus*, non *picribus*, ut perſpicue liquet ex Plinio, quem ipſe hic laudat Heinſius: Picridibus vero verſus menſura reſpuit, ut notum. Quid ergo? ſcilicet cubus quadratus mutandus mihi videtur in ſphæram, ſive figuram globoſam, legendumque inde:

Et modicum e myrrhis pinguibus adde globum.

Nempe modicum globum, ſive glebulam pilulamve e Myrrhis pinguibus illi coſmeticæ compoſitioni adjiciendam eſſe, præcipit hic Ovidius. Myrrham vero in ejusmodi glebulas globoſas & rotundas concreſcere & deſtillando ex arboribus in rotunditatem globari, notum eſt, vid. Plin. Lib. XII, cap. 16. ubi tamen damnat myrrhæ glebas rotundas, ceu adulteratæ. Græci quoque σφαῖραν σμύρνης, *globum Myrrhæ*, dicunt, ita Origenes contra Celſ. Lib. IV. pag. 229. de phœnice, καὶ ταφέντα τὸν πατέρα ἐν σφαίρᾳ σμύρνης, quomodo & alibi. Sic & Trochiſcorum ex Myrrha meminit Serapio, Cap. CCLXXXII. vid. Jo. Bod. à Stapel ad Theophraſt. Hiſt. Plant. Lib. IX, Cap. 4. pag. 985. Sed hoc leve; ideo plura addere merito piget. Ceterum Myrrham vitia cutis tollere & faciei venuſtatem conſervare, notum ex Dioſcoride, Theophraſto, Plinio & aliis.

CAPUT

Caput XXVI.

Diogenes Laërtius ter emendatus. Hippocrates illuſtratus. Audax Marc. Meibomii conjectura rejecta.

NUnc iterum, ſi lubet, ad Diogenem Laërtium. Superſunt enim in ipſo adhuc plura polienda & emaculanda. Sic pæne locus conclamatus occurrit, Lib. IX, Segm. 7. ubi de Heraclito narratur: Λέγεται δ' ἐ καὶ ψυχῆς περατέον. Quæ quum nemo intelligere poſſet; inde varia excogitarunt Viri maximi, Caſaubonus, Lipſius, Kühnius aliique, quæ ſuis locis legi & probari, vel rejici poſſunt. Omnes quidem medicinam attuliſſe videntur; nemo tamen eorum rem acu tetigiſſe totumque negotium bene abſolviſſe credendus eſt. Nam omnia in medium ab ipſis allata longius petita, incerta valde atque dubia videntur, ad hæc a priſcis litterarum veſtigiis immane quantum diſcedunt. Scripſerim ergo ego: ἔλεγε δ' ἐ καὶ ψυχῆς περίπατον; quomodo nempe Hippocrates jam dixerat, Lib. VI. Epidem. Sect. V. pag. 810. ψυχῆς περίπατος φροντὶς ἀνθρώποισιν. Ubi tamen quoſdam olim legere maluiſſe περὶ παντὸς, notat hic Galenus; ſed male. Vid. Jo. Clerici Art. Crit. niſi fallor, locus enim jam non ſuccurrit. Alterum mendum ibidem paullo ante, Segm. I. deprehenditur, ubi de inſano ſuperciliosi Heracliti faſtu narratur: Ἡσίοδον ἂν ἐδίδαξε καὶ πυθαγόρην, κ. λ. *Heſiodum nempe docuiſſet & Pythagoram* &c.

ut vulgo vertitur frigida ſententia, legendum enim omnino, ἐτώθαξε, vel potius, ἐτώθασε, h. e. *ſalſe deridebat*, *ſubſannabat* & *ſuperciloſe vituperabat*, a τωθάζειν. Heſychius, τωθάζει, χλευάζει, μετὰ κενοδοξίας σκώπτει, κατακαυχᾶται, λοιδορεῖ, κακολογεῖ, occurrit vox apud Ariſtophan. in Veſpis, Dionyſ. Hal. Hippocr. in Epiſt. & alibi. Vid. Steph. Bergler, ad Alciphron. Ep. 4. Lib. II. p. 248. Niſi forte legendum fuerit ἐκύδασε, vel ἐκύδαξε, *ſubſannabat*, de quo verbo vid. Cl. Arnald. Lect. Gr. Lib. I. cap. 12.

Progrediamur jam ad tertium locum, Lib. X. Segm. 111. in Vita Epicuri: ἢ τῆς Θερμασίας ἐπιτηδείων πόρων ἐπιλαμβανομένης. Omnia hic clara, excepta voce πόρων, quae nullum prorſus hic ſenſum habet. Marcus ergo Meibomius legendum conjiciebat πυκνωμάτων, h. e. *denſitatum*, vel *denſitates*: conjiciebat? ain' tu? immo affirmabat, & tam pulchrum hunc ſuum fœtum eſſe arbitrabatur, ut eum more ſuo conſueto, vix laudando, in contextum ipſum recipere nullus cunctaretur. Quæ vero eſt obſecro, convenientia inter πόρων & πυκνωμάτων; & quis unquam tam violentam & longiſſime petitam emendationem approbare ſine judicii & famæ jactura, poterit? Verbo, nihil infelicius hac tam audacter contextui inſerta emendatione, ſive potius corruptione, ſit venia dictis. Senſus quidem omnino poſtulat, ut verbum hic ſubſtituatur, quod denſitatem & duritiem ſignificat; ideo quoad ſenſum, recte vidit Meibomius, Vir alias longe doctiſ-

doctiſſimus, locum eſſe depravatum & emendatione indigere; Quando vero πυκνωμάτων, loco τῶ corrupti πόρων, ſubſtituit, invita omnino Minerva & iratis Muſis, negotium adgreſſus fuit. Quid enim facilius fuiſſet & probabilius, quam pro πόρων, legere hic πώρων? πῶρος nempe idem eſt ac *denſitas*, *callus*, & dura atque compacta materia, ut notum. vid. huc maxime Suidas, voce πῶρος. Hoc igitur modo & ſenſus juvatur, & a priſca ſcriptura quam minimum diſceditur. Eandem vero confuſionem πόρων inter atque πώρων, in laudato Suida jam obſervavit græcantiſſimus Vir Lamb. Bos, in Animadverſ. ad Script. Græc. Cap. XLI. pag. 169. Ita & χώρυ & πώρυ, confunduntur in Hippocrate ipſo, Lib. de Venis, §. XX. Edit. Linden. ſed hoc obiter.

Caput XXVII.

Columellæ locus explicatus leviterque immutatus, & a minus neceſſaria doctorum commentatorum emendatione vindicatus.

Cultiſſimus agricola & politiſſimus ruſticus, Jun. Moderatus Columella, Lib. VI. de Re Ruſt. cap. 22. hæc habet: *Nam melius nemoribus herbidis, & frutetis, & carectis, quam lapidoſis locis, durantur ungulæ.* Sed quid hoc? adeone in molli, udo & paludoſo loco melius durantur armenti ungulæ, quam in duro, aſpero & lapidoſo? quis hoc credat, quis aſſerat repugnante ratione, & reluctante experientia? Audi contrarium, ſed verum, ex Varrone,

Lib. II. de Re Ruſt. cap. 8. unde hæc ſua hauſit haud dubie Columella, audi inquam! *Muli*, inquit, *ſi in paluſtribus atque uliginoſis locis nati, habent ungulas molles : iidem ſi exacti ſunt æſtivo tempore in montes, duriſſimis ungulis fiunt*, hæc ille, add. ipſum noſtrum Columellam, infra, Lib. VII, cap. 37.

Dubium ergo non eſt, grave turpeque mendum huic Columellæ loco inhærere : hoc vero ut emacules, cave hic cum Cl. Pontedera legere, *ſaturantur juvencæ*, hæcque obtorto quaſi collo ad illa Palladii, Lib. IV. Tit. 11. cum illo pertrahere: *quia melius frutetis, & his internaſcente herba, ſaturantur*, cave inquam, nihil enim a Columellæ mente magis alienum vel fingi quidem poteſt, ut clare patet. Neque vero rurſus ſequenda hic videtur Celeberrimi Geſneri conjectura, qui alias nitidiſſima ſua & diligentiſſima Editione his Rei Ruſticæ ſcriptoribus vitam dedit, immortalitatem ſibi, quando pro vulgato, *durantur ungulæ*, ſcribere mavult, *durant juvenculæ*. Sed lege potius mecum: *Nam minus nemoribus herbidis, & frutetis, & carectis, quam lapidoſis locis, durantur ungulæ*; vel leviter inverte locum ita : *Nam melius lapidoſis locis, quam nemoribus herbidis* &c. *durantur ungulæ*. Sed placet magis prior medicina, utpote minus violenta minusque crudelis, præ altera. Veram autem eſſe hanc noſtram conjecturam, non ſolum clariſſime ſupra jam probatum fuit ex Varrone, & ipſo noſtro Columella; ſed egregie prorſus amplius confirmat divinus Seneca, Epiſt. LI. his quidem verbis :

Quam-

Quamlibet viam jumenta patiuntur, quorum durata in aſpero ungula eſt: in molli paluſtrique paſcuo ſaginata cito ſubteruntur. Videſne hic ipſiſſima pæne Columellæ verba? ſane nec ovum ovo ſimilius eſſe poteſt, nec lac lacti, ut vulgo dicitur. Res ergo clara eſt: Verbum non addo.

CAPUT XXVIII.

Locus quidam Fab. Quinctiliani difficillimus & obſcuriſſimus emendatus, Radius *interdum idem, ac vaſa virilia.*

TOt tantisque atrocibus vulneribus a cæca ſæculi rudis & inficeti barbarie confoſſus olim proh dolor! fuit ſuavidicus & mellifluus Rhetor, Fabius Quinctilianus; ut eum nec ſua facundia, nec pietas ſua in hunc uſque diem plene reſtituere valuerit, nec omnium Eruditorum ſolertes & officioſæ manus ipſius vulneribus ſanandis, aut ad cicatricem perducendis hucusque ſuffecerint, ut jure conqueruntur Viri de Quinctiliano immortaliter meriti, Petrus Burmannus & Jo. Matth. Geſnerus, ut alios taceam.

Sed quid alienis opus eſt teſtimoniis, quum ex ipſa ſedula Quinctiliani lectione quivis ſtatim facillime perſpicere & colligere valeat, quam peſſime quamque indigniſſimis modis acceptus olim fuerit optimus & meliore fato digniſſimus Auctor? Unum hujus rei in præſenti ſufficiat exemplum, ſed illuſtre, grave & præ centum aliis conſpicuum. Occurrit iſtud Lib.

VIII. Inſtit. Orator. Cap. 2. pag. 364. Edit. nitidiſſimæ Geſnerianæ, ubi de vitanda coram judice ignaro amphibolia aut æquivocatione, ut loquuntur, ſcita & ſalutaria præcepta traduntur, adducto inter alia ſequenti exemplo: *Sicut in his, quæ Homonyma dicuntur, ut, Taurus animal ſit, an mons, an ſignum in cælo, an nomen hominis, an* Radix Arboris, *niſi diſtinctum, non intelligitur.*

Hic vero jure cum Cl. Geſnero quæro, quis unquam audiverit, legeritve, Taurum idem quandoque eſſe ac Radicem Arboris? excute mi Lector, omnium gentium vaſta volumina, totius inquam Veteris Latii pervolve monumenta; nusquam tamen, certus ſum, deprehendes inſolitum hoc loquendi genus, nullo loco alio, crede mihi, leges, *Taurum* & *Radicem arboris* unum idemque eſſe.

Dubio igitur caret omni prorſus, locum hunc fœdiſſima macula eſſe deturpatum. Quod & bene vidit Vir doctus, quem in Notis laudat Celeb. Geſnerus: ſed melius profecto mendum perſpexit, quam ſuſtulit, dum enim legit, *Radix arrhenici*, nihil arrhenici, aut Viro Critico dignum excogitavit, quod pace ipſius dictum a nobis ſit. Neque enim Tiro aliquis facile crediderit, adeo coacte & obſcure ſcripſiſſe liberi & amœniſſimi ingenii Rhetorem, Quinctilianum. Interim verum omnino eſt illud, latere ſcilicet in his depravatis Auctoris verbis obſcenam aliquam & prætextatam Vocis *Tauri*, ſignificationem, quod & validius confirmat Diomedes Lib. II. Cap. de Am-

Amphibolia, laudatus hic opportune a Paullo Colomeſio, Notis in hunc Quinctiliani locum, pag. 239.

Quam autem ut eruamus & in clara luce locemus, neceſſe prius erit vel maxime, ut infelix illa ſterilisque arboris radix radicitus extirpetur & ab imis fibris ex hoc cultiſſimo Quinctiliani loco penitus evellatur.

Legendum nimirum utique videtur, *Radius amoris*, vel *ardoris*. *Radius* nempe, græce ῥάβδος, *κατὰ σεμνολογίαν καὶ εὐφημισμὸν*, vocabatur olim particula illa ſalax, qua viri noſcuntur, quamque inter res ſerias ne nominare quidem fas eſt, ut Petronius venuſte loquitur. Ῥάβδος enim idem ac *βέλος*, hoc vero ſæpius pars illa corporis pudibunda, ut oſtendit Salmaſius, ad Lampridii Heliogabal. Cap. VIII. pag. 813. ut Latinis *Telum*, *Cuſpis*, & *Virga*, vid. Priapej. Carm. VIII. & LV. ibique Sciopp. & alios. Hoc ne ſine teſte aſſeratur, en Tibi Cælium Aurelianum, graviſſimum hercle teſtem, cujus hæc ſunt verba Lib. III. de Morb. Acut Cap. 14. *Neque tentigo frequens, atque ultra naturam, niſi virilia, ſive* Radius Virilis, *fuerit in tumore conſtitutus.* Qui locus Cælianus Quinctilianum egregie prorſus illuſtrat, & quomodo emendandus ſit, aperte & valide docet, exertoque quaſi digito oſtendit liquidiſſime.

Confuſa vero olim inter ſeſe fuiſſe *τὸ Radix* & *Radius*, a ſupinis & oſcitantibus Librariis, idem ipſe Cælius Aurelianus modo laudatus, perſpicue teſtatur, loco alio, Lib. II. de Morb.

K 5 Chron.

Chron. Cap. 1. ubi ſcriptum legitur, æque ac hic, in Quinctiliano, *Radix virilis paralyſi vitiatus*, quum tamen legendum ſit omnino, ut loco ſupra laudato, *Radius virilis paralyſi vitiatus*, ut præclare oſtendit Vir magnus Thom. Reineſius, Lib. III. Var. Lect. Cap. 18. pag. 662. & ex eo Almeloveen in Not. ad Cœl. Aurelian. pag. 637.

Poſſet quidem, non nego, locus hic & hunc in modum legi, *Radix virilis paralyſi vitiata*, ut ſic hæc eadem vox ſalva atque intacta manere poſſet noſtro Quinctiliano. Sed ut ingenue fatear, poëtica nimis, jocularia & duriuſcula nonnihil mihi videtur, quam ut a ſolutæ orationis & caſtigatæ dictionis ſcriptore commode adhiberi queat, ſic enim in Priapejis Carm. LXIX.

Hinc legitur Radix, *de qua flos aureus exit,*
Quem quum Moly vocat, mentula Moly fuit.

Quibus addas velim Horatium ipſum in Epod. XII. & iſtud inprimis Novii Atellanici, in Exodio, apud Non. Marcell. voce *Gallulare*, *puer, cujus jam Ramus roboraſcit:* ubi *ramus* κακέμφατον illud *Radius*, aut *Radix* eſt. Niſi quis legere malit, *arboreſcit*, licet & vulgatum ferri poſſit.

Perquam ergo probabile, niſi certum plane, videtur, legendum eſſe in noſtro Quinctiliano, ut ſupra monui, *Radius amoris* vel *ardoris*, non autem *Radix arboris*. Tum enim omnia ſcite & perbelle cohærent. *Taurus* nempe

nempe per translationem & elegantem tropum, idem nonnunquam eſt, ac *radius amoris*, ſive arcana illa Vena, per quam procreamur omnes, quamque ſine præfatione honeſte nominare haud licet, ut notum eſt ex Horatio, Petronio & Priapejis Carminibus, & uberius, præter neceſſitatem, oſtenderunt Commentatores Petroniani, ut & obſervatum Celeb. Geſnero. Ceterum voces *ardor* & *arbor*, inter ſeſe interdum confundi, forſan probari poſſit ex Senecæ Lib. I. Nat. Quæſt. Cap. 1. ubi de phænomenis igneis cœleſtibus in varias formas mutatis Sermo eſt: *Naſcuntur trabes & globi, & faces & ardores.* Licet enim poſterius *ardores*, & tolerari poſſit, & in ſequentibus ſæpiſſime quoque recurrat; legendum tamen majore, ſi quid videam, cum emphaſi, mihi videtur, *faces & arbores*, ut nempe diverſa illorum ignium forma diſtinctius indicetur, quidam enim trabium, alii globorum, alii rurſus facium & alii denique arborum comoſarum & crinitarum faciem & figuram referunt, ut notum. Sed ut ingenue fatear, hæc conjectura nobis multum incertior videtur, quam altera noſtra de hoc Quinctiliani loco, de quo hactenus. Heſychius tamen (ut redeam, unde digreſſus fui,) e contrario notavit, φῶυρον idem eſſe, ac τὸ γυναικεῖον, ſive ſaltum muliebrem: Quod ſi verum ſit; tum & legi commode in noſtro Quinctiliani loco poſſet, *Matrix amoris* vel *ardoris*, quod ipſam exactam ſatis convenientiam habet cum priſtina, etſi corrupta, voce *Radix*,

Radix,quod quivis deprehendet ſtatim ſua ſponte, etiam me ſilente, nec monente.

Præſtat tamen plurimum altera noſtra Lectio, Taurum enim de Vaſis virilibus longe frequentius uſurpari, ac quidem de locis muliebribus, extra controverſiam poſita res eſt, nec opus ſane, ut multis jam probetur, inprimis quum in hac ſacra Eleuſinia altius penetrare, vetat omnino ingenuus pudor, & morum, quam ſectamur, Caſtimonia. Hinc finio, ne quis malevolus Cenſor criminetur, quod

Senſus mihi corque defuiſſet,
Caſtas, Pieridum chorum, ſorores
Auſo ducere mentulam ad Priapi.

OBSERVAT. CRITICAR. LIBRI SECUNDI
FINIS.

DANIE-

DANIELIS WILHELMI TRILLERI

OBSERVATIONVM CRITICARVM

LIBER TERTIVS.

Caput I.

Juſtinus Martyr loco aliquo inſigni bis tentatus & emendatus. Archeſtratus Syracuſius guloſus & laſcivus poëta, cujus Libri plurimum nocuerunt bonis moribus. γοητεία & γοητικὸν, illecebræ & illecebrosum. Facere & agere *de re obſcena apud Hebræos, Græcos* & *Romanos.*

SAnctus Juſtinus Martyr, in fine Apologiæ II. pro Chriſtianis, dogmatum Chriſtianorum præſtantiam oſtenſurus, dicit inter alia, ea omni philoſophia humana eſſe excellentiora, aut ſi hoc non ſit, Sotadiis certe quidem, Philænidiis, & Saltatoriis & Epicureis aliisque id genus poëticis Inſtitutionibus multo caſtiora, puriora, probiora & moratiora eſſe. Verba ipſa hæc ſunt: Ἔςι δὲ ἡμῶν τὰ διδάγματα πάσης μὲν φιλοσοφίας ἀνθρωπείυ ὑπέρτερα. Εἰ δὲ μὴ, κἂν Σωταδείοις,

καὶ

καὶ Φιλαινιδείοις, καὶ Ὀρχηστικοῖς, καὶ Ἐπικουρείοις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιούτοις ποιητικοῖς διδάγμασιν οὐχ ὅμοια. Hactenus ille.

Hic vero locus, licet ab omnibus Juſtini Editoribus & Commentatoribus, Perionio, Lango, Grabio, Pottero, Kortholto, Hutchino, ſive Thirlby, aliisque viris doctiſſimis, ceu ſanus & planus ſecure tranſmiſſus fuerit; mihi tamen male omnino affectus & turpi macula inquinatus jure videtur. Quæro enim primo, quid *τὸ ὀρχηστικοῖς*, faciat hic inter ſcripta obſcena & luxurioſa Sotadis, Philænidis & Epicuri? Deinde, cur Libros illos deteſtabiles & peſtiferos vocaverit hic Juſtinus blandiſſima & mitiſſima appellatione, ſaltim *ποιητικοὺς*, ſive poëticos: inprimis, quum Sotades verſu tantum ſcripſerit; non vero Philænis & Epicurus, ut doctis notum, licet de Philænide adhuc a quibusdam dubitetur.

Sed pone etiam, omnes fuiſſe metrice ſcriptos; ideo tamen non erant damnandi & prohibendi, quod poëtici eſſent & metrici; ſed quod potius meretricii, ſpurci, laſcivi & libidinoſi, atque hinc bonos mores perdite corrumperent & flecti cereos juvenum animos ad fœdam libidinem vehementer inflammarent.. Nemo igitur jam non videt, opinor, aperte, locum hunc a mendo haud plane eſſe immunem. Licet enim, quod ad prius, non improbabile videatur, Auctorem noſtrum voce *ὀρχηστικοῖς*, ad varias laſcivas & impudicas ſaltationes Græcas reſpicere hic potuiſſe; quis enim neſcit motus Jönicos Horatii, Cordacem

cem Athenæi & Petronii, Sybaritica tripudia Maximi Tyrii, & Chironomon Ledam Juvenalis, quam molli ſaltante Bathyllo, Tuccia veſicæ haud imperabat? ut alias id genus ſaltationes plures jam prætercam, de quibus accurate pro more & ſatis copioſe egit Meurſius in Orcheſtra, poſt Athenæum nempe, quem vide, Lib. XIV. cap. 7. ſeqq. attamen quia hoc ὀρχηςικοῖς, non bene cohæret cum ſequenti Ἐπικερείοις, neque conſtat, Libros olim ſcriptos atque in vulgus editos fuiſſe de ejuſmodi libidinoſis ſaltationibus, etſi Lucianum περὶ ὀρχήσεως, ſed alio fine alioque more, ſcripſiſſe ſcimus: ideo merito concludimus, vocem illam ὀρχηςικοῖς, ægre hic tolerari poſſe, Nomenque potius aliquod proprium latere, quod cum Sotade, Philænide, atque Epicuro amice & apte conſpiret. Par omnino ratio eſt ſequentis vocis ποιητικοῖς, quam allegatis jam ſupra ex cauſſis, pariter aut ejiciendam, aut leviter immutandam merito cenſemus. Quid ergo multa? Nobis totus hic Juſtini locus ſequentem in modum & legendus & refingendus videtur: Εἰ δὲ μὴ, κἂν Σωταδείοις, καὶ Φιλαινιδείοις, καὶ Ἀρχεςρατικοῖς, καὶ Ἐπικερείοις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς τοιέτοις γοητικοῖς διδάγμασιν ἐχ ὅμοια. hoc eſt: *Sin minus, Sotadiis, certe quidem, & Philænidiis, & Archeſtraticis, & Epicureis, aliisque id genus illecebroſis & faſcinantibus inſtitutionibus non ſimilia.* Nimirum, primo Ἀρχεςρατικοῖς, vel Ἀρχεςρατείοις, (utrumque enim occurrit) pro ὀρχηςικοῖς, legendnm cenſeo, ſcil.

ſcil. ἀπὸ τῦ Ἀρχεςράτυ. Archeſtratus enim poëta olim erat Syracuſius, & verſu & vita juxta impudicus & laſcivus, quique eum ſolum in finem totum terrarum peragravit orbem, omniaque maria impigre luſtravit, ut voluptatem & luxum ſolide addiſceret, & poſtea alios ſcriptis accurate doceret, ὁ περιπλεύσας (inquit Athen. Lib. III. cap. 31. pag. 116. quem & vid. Libr. VII, cap. 5. pag. 278.) τὴν οἰκυμένην, τῆς γαςρὸς ἕνεκα, καὶ τῶν ὑπὸ τὴν γαςέρα. Scripſit enim Gaſtronomiam vel Gaſtrologiam, Hedypathiam, Opſologiam, & id genus alios complures prodigioſæ voluptatis Libros metro plerumque incluſos, quorum frequentiſſima apud laudatum modo Athenæum mentio occurrit, apud quem & plura horum Librorum fragmenta paſſim leguntur, licet hæc omnia Archeſtrati ſcripta pro uno ſaltim Libro diverſis his nominibus inſignito haberi videam apud eundem Athen. Lib. I. Cap. 7. Ideo vero optime cum Philænide & Epicuro a Juſtino conjungitur hic Archeſtratus, cum;quod pari modo eum cum Philænide conjunxit jam Chryſippus, apud citatum Athen. Lib. VIII, cap. 3. pag. 335. his quidem verbis: Χρύσιππον ἔτι μᾶλλον ἐπαινῶ, τὸν πολυθρύλλητον ἐπὶ τῇ ὀψολογίᾳ Ἀρχέςρατον ἀείποτε μετὰ Φιλαινίδος καταττάτΤοντα εἰς ἣν ἀναφέρεται τὸ περὶ Ἀφροδισίων ἀκόλαςον σύγγραμμα, & paullo poſt: Βιβλία τὰ τε Φιλαινίδος καὶ τὴν τῦ Ἀρχεςράτυ γαςρονομίαν καὶ δυνάμεις βρωτικὰς καὶ συνυσιαςικάς. Item Lib. X, cap. ult. pag. 457. Κομιδῆ ἐςὶ ταῦ-

ταῦτάγε τινός τοῖς τῆς Φιλαινίδος καὶ τοῖς Ἀρχεστράτου συγγράμμασιν ἐνῳκηκότος, κ. λ. tum quod idem Epicuro voluptatis ſectandæ magiſter fuerit, eodem referente Athenæo, Lib. III, cap. 22. pag. 101. hoc modo: Ἀρχέστρατος Ἐπικούρῳ τῷ σοφῷ τῆς ἡδονῆς καθηγεμὼν γενόμενος, & Lib. VII, cap. 5. pag. 278. idem Chryſippus Ἀρχέστρατον ἀρχηγὸν Ἐπικούρῳ φησί γενέσθαι καὶ τοῖς τὰ τούτου ἐπισταμένοις τῆς πάντα διαλυμηναμένης ἡδονῆς. &c.

Quis igitur nunc dubitet amplius, optimo conſilio Philænidem, Sotadem, Archeſtratum atque Epicurum in unam claſſem conjectos hic fuiſſe a ſanctiſſimo Juſtino, ideo imprimis, quod omnes in fœdiſſimis ſuis ſcriptis unum idemque argumentum, ſcilicet luxuriam & voluptatem, tractaſſe conſtat; & deinde, quod Chryſippus & Athenæus Philænidi & Epicuro Archeſtratum, ceu nobilem ſocium, adjungere nihil dubitarint, ut modo plenius fuit oſtenſum. Idem enim, quod hic de obſcœnis his Libris dixit Juſtinus, quod ſcilicet bonos mores corrumpant, & malos pejores reddant, laudatus ſupra Chryſippus Stoicus jam pariter monuit, apud ſæpius jam allegatum Athen. Libro VIII, cap. 3. pag. 335. hoc modo: Οὐκ ἐκμανθάνειν τὰ Φιλαινίδος καὶ τὴν Ἀρχεστράτου Γαστρονομίαν ἐστιν ὡς φέροντά τι πρὸς τὸ ζῆν ἄμεινον. *Philænidis ſcripta & Archeſtrati Gaſtronomiam ediſcere ſane non decet, tanquam ad bene beateque vivendum quidquam conferant.* Sicuti vero facilis admodum lapſus eſt inter

τὸ Ὀρχηςικοῖς, & inter τὸ Ἀρχεςρατικοῖς, inprimis, ſi vocem hanc per litterarum compendium, pro Veterum more, ſcriptam fuiſſe ſuſpicemur, nempe hoc modo: Ἀρχεςικοῖς; ita longe adhuc facilior eſt ille inter ποιητικοῖς & γοητικοῖς. Eſt vero γοητικὸν, Heſychio interprete, ἀπατηλὸν, μαγικὸν, h. e. *quod ſeducit*, *allicit* & *faſcinat*, atque de illecebris meretriciis commode & ſignificanter uſurpatur, ita idem Heſychius alio loco, in notiſſimo proverbio: Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς, hæc adjicit: Ἀριςοφάνης, ἐπεὶ δοκεῖ τοῖς ἐς Κόρινθον εἰσπλέουσι ξένοις χαλεπή τις ἡ πόλις εἶναι διὰ τὴν τῶν ἑταιρῶν γοητείαν: (reſpicit autem Ariſtophanis Plutum,) quæ ſane ad hunc noſtrum locum haud parum facere videntur, quemadmodum & Themiſtius dixit Orat. XXIV. pag. 301. ξενίοις οὐδὲ γοητεύειν δυναμένοις τὰς ἀκοάς, inprimis vero huc Philo Jud. Lib. de Plantat. Noë, pag. 178. ἑταιρῶν πρὸς ἐραςὰς γοητείαι. & Lib. de Mundi Opific. pag. 28. Τὰς δὲ γοητείας καὶ ἀπάτας αὐτῆς ἡ ἡδονὴ τῷ μὲν ἀνδρὶ οὐ τολμᾷ προσφέρειν. vid. Suid. in γόης: τῇ γοητείᾳ τῶν λόγων, de verborum illecebris, dixit & Dionyſ. Hal. Lib. XI. pag. 707. Conf. Caſp. Barth. Adverſar. Lib. LI, cap. 16. pag. 2416.

Sed plura hac de re collegit Creſollius, in Theatro veterum Rhetorum, Lib. I. Cap. 10. p. 75. & Cap. 13. p. 90. Διδάγματα ergo γοητικὰ hic ſunt doctrinæ illecebroſæ & faſcinantes, quemadmodum in verſione expreſſimus, quod certe de Sotadis, Philænidis, Archeſtrati atque Epi-

Epicuri nefandis & exſecrabilibus ſcriptis optimo jure dici poterat, nam illa re vera erant γοητικὰ; non vero ſolum ποιητικὰ, ſeu poëtica, quippe quod hic nimis languidum, elumbe atque frigidum eſſe videtur, ut jam ſupra a me liquido, niſi fallor, oſtenſum. Quodſi tamen alicui hoc ποιητικὰ retinendum videatur, per me quidem licet, modo tum aliter explicetur. Τὸ ποιεῖν enim interdum obſcœnæ eſt ſignificationis, quemadmodum Latinis Plauto, Petronio, Ovidio & aliis τὸ *facere* & *agere*, ac idem eſt, ac μίξιν ποιεῖσθαι ſeu συνουσιάζειν, ſive in venerem ruere & coitum exercere, quemadmodum id præter alios, multis exemplis oſtendit Petr. Moll ad Longi Paſtoral. Lib. III. pag. 79. & alibi, item Deſid. Heraldus ad Martial. Epigr. 47. Lib. I. pag. 18. noſque pluribus demonſtraturi ſumus proxime, ad Hippocratis II. Prædict. Libr. ubi τὸ πρήσσειν & διαπρήσσειν, eodem ſenſu occurrit, ut τὸ δρᾶν, apud Athenæum & laudatum Longum; quomodo etiam apud Hebræos עלל & עשה *fecit*, ſumi ſolet, ut alibi docuimus. Διδάγματα igitur ποιητικὰ hic idem eſſe videntur ac συνουσιαστικὰ, hoc eſt inſtitutiones, quæ obſcœna veneris ſchemata docent, qualia Sotadem & Philænidem inprimis ſcripſiſſe conſtat. Sed de his hactenus.

Audaculæ quidem, fatebor enim, hæ non nemini videbuntur conjecturæ; interim tamen nec ingenio omni, nec aliqua veritatis ſpecie easdem prorſus deſtitui, Lector haud moroſus & triſtis, qualem optamus, facile conceder.

 Quare

Quare eas nemini temere obtrudo, nec multum curo, ſive quis adoptare & fovere velit, ſive exponere & plane rejicere. Noſtra enim adeo ſtolide non amamus, ut vitrea nobis turgeſcat bilis, ſi quis noſtra inſomnia ex cornea porta evolaſſe perneget,

qua veris facilis datur exitus umbris.

Caput II.

Cornel. Taciti locus perquam difficilis facile emendatus, aliorum doctorum Virorum conjecturis improbatis. Impleri luctu *&* alimentis, *Græcis & Latinis Auctoribus eleganter dici, oſtenſum.*

Tacitus de L. Veteris filia miſeranda morti immerito deſtinata, Lib. XVI. Annal. cap. 10. ita inquit: *Vidua implexa luctu, nec ullis alimentis, niſi, quæ mortem arcerent.* Hic grave mendum latere, immo potius liquido patere, quivis paullo emunctioris naris ſtatim animadvertit. Quid enim quæſo eſt, *luctu implexa?* & quid porro eſt, *nec ullis alimentis,* ſine neceſſario adjecto verbo, a quo iſta regi & ſuſtentari debeant? aliquid quidem eſſet, ſi ſcriptum hic fuiſſet, *amplexa luctum*, vel *luctu amplexa*, quemadmodum Seneca de Conſolat. ad Marciam, cap. 1. *Teneas licet & amplexeris dolorem tuum*, & Lucanus, Lib. IX. de mœſta Cornelia: *Sævumque arcte Complexa dolorem*, ut alia ſimilia plura jam ſtudio præteream: ſed *implexa luctu*, bene & Latine dici, valde adhuc dubi-

dubito, quia deſunt, quantum memini, commoda hanc in rem exempla. Acidalius ergo atque eum ſequutus Gronovius, illud *implexa*, plane delendum cenſent ceu male natum & huc translatum ex paullo antecedentibus verbis: *cruentamque cervicem ejus amplexa.*

Sed hoc modo patentius latiusque fit vulnus, nulla vero adfertur medicina. Illud autem, *ullis alimentis*, ſuſtentat Ryckius, intruſa voce, *uſa*, in aliquo Codice reperta; quam tamen pro interpolatoris cujusdam commento merito habet idem Jac. Gronovius. Uterque mea quidem opinione, perperam fecit, & qui delebat vocem *implexa*, & qui inſerebat alteram, *uſa*. Quærendum enim potius verbum erat, quod more Taciti, ad utrumque reſpiceret ſimul, nempe ad τὸ *luctu*, pariter, & ad τὸ *ullis alimentis*. Quod vero illud? putem ego, *impleta*. Quid ergo obſecro, nunc clarius & huic loco convenientius, quam ſi mecum legeris: *Vidua impleta luctu continuo, nec ullis alimentis?* Nempe vides ſtatim ipſiſſimam Taciti manum, ipſiſſimum inquam genium, & curtum loquendi genus. Habes igitur ſic verum verbum, quod ad utrumque hujus periodi membrum apte reſpicit, & utrumque ſimul commode explicat, adeo ut mirum omnino ſit, unicam ſaltim litterulam fraudi fuiſſe Clariſſimis Viris, quo minus verum perſpicere valerent & animadverterent ſtatim, legendum eſſe *impleta*, pro *implexa*. Sed non omnes ſapiunt, neque omnibus horis, ut ſapienter monet Plinius, Lib. VII. cap. 40. Animus

enim luctu, dolore, triſtitia, aliisque affectibus impleri dicitur, quemadmodum venter cibis & alimentis. Inde ſapienter & graviter pro more Manilius, Lib. IV. Aſtronom. init.

Totque ſupervacuis vitam deplete querelis.

Nempe ſi depleri debeat vita querelis; ſequitur eam antea fuiſſe iisdem impletam, & quid notius apud poëtas, quam *pectus plenum curarum* & *impleta pectora luctu?* Luctu enim impleri & compleri, eleganter dici, patet ex multis Veterum locis, ex quibus pauca hæc ſequentia jam ſufficiant. Ita Salluſtius de Bell. Cat. Cap. 51. *luctu omnia compleri*, dixit, *totam urbem luctu ac mœrore compleverant*, Curtius, Lib. X, cap. 5. *Regia omnis aſſiſtentium fletibus tam crudelis diſcidii impleta*, Juſtinus, Lib. XXII, cap. 2. *Iſte poteſt implere dolor vel ſæcula tota*, Auctor Epicedii ad Liviam Auguſt. Quemadmodum & Græcos pariter, λύπης, ἀθυμίας καὶ πένθους πληροῦσθαι, καὶ ὀδυρμοῦ μεστοῦσθαι, dicere, notum eſſe arbitror.

Sic ipſe noſter Servator, Jo. XVI, 6. ἡ λύπη, inquit, πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν, *luctus implevit cor veſtrum*, item & Heliodorus, Lib. IV. Æthiop. pag. 178. ἡδονῆς δὲ ἅμα καὶ λύπης ἐνεπλήσθην, *voluptate ſimul & luctu implebar*, & mox ibidem, pag. 185. πάσης κατηφείας ἀναπλέων, *omni luctu plenum*, item Maximus Tyr. Diſſ. XXXVII. p. 360. ἐμπιπλὰς φθόνου, καὶ ὀργῆς καὶ θυμοῦ καὶ προπηλακισμοῦ. Sic & Herodianus dixit IV, 6. θυμοῦ πεπληρωμένος, apud quem & plura id genus

alia

alia occurrunt, ceu ex adjecto Indice Scheidiano clarius patet: θορύβε μεςὸς, Lucianus ait in Sympoſ. vel Lapith. pag. 646. apud quem id genus infinita alia. Sic in Fugitiv. pag. 593. βίον ἀδικίας καὶ παρανομίας μεςόν: Item μεςοὶ ὄντες ἀταξίας καὶ νεσημάτων, Dio Chryſ. Orat. 27. pag. 288. Similem in modum πληρεῦσθαι εὐθυμίας, dixit Athenæus, Lib. X, cap. 5. & περιχαρείας ὑποπλησθῆναι, Ælianus apud Suidam, in Fragment. pag. 1042. Idem quoque Heliodorus Lib. VII. Æth. pag. 320. ἔρωτός τε καὶ ζηλοτυπίας ἐμπλήσασα, & ibid. pag. 358. ὀργῆς ἅμα καὶ ζηλοτυπίας ἐμπλησθεὶς, ſic & alibi ſæpe, plura enim lubens prætereo.

Notiſſimum enim eſt, τὸ πληρεῦσθαι, de omnibus in genere affectibus, nunc bonis, nunc pravis, uſurpari apud Græcos, quemadmodum τὸ *impleri* apud Latinos. Sic *magnis cogitationibus pectora implete*, dixit eleganter Petronius, Cap. CXV. & *ſpe omnes impleret*, Juſtinus, Lib. XI, cap. 1. & alibi: *Nunc hos nunc illos hortatibus implet*, Silius Italic. Lib. V. de Bell. Pun. 11. infinita enim talia apud omnes omnino Auctores crebro occurrere, quis eſt obſecro, qui neſciat? Sic B. Apoſtolus Paulus plura iſtiusmodi conjungit Rom. I, 29. πεπληρωμένες πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ, μεςὲς φθόνε, φόνε, ἔριδος, δόλε, κακοηθείας, quemadmodum & Dio Chryſoſt. Orat. LXV. pag. 602. ὑπερηφανίας καὶ σκαιότητος μεςὲς. vid. & Orat. LXVII. pag. 616. Satis ergo de his, immo plus ſatis.

Porro alimentis ciboque & potu impleri, non ſolum bene, ſed & frequentiſſime dici, ecquis eſt adeo hoſpes in Veterum Libris, ut & hoc negare auſit? Ita Virgilius, Lib. I. magni divini poëmatis:

Implentur *veteris Bacchi*, *pinguisque ferinæ.*

Sic & Petronius, Cap. XVI. *Præparata nos* implevimus *cœna*, & Cap. CXXV. *Superfluentibus bonis ſaginatum corpus impleveram*; ita & Cap. CXII. *avide replevit ſe cibo:* huc & lepidus Pomponii jocus in proſtibulo, apud Nonium Marcell. ſub voce Rumen, *Ego rumorem parvifacio, dum ſit rumen, qui impleam.* Columella quoque Lib. II, cap. 10. de napis & rapis: *utraque ruſticos implent: implere ſe conchis*, dixit pariter Plinius, Lib. X, cap. 40. apud quem & plura hujus locutionis exempla; taceo enim ſtudio innumera alia ad hunc modum efformata, ne Lectorum ingenio & doctrinæ temere diffidere videar. Sed & eodem modo Græcos loqui, vulgatiſſimum eſt. Hippocrates noſter, Aphoriſ. 11. Sect. II. *ῥᾷον πληρȣ͂σθαι ποτȣ͂, ἢ σιτίȣ*, *facilius eſt potu impleri, quam cibo*, quomodo & alibi ſæpiſſime loquitur. Euripides quoque Electra: *πᾶς γὰρ ἐμπλησθεὶς ἀνὴρ Ὁ πλȣ́σιός τε καὶ πένης ἴσον φέρει.* h. e. *omnis enim impletus* (cibo) *Vir ſeu dives ſit*, *ſeu pauper, tantundem fert.* Sic & S. Lucas, in Act. Apoſt. XIV, 17. de Deo: *ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν*, h. e. *implens cibo & vino corda noſtra*, ſive *ventriculos*, ut alibi explicuimus latius.

Verum

Verùm talia infinita poſſent hic produci, ſi & neceſſe, & utile; ſed quia neutrum eſt, abſtineo lubens & prudens, ne ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, ut in proverbio eſt. Neminem ergo nunc credo futurum, quin ultro fateatur, recte nos hic conjeciſſe, legendum eſſe, *vidua impleta luctu continuo, nec ullis alimentis*; ideo inprimis, quod *&* *luctu* & *alimentis impleri*, bene dici ſolere, ſatis, opinor, perſpicue hactenus demonſtratum fuit. Ceterum eadem fere ac hic oppoſitio in illo Hippocratis, de Arte, §. XII. οἱ κάμνοντες πλήρεις μὲν τῆς νόσου, κενοὶ δὲ σιτίων, *ægroti pleni quidem morbo, inanes autem ciborum.*

CAPUT III.

Æliani Locus corruptiſſimus emendatus, expenſis & rejectis ut plurimum, aliorum doctorum virorum ſententiis.

LOcus apud Ælianum legitur, Lib. XIII. Var Hiſt. cap. 1. pag. 848. qui tamen mendoſiſſimus hodie circumfertur in Libris quidem vulgatis & contaminatiſſimus. Ibi de Atalantæ Jaſionis filiæ, importuniſſimis, impolitiſſimis & moleſtiſſimis procis hæc commemorantur: κακοὶ μνηστῆρες, σὺν ὕβρει καὶ ἄντρῳ τὰ ἕδνα τῶν γάμων προεκτελοῦντες. Ubi vel tironi patet vix græcis litteris imbuto, nihil plane hic ſignificare vocem ἄντρῳ, ſenſumque valde turbare, atque eſſe ἀντρῶδες revera, obſcurum & cavernoſum. Unde non mi-

rum, tot viros præſtantiſſimos ad depravatiſſimum hunc locum emendandum certatim concurriſſe, tanquam ad triſte aliquod bidental expiandum; ſed diverſa plane via, diverſaque fortuna. Conrad. ergo Geſnerus, bono ſenſui potius litans, quam arti Criticæ, legebat vel καὶ ὄχλῳ vel κώμῳ; Schefferus vero hujus potius, quam illius, ſtudioſus, ſubſtituebat, ἀνατροπῇ: quo non contentus Tanaquillus Faber, audaciſſime & enthuſiaſmo quaſi poëtico percitus, (ſi ita quidem dicere liceat,) legere malebat, ἀϋτῇ: quibus omnibus rejectis, Kühnius dualem ἀυτὼ, ingerebat, durius profecto atque difficilius. Hos inſequutus Cl. Perizonius, vel vocalem Fabri emendationem probabat, vel ἀνιαρῶς, vel ἀτμῷ, ſubſtituere malebat, meliore profecto animo, quam eventu, aut probabilitate. Porro Cl. Boivinius τὸ ἄντρῳ, bene ſe mutare credebat in ἀφρῷ; ſed ſane hæc conjectura ipſa ἀφρῶδές τι habere videtur. Nobiliſſimus denique nobisque amiciſſimus Abrahamus Gronovius rem omnem ſeſe optime confeciſſe exiſtimabat, ubi ex Heſychio, ἀγρῷ, reſcripſiſſet, quæ ſane conjectura nec rus, nec agrum ſapere videtur.

Mihi igitur bene conſideratis omnibus & probe expenſis aliorum conjecturis, legendum hic utique videtur: σὺν ὕβρει καὶ ἀράδῳ, h. e. *cum inſolentia & ſtrepitu* ſive *tumultu.* Ἄραδος enim idem eſt ac *tumultus*, *ſtrepitus*, ut bene exponit Erotianus in Lexico Hippocratico, & Heſychius, inde τὸ ἀραδεῖ, poſte-

poſterior explicat per Θορυβήσει, ταράξει: Frequenter vero hæc vox occurrit apud Hippocratem Lib. IV. de Morbis, & alibi, quæ loca ſedulo annotavit Euſtachius in Obſervatt. ad Erotian. ut & Fœſius in Oeconomia Hippocratis. Sed & apud Aretæum & alios legitur.

Vel ſi hæc diſplicuerit conjectura, nihilo deterius legendum fuerit, σὺν ὕβρει καὶ ἐν θρῷ vel ἅμα θρῷ, *cum contumelia* & *in* vel *cum tumultu*, *clamore & ſtrepitu*. Θρῦς enim teſte eodem Heſychio, eſt θόρυβος, φθόγγος, ψόφος, ἡ τεθραυσμένη φωνή, item, ὁ διὰ στόματος ἦχος, λαλιὰ, ψιθυρισμὸς, unde πανθρῷ δήμῳ, quod idem exponit per παῤῥησίαν ἄγοντι δήμῳ, πάντα θροῦντι, ὥστε μηδὲν ὑποστέλλεσθαι, quæ forte huc faciunt. Ita Dionyſius Hal. Lib. VI. pag. 384. Θροῦς πολὺς ἐνέπεσε τῇ βουλῇ, & Lib. VI. pag. 404. θροῦς ἦν ἐφ' ἑκάστῳ πολὺς, ut alia plura omittam. Vid. Joach. Camerar. in Annotat. ad Matth. cap. XXIV. 6. pag. 90. & alios Commentatores.

Facillimo vero negotio τὸ ἐν θρῷ vel ἅμα θρῷ, degenerare potuit in ἄντρῳ, inprimis cum de ἄντρῳ, multa in antecedentibus jam facta fuiſſet mentio, unde imperitus ſcriba in ductus, notius ἄντρῳ, ſcribere maluiſſe videtur, quam ignotius paullo ἐν θρῷ, vel ἅμα θρῷ, quod tamen hic locus omnino requirebat. Fuit quidem etiam, quum conjunctim legerem, σὺν ὕβρει ἐξανθρώπῳ, vel ἀπανθρώπῳ, vel σὺν ὕβρει ἐπαράτῳ, cum contume-

lia

lia exſecrabili, vel denique, *σὺν ὕβρει καὶ ἀρᾷ*, quæ ſæpius conjunguntur, ita apud Michaël. Apoſtol. Cent. VII. Proverb. *69. ἐπὶ ὕβρει καὶ ἀραῖς*, ſcilicet ex Suida, ut ibi in Notis docetur. Verum omnes hæ conjecturæ, licet haud peſſimæ, minus tamen jam placent præ binis ſuperioribus, quibus legendum nobis videbatur, vel *σὺν ὕβρει καὶ ἀραδῷ*, vel *σὺν ὕβρει καὶ ἐν θρῷ*, vel *ἅμα θρῷ*, utpote quæ & ſenſui loci & priſcis litterarum veſtigiis omnium optime convenire videntur, ut nemo non deprehendet facillime, cui hæc inter ſeſe componere volupe fuerit.

Caput IV.

Autor Dialogi de Claris Oratoribus, ter emendatus.

Veterem illum de Claris Oratoribus Dialogum doctum Juppiter! elegantem & lectu jucundum, dolendum eſt merito, tot nævis adhuc eſſe deturpatum, tantisque mendis ſcatere, quæ lectores ſæpius cum tædio morantur, quo minus inoffenſo pede in lectione progredi poſſint. Quædam ex iis jam ſupra Lib. II, cap. 12. ſuſtulimus, neſcio an *ἀγαθῇ τι τύχῃ*. Sed reſtant adhuc aliqua ſublatis jam nec leviora, nec ſanabiliora, ſtrictim hic indicanda nunc a nobis, & quantum pote, emaculanda.

Primus ergo locus, qui medela noſtra vel maxime indigere videtur, occurrit Cap. XXVII. his

his quidem verbis: *Sed cauſſas exquirimus, quas te ſolitum tractare paullo ante, plane mitiore eloquentia & temporum noſtrorum miratus.*

Quæ quod depravata ſint & omni bono ſenſu caſſa, probari multis quidem non debet, quum per ſe jam pateant vulnera huic loco ab ævo & imperitia inflicta. Nolo vero aliorum conjecturas huc congerere, quum illa junctim in Editione Taciti Gronoviorum legi per otium poſſint; quæ enim poſt hos, noſtra ætate in hunc librum commentati ſunt Viri clariſſimi, nondum, ita nos Deus amet! vidimus, ita ut penitus neſciamus, meliorane noſtris dixerint, an pejora; putem tamen prius omnino. Verbo ſaltem dicam, mihi legendum hic videri utique: *Sed cauſſas exquirimus, quas te ſolitum tractare paullo ante plane mitiore eloquentia dixiſti, teporem noſtrum vel noſtrorum* (ſcil. oratorum,) *miſeratus*, ſenſu ſane aperto & commodo. Vel minore longe negotio legendum: *Sed cauſſas exquirimus, quas te ſolitum tractare paullo ante plane miti ore dixiſti, eloquentiam temporum noſtrorum miſeratus*, ſenſu æque concinno & perſpicuo. Illud vero *dixiſti*, quod ad ſenſus ruinam ſuffulciendam, neceſſario requiri hic arbitror, in uno vetuſtiſſimo Libro ſeſe quondam reperiſſe teſtatur Lipſius, adeo ut hac in parte conjecturæ meræ nihil tribuerim. Intepuiſſe vero atque elanguiſſe novam eloquentiam reſpectu veteris illius. nervoſæ, toroſæ, robuſtæ & ψυχαγώγȣ eloquentiæ, bene hic oſtendit Auctor, ut & Cicero, Quinctilianus, Petronius

&

& alii, adeo ut hinc optime vocem *teporem*, adhibuiſſe videri poſſit.

Mox ſequenti Cap. XXXI. hæc leguntur: *Neque enim ſapientem informamus; neque Stoicorum civitatem.* Neſcio ſane, quæ hæc *Stoicorum civitas.* Quare ſcribendum hic eſſe putem: *Stoicorum gravitatem*, vel *ſeveritatem*, nempe ἀπάθειαν καὶ σεμνότητα, quod de Stoicis nempe notiſſimum. Ceterum de hac voce *Gravitas*, vid. quæ docte obſervat Petr. Petitus, in Miſcell. Obſervat. Lib. III. cap. 3. pag. 247.

Capite denique XXXVIII. ita loquitur Auctor noſter: *Tranſeo ad formam & conſuetudinem Veterum judiciorum, quæ etſi nunc aptior eſt, ita erit eloquentia, tanto illud forum magis exercebat.* Senſum in his verbis deficere, dubio caret: quid alii dixerint, parum curo, quia minus placet mihi, ſi fateri quidem liceat, forte ſic conſtituendus & reſtituendus fuerit locus hic vitioſus: *Quæ* (ſcil. forma) *ſicut nunc arctior eſt, ita & erit eloquentia; tanto illa* (ſcil. vetus, deliberata & diu meditata eloquentia) *forum magis exercebat.* Senſu, ſi quid videam, planiſſimo & huic loco convenientiſſimo.

Illud vero *arctior*, pro *aptior*, jam ab aliis fuit obſervatum: quod ideo monendum hic duco, ne malevolus quis Cenſor nos aliena ſcrinia compilaſſe, calumnietur, quod ſicut honeſto Viro indignum; ita a moribus noſtris alieniſſimum.

Caput

CAPUT V.

Phile ter emendatus & illuſtratus, Hippocrates obiter ſemel.

ABſolvamus, ſi ita quidem lubet, jam ea, quæ in Phile emendando & illuſtrando adhuc reſtant; impenſis jam huic labori integris duobus capitibus in ſuperioribus harum Obſervationum Libris extantibus.

Cap. LXXVI, v. ϛ. Τὸ δὲ, προελθὸν τῆς πυρᾶς τῶν ἐγκάτων, ubi de Glauco piſce, pullos ſuos, imminente periculo, ore abſorbente poſtque iterum evomente, ſermo eſt habitus. Sed ibi τὸ τῶν ἐγκάτων, a Berſmanni potius manu eſt, quam ab Auctoris; ille enim ſcripſerat, ut quidem vulgo circumfertur, τῶν ὀμμάτων, quod quum ſine ſenſu legeretur, Bersmannus, ut dixi, mutabat in ἐγκάτων. Clariſſimus vero Editor recentiſſimus in ϛομάχων, neutrum profecto male; modo conſtaret, glaucum catulos ſuos in gulam, ventriculum aut inteſtina conjicere; quum potius ore eos concluſos continere, ab Auctoribus paſſim annotatum fuerit. Clare Oppianus, Lib. I. Halievt. loco a Cl. Editore opportune adducto:

> Ἀμφὶ χανὼν κατέδεκτο κατὰ ϛόμα, μέσφα κε δεῖμα
> Χάσσηται τότε δ' αὖτις ἀνέπτυσε. λευκανίηθεν.

Quale quid & apud Ariſtotelem, Euſtathium, Plinium alioſque plures legere eſt. Ecquis ergo nunc dubitet, quin in noſtro Philæ loco nec

nec ἐγκάτων, legendum ſit, nec ϛομάχων, quam potius ϛομάτων; inprimis, quum facilior longe lapſus ſit inter ὀμμάτων, & ϛομάτων, quam quidem inter ὀμμάτων & ϛομάχων, ſive ἐγκάτων: ut taceam, ipſam rei rationem & traditionem omnino exigere, ut ϛομάτων, potius legatur, quam ϛομάχων,, aut ἐγκάτων, prout modo oſtenſum. Illud adhuc adjicio, frequentem eſſe confuſionem in antiquis Libris MSStis, inter ὀμμάτων, ϛομάτων, & σωμάτων, ut in ſolo quidem Hippocrate ſæpiſſime obſervavimus Pariſiis, de quo alias plura.

Jam Pergamus in noſtro poëta politico verſu; phyſico materia.

Cap. LXXXI, v. 10. pag. 286. de informi Phyſalo dicitur:

Καθάπερ οἶδεῖ καὶ τὸ σαρκῶδες τέρας.

Licet hic omnia ſana & perſpicua videantur; contrarium tamen viſum Cl. Editori, qui potius ναρκῶδες τέρας, reſcribere maluit, *faceſſant*, exclamans, *faceſſant igitur Amanuenſium, qui deſides carne abundabant*, *ineptiæ*.

Mihi vero illud ναρκῶδες, torpidum nonnihil hic videtur atque præter neceſſitatem Auctori lepido obtruſum, ſi fateri tamen liceat. Τέρας enim σαρκῶδες eſt monſtrum informe, rude, & maſſæ carneæ omni concinna figura carenti ſimile. Quid multa? ipſe mox Philes explicat, quid ſit τέρας σαρκῶδες, dum v. 15. ſequenti, Phyſalus dicitur πομφόλυξ, κύϛις, ἢ σφαῖρα ξένη, *bulla*, *veſica*, *vel peregrinus aut in-*

ſolitus

ſolitus globus. Adeo ut nunc τέρας σαρκῶδες idem fere eſſe videatur, ac κρέας ἄσημόν τι καὶ ἀτύπωτον καὶ ἄμορφον, quod de rudibus & male formatis adhuc urſæ catulis ſcite dixit Ælianus, Lib. I. de Nat. Animal. cap. 19. & ex illo Noſter Phile infra, cap. 47. Quia enim phyſalus nec caput, nec aliud quidquam piſci ſimile habere dicitur, his utrisque teſtibus: ideo eleganter τέρας σαρκῶδες vocari potuit. Sed judicent alii.

Interea tamen non diffitendum prorſus, ingenioſam eſſe Cl. Editoris conjecturam, frequentiorem enim eſſe lapſum inter ναρκῶδες & σαρκῶδες, ecquis vel minimum dubitaverit? Ita Hippocrates noſter, Lib. de Aër. Aq. & Loc. prope finem, ἐνταῦθα οἱ ἄνθρωποι σαρκώδεες εἰσι καὶ ἄναρθροι καὶ ὑγροὶ καὶ ἀταλαίπωροι, ibi enim ναρκώδεες, potius legendum, quam σαρκώδεες, adjecta epitheta clare evincunt, qua de re alibi plura, ſunt enim alterius loci, nec hic emendando Hippocrati opera impenditur noſtra, quod proxime cum Deo fiet, majore & ſingulari opere.

Capite denique LXXXIV, v. 4. pag. 296. de Merulis zelotypis ſequentem in modum loquitur poëta noſter ſolutus:

Καὶ ζηλοτυπεῖν καὶ ζητεῖν τὰς συννόμους.

Ubi τὸ ζητεῖν merito ineptum atque hinc ſuſpectum videtur: Mallem ergo illud mutare in τηρεῖν, quod eſt *ſtudioſe & diligenter obſervare* & *ſollicite atque ſuſpicioſe cuſtodire*, quale facere conſueverunt Zelotypi & uxorum pudi-

M citiæ

citiæ diffidentes mariti, Heſychius: Τηρεῖ, Φυλάσσει, φρουρεῖ; vid. præter alios, Iſ. Voſſii Reſponſio ad iteratas P. Simonii objectiones, pag. 394. inprimis autem Th. Gataker. de Stil. Nov. Teſt. Cap. XVII. pag. 176. ſqq. & B. Wolf. in Curis Philol. ad Joan. XV. pag. 948. & quos ibi allegat plures Auctores. Sed hæc obiter, nota enim nimium ſunt. Probabilem vero eſſe hanc noſtram conjecturam, fidem facere videtur ipſe Cod. MS. Anglicanus, qui obſervante Cl. Editore, non ζητεῖν repræſentat, ſed potius σκοπεῖν, quod ſcholion eſſe videtur vocis τηρεῖν, huic quidem loco convenientiſſimæ. Verum de Phile noſtro hæc hactenus; plura forte alias; jam enim properamus ad alia.

CAPUT VI.

Depravatus Senecæ Philoſophi locus emendatus, rejectis aliorum frigidis ut plurimum conjecturis.

PRæclare omnino atque ſapienter, ut ſolet, Seneca, Epiſt. CIV. pag. 518. *Unus eſt hujus vitæ fluctuantis & turbidæ portus, eventura contemnere, ſtare fidenter, aperte tela fortunæ adverſo pectore excipere, non latitantem, nec tergiverſantem.* Hic illud *aperte*, quod Pinciani eſt commentum, minus placet Lipſio, aliiſque, inprimis, quum omnes veteres Libri habeant, *ad portum*, unde Lipſius formabat *ad portam*, vel *ac promptum*, minus promte & perite; ſi ita loqui liceat, Pontanus, *ad proram*, magis adhuc

huc frigide; Gronovius denique, *ac rectum*, nimis remote a priſcis litterarum veſtigiis, nimiſque coacte, licet ſenſum Auctoris omnium optime, ſolito more, perſpexerit. Mirum eſt profecto, mirum, tot viros clariſſimos acutiſſimosque hic non vidiſſe, legendum omnino eſſe: *Stare fidenter, adapertum tela fortunæ adverſo pectore excipere.* *Adapertum* nempe eſt nudum, liberum, exſertum, & ad excipienda fortunæ tela, nudo & incuſtodito pectore libere expoſitum, quo verbo paſſim uſi ſunt Ovidius, Columella, Plinius major, Suetonius, Livius, & alii. Veram autem, immo veriſſimam forte hanc noſtram eſſe conjecturam, confirmant ſequentia validiſſime, *non latitantem, nec tergiverſantem*, quæ ſcilicet opponuntur antecedentibus, *adapertum tela fortunæ excipere*; qui enim *adapertus* adſtat, & in loco omni præſidio & munimento nudato conſtitutus eſt, non latitat; ſed omnium potius conſpectui expoſitus eſt ceu ſcopus aliquis excipiendis telis in ipſum directis, præfixus & in edito loco erectus. Quam facile vero ex verbo *adapertum*, incuria ſcribarum, fieri potuerit, *ad portum*, adeo facile quidem eſt demonſtratu, ut verba hic incaſſum profundere, merito tædeat pigeatque, quare nihil amplius addo.

Caput VII.

Corruptiſſimus Nicandri Colophonii in Georgicis locus ex conjectura haud improbabili emendatus.

Nicandrum Colophonium, poëtam ſui ævi principem, & noſtri non poſtremum, præter Theriaca atque Alexipharmaca, quæ in hunc uſque diem magna cum voluptate, nec minore cum utilitate, a ſtudioſis leguntur, ſcripſiſſe etiam Georgicorum Libros, elegantiſſimo quidem verſu expreſſos, abunde conſtat inter Eruditos, ex illuſtris inprimis nobisque dum viveret, amiciſſimi Fabricii diligentia. Ex iis, licet temporum injuria ipſi hodie deperditi proh dolor! ſint; inſigne tamen fragmentum de floribus coronariis & coronamentis in genere, nobis adhuc ſervavit, ut plura alia, Athenæi induſtria & de poſteritate bene merendi ſtudium. Extat quidem illud Lib. XV. Cap. 9. pag. 684. Sed adeo hodie, quod pæne deplorandum, corruptum & fœdiſſime inquinatum, ut ipſe quidem Nicander, credo, non intelligeret, quæ quondam ſcripſiſſet, ſi quidem fatorum indulgentia, ſuperas ad auras evadere iterum poſſet.

Unde & factum, ut unicus Athenæi ſoſpitator & Hercules quaſi ἀλεξίκακος, Iſ. Caſaubonus, quem alias, ut notum, in his litteris nihil pæne fugit, in deſperatiſſimis illis verſibus Nicandrinis apte reſtituendis animum plane

ne deſponderet atque hunc in modum ſcribere haud vereretur, in Comment. Lib. XV, Cap. 9. pag. 965. *Jam olim, quum adhuc Librariis antiquis conſtaret fides, poëtam hunc Nicandrum* Φιλαρχαῖον *&* πολυμαθῆ, *poſſe recte interpretari, magnum videbatur & arduum. Quid nunc? quum ad priores difficultates perfidia exſcriptorum acceſſit, quæ omnes doctiſſimi vatis reliquias mire depravatas fœdeque inquinatas ad nos tranſmiſit. Humani ingenii modum excedat longe oportet, qui ſe ſperet conjecturis & divinationibus ſuis pulcherrimum quidem, ſed deformatiſſimum fragmentum iſtud poſſe redivivum præſtare.* Hæc quidem ille vir maximus, veriſſime ſimul & modeſtiſſime. Licet igitur ego, meæ teuitatis mihi optime conſcius, eo usque temeritatis nunquam ſim proceſſurus, ut me ex hoc Nicandri fragmento adeo enormiter contaminato, omnes omnino maculas eluere unquam poſſe vane ſperem, aut ſuperbe mente concipiam! multa tamen poſt Dalechampii Caſauboniique diligentiam & ſtudium, in eodem a me haud plane infeliciter fuiſſe emendata, alibi uberius docebitur. Interim unicum hic ſaltim propoſiturus ſum verſiculum, qui Caſaubono, ſummo cetera viro, immedicabilis plane & inemendabilis viſus omnino fuit. Legitur is apud Athen. l. c. pag. 684. hoc modo:

Φάτγανα παρθενικαῖς νεοχοῦ παισὶν ἀμφιχέονται.

Quæ quin adeo usque inquinata ſint, ut nec

ſenſum habeant ullum, nec verſione proinde ſatis ſcite exprimi poſſint, neminem credo futurum, qui vel minimum dubitare queat. Mihi igitur facillimo quidem negotio locus quoad ſenſum ſcilicet, ita reſtitui & conſtitui commode poſſe videtur:

Φάσγανα παρθενικοῖς νεοχμὰ (vel *νεοχμῶς*, quod idem) *ποσὶν ἀμφιχέονται.*

Hoc eſt:

Gladioli recens enati virgineis pedibus circumfunduntur.

Senſu, quantum ſciam, elegantiſſimo & loco huic convenientiſſimo, quemadmodum & loquutum fuiſſe conſtat Theocritum & alios, ſcil. *ὑποκοριστικῶς*, & blandiloquentula compellatione, ut cum Plauto loquar: qua de re alibi plura. Inprimis huc egregie faciunt ſequentia Heſiodi verba ex Theogonia, v. 194. ubi de formoſa Venere dicitur:

- - ἀμφὶ δὲ ποίη
ποσσὶν ὑπὸ ῥαδινοῖσιν ἀέξετο.

ex quibus Heſiodeis hæc Nicandrina adumbrata fuiſſe, nemo non opinor, deprehendet.

CAPUT VIII.

Titus Livius ſexies emendatus & illuſtratus, ſepoſitis aliorum bariolationibus. Lucanus obiter tentatus. Alia quædam notatu digna.

QUæ reſtant adhuc in Tito Livio, ſcriptore hercule lacteo & mellifluo, emendanda aut

aut illuſtrandá, hoc quidem Capite, ex promiſſo noſtro ſupra Lib. II. cap. 16. facto, bona cum Lectoris, ut ſpes eſt, venia, ſtrictim comprehendere & ſigillatim percenſere placet. Fiat ergo bono omine initium!

Libro XL, Cap. 49. De Regulo Hiſpano, ob ſuorum perfidiam & negligentiam, ad Romanos tranſeunte: *ſequar*, inquit, *vos adverſus veteres ſocios meos, quoniam illos ad me propiunt ſuſpicere.* Monſtroſa hic eſſe & omni ſano ſenſu caſſa poſtrema hæc verba, me monitore non eget. Quod probe animadvertens Gronovius, legere jubebat: *illos ad me piguit reſpicere:* ingenioſe omnino & acute, ut viſum quoque ill. Clerico. Mihi tamen ſcribendum aliquando videbatur potius: *quoniam illos ad me prô! puduit reſpicere*, vel hunc in modum: *quoniam illuſerunt*, vel *eluſerunt ad me propius reſpicere:* ſenſu, niſi fallor, concinno & præſenti loco perquam convenienti. Vel denique legendum: *quoniam illi ſe proripiunt ad me reſpicere.* Ita infra Lib. XLII, cap. 26. de Rege Perſeo: *Atque ita ſe proripuiſſe*, quemadmodum & alibi ſæpe. Eligat itaque nunc acutus Lector, quodcunque ipſi ex his magis fuerit ad palatum, & calculum ipſius tulerit potiſſimum; nos interea properamus jam ad alia.

Libro XLII, cap. 1. *Legati, qui repente aliquo mitterentur, ſingula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant.* Hic *impetrabant*, legendum potius eſſe, facile, credo, apparebit. Putem igitur mendum potius

eſſe τυπογραφικὸν, quam γραφικὸν, aut a ſcribis profectum. Nam nullæ aliæ jam ad manus ſunt editiones, præter unicam Clerici, eamque Lipſienſem admodum vitioſam. Vidimus tamen poſtea etiam præſtantiſſimam Gronovianam, quæ nihil, quod mirum, hic mutat: forſan, quia præceſſit, *ne quid tale imperarent ſociis.* Sed ex hoc ipſo videtur illud *imperabant*, pro *impetrabant*, natum. Sed ſi quis pro vulgata lectione ſtare potius velit; ego quidem haud magnopere repugnabo, idem enim ſenſus ex utraque emergit, ut mihi quidem videtur.

Libro eodem, Cap. 43. *Legati Romani in Boeotiam comparati ſunt.* Haud dubie mendoſe, licet defendere velit Sigonius, reclamante jure Gronovio, quis enim obſecro ſic unquam loquutus fuerit? Gronovius ergo legebat pro *comparati*, *converſi*, immane quantum diſcedens a veteri ſcriptura. Hinc mihi legendum potius videbatur olim, aut, *comportati ſunt*, aut *comitati ſunt*, ſenſu utrinque commodo, licet prius magis placeat præ altero. Sic *tranſportati* & *deportati ſunt*, ſæpius Noſter in re ſimili dixit. Ita ſupra Lib. XL, cap. 36. *Cives Romani ſociive in Hiſpaniam tranſportati eſſent - - eos equites ſecum deportaret*; & cap. 4. *liberos Athenas deportaturum.* Ita & *exercitum reportare*, Lib. XLI, cap. 33. & alibi ſæpius, omitto enim ſtudio infinita alia, vid. Lib. XXXIX. & Lib. XLV. & locis aliis quam plurimis, videtur enim hæc loquendi ratio Livio inprimis propria & innata quaſi eſſe. Quidni

ni ergo & *comportari* dici poterat de Legatis Romanis in Bœotiam deductis ? Sed de eo Lectores judicent.

Lib. XLV, cap. 9. De fatis & diviſione Regnorum ab Alexandro M. occupatorum & ducum ſuorum rapinæ & contentioni relictorum : *Inde morte Alexandri diſtractam in multa regna, dum ad ſe quisque opes rapiunt, lacerantes viribus.* Grave hic mendum latere, vidit pro ſua ſagacitate in his litteris, Gronovius. Legebat igitur : *laceratis viribus*, recte, ut bene cenſet Cel. Clericus. Ita enim infra hoc ipſo Libro, cap. 20. *Ambo* (Eumenem nempe & fratrem Attalum,) *infirmos diſtractis viribus & omnibus injuriis obnoxios fore*, & ſupra, Lib. II. cap. 57. *diſtractam laceratamque rempublicam*, dixit Appius, quomodo & Cicero, Orat. pro Quintio, Cap. XV. *conveniunt bonorum emtores, ut carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas*, & Petronius in grandiſono carmine de Bello Civili, *Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis*, ubi & mox *lacerata tecta*, occurrunt. Ita σπαράττειν καὶ διασπαράττειν τὺς νόμυς, τὰς πόλεις, τὸν κόσμον, & ſimilia, pari energia dicere Græcos, notum eſt ex Xenophonte, Luciano, Plutarcho, & aliis, ut alia in hanc rem plura jam taceam.

Mihi tamen ne ſic quidem locus ſatis ſalvus videtur ; putem enim ſcripſiſſe Livium, *laceratis urbibus*: Sic enim Lucanus, de eadem veſana prole Pellæi Philippi & felici terrarum prædone, Lib. X. Pharſal. v. 43. ſqq.

Qui ſecum invidia, qua totum ceperat orbem,
Abſtulit imperium; nulloque hærede relicto,
Totius fati lacerandas *præbuit urbes.*

Quæ quin ex his Livianis hauſta fuerint, dubitare vix licet. Huc & Curtius, de eadem Regnorum diviſione, Lib. X. cap. 10. *Et quidem ſuas quisque opes, diviſis imperii partibus, tuebantur; quas ipſi fundaverant, ſi unquam adverſus immodicas cupiditates terminus ſtaret.* Qui locus & ipſe ex hoc Liviano deſumtus eſſe videtur. Idem vero narrant Plutarchus, Arrianus, Athenæus, aliique, qui de rebus Alexandri Magni quidquam commentati fuerunt. Ceterum ut ad Lucani locum regredi pauliſper adhuc liceát, malim omnino pro verbis, *Totius fati*, legere *Totius furti*, præceſſit enim *prædo terrarum*; nam quid *fati* huc faciat, equidem haud ſatis perſpicio. Ita vero Pœni de Carthagine a Scipione ex improviſo capta ac direpta, apud ipſum noſtrum Livium, Lib. XXVI, cap. 57. *Nec opinato adventu ac prope furto unius diei, urbem unam Hiſpaniæ inter ceptam*; & Libanius Orat. III. p. 115. φίλιππος κλέπτων τὰς πόλεις, item Dionyſius Halicarn. Lib. IV. pag. 216. Tullium vocat, τὸν ἄνδρα τὴν ἀρχὴν κλέπτοντα. Et Lib. II. pag. 105. λόφυ κλοπῆ ληφθῆναι, item apud Xenophontem occurrunt κλοπαὶ πολέμων, & κλέπτειν ὄρη, obſervante Iſ. Caſaubono, ad Athenæum, Lib. I, cap. 15. pag. 46. inde ſæpius κλοπαὶ, hoc ſenſu, apud Mauricium in Strategico, Polyænum de Strategem. & alios. Sed hæc obiter.

Lib.

Lib. eodem XLV, cap. 10. In moderata mitiſſimi Decimii oratione: *Quæ omnia, ſi tamen populo foret, in capita noxiorum verſura.* Senſum hic hiare, nemo non videt. Gronovius ergo ita conſtituebat locum: *Si is animus populo foret*, acute ſane, ut ſolebat. Forſan tamen minore mutatione legendum fuerit: *ſi ſolamen populo foret*, vel *ſi ſolamen populo ferrent.* Vel excidiſſe hic videtur vox *gratum*, ita ut legendum & ſupplendum nunc foret: *ſi tamen populo foret gratum.* Legebam etiam aliquando: *ſi ea mens populo foret.* Sed quia hoc a duobus jam Jacobis, Gronovio & Perizonio, præoccupatum, poſtea deprehendi, id mihi reverentia ductus, tribuere nolim.

Cap. denique 37. ejusdem Libri XLV. in gravi Servilii oratione pro Triumpho: *Itaque antiqua diſciplına babiti, neque fecerunt.* Hic illa, *neque fecerunt*, nihil huc faciunt, ſenſumque valde turbant. Quare Albert. Rubenius, applaudente Gronovio, legebat potius, *tunc quieverunt*, quod ingenioſe utique eſt excogitatum. Minore tamen licentia legerim ego lubens: *neque defecerunt*, vel *nunquam defecerunt*, ſenſu obvio atque perſpicuo: Loquitur enim hic Servilius de ſeditioſis militibus, qui Severo L. Æmilii imperio ita coërciti & circumſepti fuerant, ut nunquam deficerent, aut in pernicioſam ſeditionem exardeſcerent.

Sed hæc jam ſufficiant de Livio; lautiores enim & delicatiores dapes nobis propediem propinaturus eſt Cel. Drackenborchius, cujus niti-

nitidiſſimam Livii Editionem dudum promiſſam avide & impatienter expectamus.

Caput IX.

Diogenis Laërtii locus depravatiſſimus bis emendatus. Ægid. Menagii, Meric. Caſauboni, Joach. Kühnii, & ipſius Auctoris diverſis conjecturis allatis & rejectis, vera tandem lectio ex Andronico Rhodio & aliis, oſtenditur.

Locus, judice Merico Caſaubono, depravatiſſimus omnium in Diog. Laërt. Lib. IX. Segm. 84. in Pyrrhon. ſequens perhibetur, de ſenſuum fallacia: *καὶ τὸ ἡμέτερον χρῶμα ἀλλοῖον ὑπὸ τῇ μεσημβρίᾳ φαίνεται, καὶ ὁ ἥλιος.* Ubi vel Cæco apparet, hiſcere ſenſum, & deficere quædam in voce *ἥλιος.* Multa ergo hic inſerere atque immutare conati ſunt laudatus Mericus Caſaubonus, & Ægid. Menagius, quæ ſuis locis legi poſſunt. Nos contra, licet nec eruditiores, nec acutiores his duumviris eſſe poſſimus; nonnihil tamen modeſtiores eſſe iisdem omnino cupimus, unicam nempe hic particulam deficere aſſerentes, ſicque locum aliis conclamatum viſum, facili negotio legentes: *Καὶ τὸ ἡμέτερον χρῶμα ἀλλοῖον ὑπὸ τῇ μεσημβρίᾳ φαίνεται, ὡς καὶ ὁ ἥλιος*: h. e. *Et noſter color diverſus ſub meridiem apparet, quemadmodum etiam ipſe ſol.* Quis enim quæſo neſcit, ſolem alium colorem habere in ortu, alium in meridie, & alium denique in occaſu?

qua

qua de re præter alios plures, vid. Theodoretus, de providentia, Serm. VII. pag. 146. Quid ergo nunc planius levi hac reſtitutione, quam tamen repudiarunt & Caſaubonus, & hoc bono viro longe major & perſpicacior, Menagius? Nihil igitur amplius mutandum hic videtur, nec cum Joach. Kühnio legendum, ὅτι ἥλιος δύνει, licet ſenſum Auctoris ſit aſſequutus, ut ipſe fateri haud dubitat.

Sed longe major difficultas ſeſe offert in ſq. Segm. 85. nempe in verbis: ὁ γῦν ἥλιος παρὰ τὸ διάςημα πόῤῥωθεν φαίνεται. In quibus ſenſum omnino hiulcum eſſe, optime viderunt jam Meric. Caſaubonus & Ægid. Menagius. Sed quomodo ſanarent locum male affectum, atque lacunam explerent, non una eademque utrique fuit mens atque ſententia. Caſaubonus ſcilicet loco τῦ πόῤῥωθεν, ſubſtituendum cenſet, παῦρόν τι, quod ipſe exponit per *parvum quid*; male omnino atque infeliciter, ut bene obſervat Menagius, qui τὸ παῦρον, *non parvum*, ſed *paucum*, ſignificare clare oſtendit. Ipſe vero Menagius nihilo felicius legendum conjicit, διπόδης, *bipedalis*, quæ enim quæſo, quæ enim eſt affinitas inter τὸ πόῤῥωθεν, & τὸ διπόδης, & cur ſol e longinquo bipedalis appareat, & non potius τριπόδης, ſeu tripedalis? quis hocce ænigma explicuerit? Quum ergo neuter horum clariſſimorum virorum nobis ex aſſe ſatisfecerit, neque inſuper perſuaſerit Joach. Kühnius, legendum hic præcipiens, μικρὸς, nec Auctore ullo, nec ulla probabilitate, ut perſpicue ſatis appa-

apparet; en periclitemur ipſi noſtras qualescunque ingenii vires. Scilicet nobis loco τοῦ πόῤῥωθεν, legendum utique videtur, vel σφαιρίδιον, h. e. *pilula*, vel *globulus*, vel σφαιρηδὸν, *in modum pilulæ* vel *globuli efformatus*, σφαιρηδὸν, inquit Heſychius, περιφερὲς, ϛρογγύλον ὡς σφαῖρα: adeo ut ſenſus nunc ſit, ſolem e longinquo nobis parvæ pilæ atque globuli ad inſtar apparere, quod omnino verum; malim tamen potius σφαιρηδὸν legere, quam σφαιρίδιον, quia hoc magis convenit cum vulgato πόῤῥωθεν, quam alterum σφαιρίδιον, licet utrumque ſeſe validius tueri poſſit, quam aut Caſauboni παῦρον, aut Menagii διπόδης, aut denique Kühnii μικρὸς. Neque ſane pejor aut obtuſior altera noſtra conjectura ut ſpes eſt, futura, qua legendum cenſemus, πυρίδιον φαίνεται, *ceu igniculus apparet*; ita enim Xenophanes apud Plutarchum, Lib. II. de Placit. Philoſ. cap. 20. ſolem conſtare conjiciebat, ἐκ πυριδίων τῶν συναθροιζομένων ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, *ex igniculis ex humida exhalatione collectis*. Sed miſſis his hariolationibus nec inficetis prorſus, nec ſiniſtris aut frigidis, niſi, quod abſit! nimium nobis blandiamur, nunc demum vera corrupti hujus loci lectio eruenda & proponenda videtur. Scilicet ita locum conſtituendum arbitramur: ὁ γοῦν ἥλιος ποδιαῖος φαίνεται, vel ποδιαῖος ἐμφαίνεται, *ſol igitur pedaneæ magnitudinis eſſe apparet*. Dabo vero hujus emendationis vadem atque Auctorem haud proletarium, vilem aut pedaneum, ſed omni exceptione majorem,

nempe

nempe Andronicum Rhodium, cujus en ipſa verba in Paraphraſi Ethicorum Nicomach. Ariſtotel. Lib. VI, cap. 4. pag. 257. ubi de ſenſuum fallacia ſermo eſt: ὥσπερ τὸ οἴεσθαι τὸν ἥλιον ποδιαῖον εἶναι, *ut ſi quis pedaneæ magnitudinis ſolem eſſe exiſtimet*, quod ex ipſo ſcilicet Magiſtro ſuo Ariſtotele petitum, adeo ut de veritate rei ambigere amplius haud liceat: inprimis quum accedant adhuc graviſſima aliorum veterum teſtimonia. Ita Cicero Lib. II. Sect. IV. Academ. Quæſt. cap. 26. *Mihi quidem quaſi pedalis ſol videtur*, & Seneca Lib. I. Quæſt. Nat. cap. 3. *Solem toto terrarum orbe majorem, acies noſtra ſic contraxit, ut ſapientes viri pedalem eſſe contenderint.* Similia apud Macrob. Lactant. & alios, vid. Grangæus ad Prudent. contra Symmach. pag. 108. commune ergo Epicureorum erat commentum, τὸν ἥλιον τὸ μέγεθος εἶναι ποδιαῖον, ut notat Lipſius cum aliis.

Hoc enim certum atque indubitatum eſt, dicta vocem πόῤῥωθεν mendoſam eſſe, inprimis, quum mox ſequatur, καὶ τὰ ὄρη πόῤῥωθεν ἀεροειδῆ καὶ λεῖα: Ingrata ergo omnino foret repetitio voculæ πόῤῥωθεν. Sed quando & in hoc poſtremo loco idem Caſaubonus pro ἀεροειδῆ, ἀρτοειδῆ, h. e. *panibus ſimiles montes*, legendum cenſet: næ! bonus nimium & ſui ſecurus eſt iſte vir, inprimis, quum de hac feliciſſima & certiſſima, ut jactat, emendatione, ſibi domi plaudat: Quid enim quæſo panes ad montium figuram, & ubi locorum præterea extet vox illa ἀρτοειδῆ; Nam licet

licet analogia non repugnet; non tamen exinde ſequitur, vocem hanc eſſe bene græcam & probis Auctoribus tritam. Abeant igitur ficti hi panes ad piſtores potius & ἀρτοπωλίδας, ſi jocari quidem liceat. Hinc recte hic quærit Menagius, pag. 435. *Quid enim panis forma cum montibus?* Sed nec ipſe felicius conjectat, legendum eſſe ἀέρονηχῆ, ut Suidas habet. Cur enim quæſo haud retinebat vocem vulgatam ἀεροειδῆ, *aëri vel nebulæ ſimiles?* idque vel ideo maxime, quod cuivis notum ſit atque perſpectum, montes procul diſſitos cæruleatum aut obſcurarum nubium faciem omnino referre ſolere, de quo nemo, credo, facile dubitabit. Sed ohe! jam ſatis eſt, καὶ γὰρ μακρὸν λῆρον ἐξετείναμεν.

CAPUT X.

Cornelius Tacitus ſexies emendatus. Heſychius ſemel. Βρυτόν, Βρυττὸν, Βρύττιον, Βρῦτος & Ζῦθος, *potus ſeu vinum ex hordeo paratum. Alia quædam notatu digna.*

JAm aliquot corruptis & obſcuris Cornel. Taciti locis medelam & lucem afferre animus eſt. Multa enim vidit & ſanavit Lipſius, non omnia, ut dies diem docere ſolet. En ergo tenue ſpicilegium poſt largam meſſem Lipſianam!

Lib. I. Hiſtor. cap. 71. de Othone cum Celſo reconciliato ſequentia leguntur: *Sed ne hoſti metum reconciliationis adhiberet, ſtatim intra intimos*

intimos amicos habuit. Nihil vero in his eſt, *metum reconciliationis adhiberet*, licet defendat Freinſhemius. Mendum ergo hic latere probabile eſt, quod magno, etſi vano, conatu eluere ſtuduerunt Lipſius, Muretus, Pichena, Acidalius aliique, ceu videre eſt in Editione Gronoviorum, cum Varior. Notis. Mihi interim legendum videtur: *Sed ne hoſti metus reconciliationis adhæreret*, vel, *ſed ut hoſti metum reconciliationis adimeret*, quemadmodum Juſtinus Lib. XI, cap. 1. de Alexandro, *ut & metum timentibus demeret*, ſenſu utrinque elegantiſſimo & luculentiſſimo. Tentabam etiam aliquando, *ſed ne hoſtis metum reconciliationis adbiberet*, quomodo Horatius, Epiſt. 2. Lib. I.

Nunc adbibe puro pectore verba puer.

Verum quia hoc nimis floridum atque poëticum videtur, ita ut parum reſpondeat τῇ σεμνότητι Taciti, merito rejiciendum puto, inprimis, quum alio modo juvari poſſit Tacitus, ut hactenus vidimus. Interim tamen verbis *imbibere* & *perbibere* eodem modo & proſaicos ſcriptores uſos fuiſſe conſtat. Ita v. g. Livius, Lib. III, cap. 58. & alibi, *tantum certamen animis imbiberant*, quomodo & aliquoties ipſe dixit Tullius: vid. Mureti Var. Lect. Lib. I, cap. 6. *Perbibere nequitiam*, *amorem* & *liberalia ſtudia*, occurrit plus ſemel apud Senecam, plura hanc in rem vid. apud Cl. Bünemann. ad Lactant. Lib. II. Inſtit. cap. 2. p. 172. Frequentius tamen, ut fatear verum, legitur

 apud

apud poëtas, ſic, *maternosque bibat mores,* apud Claudian. de Nupt. Honor. & Mar. v. 231. & *combibat illapſos ductor per viſcera luxus*, apud Silium Italic. Lib. XI. de B. P. *Imbibere imperium* Plauto obtrudere voluit Rob. Titius, ſed infeliciter, vid. Yvon. Villiomar. Animad. Lib. I, 13. p. 25. ut alia infinita hunc in ſenſum taceam, res enim notiſſima.

Lib. III. Hiſt. Cap. 66. *Quin ut cenſuram patris*, inquit Auctor, *ut tres conſulatus, ut tot egregios domus honores deceret.* Ubi illud *deceret*, indecens valde & ſenſui incommodum eſt. Quidam igitur ſubſtituerunt, *negligeret*, alii *tegeret*, Gronovius denique *deleret*, nullus male: forſan tamen ſcribendum, *deſereret*, vel *detereret*, vel *demeret*, vel *temneret*, vel *damnaret*, vel denique *temeraret*, quà voce Tacitus inprimis ſæpius delectatur, vel ſimile quid, inventu facile, ſi nempe meditationi ſeveræ non nihil concedatur.

Lib. V. Hiſt. Cap. 4. De aſino vagis Iſraëlitis fontem uberem monſtrante, ut fabula quidem habet: *Quo monſtrante errorem ſitimque depulerant.* Ubi ſubſtituere malim *ardorem* vel *mærorem*, quomodo *ardorem* & *ſiccitatem* ita conjungit Curtius, IV, 7. vel legendum *marcorem*, quemadmodum Lucanus de Cæſaris militibus diuturna ſiti fere enectis, Lib. IV.

Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aëris alternos anguſtat pulmo meatus.

Sed *arorem* vel *ægrorem*, ſcribendum hic cenſebat olim Acidalius, ingenioſe omnino & acute.

te. Eligat nunc Lector ipſe, quod magis placuerit, aut calculum ejus tulerit.

Mox ibidem Cap. 5. *Corpora condere, quam cremare, e more Ægyptio.* Ubi legendum eſſe perſuaſus fere ſum, *condire*, ſcil. ταριχέυειν, ſequitur enim *e more Ægyptio*, de quo ita Diogenes Laërt. in Pyrrhon. Lib. IX. Segm. 84. Θάπτεσι δὲ Ἀιγύπτιοι μὲν, ταριχεύοντες, nec non Euſtathius in A. ῥαψωδ. Homer. Αἰγύπτιοι δὲ τὲς νεκρὲς ἐταρίχευον, ἵνα ὅλον τὸ σῆμα τἔποτε ζῶντος ἔχωσιν εἰς μνήμης ζώπυρον. Sed plenius longe uberiusque de hoc notiſſimo Ægyptio more tractarunt Herodotus, Diodorus Siculus, Strabo aliique laudati jam Kirchero, Liceto, Nardio, Claudero, Andr. Gryphio in elegantiſſimo Libello de Mumiis Wratislavienſibus, & Henningio, in Archæologia Paſſionali, Cap. XXVI. pag. 268. ſeqq. ut alios taceam. Miror vero, hoc Commentatores hic non animadvertiſſe, quod ſcil. *condire* legendum ſit pro *condere*, quum tamen valde ſit obvium. Inprimis quum jam ſupra XVI. Annal. 6. pari modo ſcriptum legatur: *Corpus Poppææ differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur.* Frequentiſſime enim duo hæc verba *condere* & *condire*, in Vett. Libb. MStis confundi ſolere, doctis, qui antiquas membranas ſedulo verſarunt, notiſſimum eſt. Idem ergo in hoc noſtro loco eſt *condire*, quod alias eſt corpus pollingere, medicari vel odoribus differcire, Græcis, ut dixi, ταριχεύειν. Sed quid plura? hanc enim noſtram conjecturam egregie prorſus ipſe confirmat

Cicero, Tuſcul. Quæſt. Lib. I. *Condiunt*, inquit, *Ægyptii mortuos & eos domi ſervant.* Nullum ergo ſupereſt fere dubium, quin recte conjecerimus. Verum plura hanc in rem loca congeſſit jam olim Andr. Rivinus in doctiſſimo ſchediaſmate, de Pollinctura ſeu Cadaverum humanorum conditura.

Lib. V. Hiſt. Cap. 7. *Inclitas urbes igne cæleſti flagraſſe.* In MSStis legitur nunc *Judaicas*, nunc *Indicas*, neutrum vere. Scribendum putem, *integras urbes*, quod proxime accedit ad *Indicas*, quod in Florentino Codice extat. Sed nec inepta prorſus altera lectio, *inclitas*, ſic *inclitam Memphin*, alibi dixit Noſter.

Sed miſſis jam, non plane tamen ſepoſitis, Taciti Hiſtoriis, tranſeamus, ſi ita quidem lubet, ad ejusdem egregium aureumque de Moribus Germanorum, Libellum, in quo Cap. 8. de ſtrenuis Germanorum uxoribus hæc prædicantur: *Cibosque & hortamina pugnantibus geſtant.* In quo non bene convenire videtur τὸ *hortamina* cum τῷ *cibos*, fruſtra id licet contra Colerum defendente Gronovio, neſcio enim, an bene Latine poſſit dici, *hortamina geſtare*, certe nullum me memini exemplum legere in aliquo probato Auctore, nec ipſe ſummus Gronovius habuit, quod ad probandam ſuam ſententiam adferret, Plauti enim atque Martialis Joci, ad quos hic provocat Vir acutiſſimus, parum omnino huc facere videntur ad Taciti gravitatem & ſeveram dictionem. Quamvis aliquem ipſi colorem inducere potuiſſet ex Livii Lib. VII, Cap. 11. ubi *hortamenta*, ſimili fere ſenſu legitur.

Nec

Nec ſane ſtrenue nugatus eſt Colerus, ut ſatis inclementer hic pronunciat idem Gronovius, quando *hortamina* hic de Vino, aut alio potu Vini loco adhibito, per notiſſimam figuram rhetoricam, ingenioſe accepit, ſicuti nempe eodem fere tropo, Vinum *ἐυφροσύνην*, ſive *lætitiam* ſcite vocatum fuiſſe Act. Apoſt. XIV, 17. probavimus ibi in Curis Philol. Wolffian. pag. 1211. Immo ipſe noſter Tacitus eadem elegantia Vinum *lætitiam* vocavit, III. Hiſt. 14. *Civilis primores gentis ubi nocte ac* lætitia *incaluiſſe videt:* Nempe effectu pro cauſſa poſito. Sed hæc obiter.

Quare legendum potius hic arbitror ego: *Cibosque & hordei vina* vel *hordeacea vina pugnantibus geſtant.* Hunc enim potum Germanis familiariſſimum fuiſſe, mox infra Cap. 23. clare docetur his quidem verbis: *Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus*, unde forſan hæc noſtra conjectura aliquam probabilitatis ſpeciem induere videbitur. De hoc vero potu copioſe Colerus in Parergis, & Meibomius de Cereviſiis aliique, inde *οἶνος κρίθινος*, ſeu *vinum hordeaceum* vocatur apud Athen. Lib. I. extrem. pag. 34. & *μέθυ ἐκ κριθῶν*, apud Æſchylum, Supplicibus, de quo vid. Caſaubon. ad Athen. Lib. IX, Cap. 11. pag. 674. Ægyptiis vero proprio vocabulo Ζῦθος, ceu ex Diodoro Siculo, Strabone, Dioſcoride, Herodoto aliisque patet, Heſychius quoque, Ζῦθος, οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος, Zythus, *vinum ex hordeo*

paratum, qua de re præter ſupra laudatos, plura Barthius in Adverſar. Lib. XI, Cap. 32. inprimis autem Hadr. Junius, Animadverſ. Lib. II, Cap. 12. per totum, pag. 101. ſqq. aliique, quibus ſingularis ornamenti & honoris gratia, adde virum maximum & humanam prope ſortem vaſto ſuo & divino ingenio egreſſum, divum Herman. Bœrhaave, in Element. Chem. Tom. II. Proceſſ. XLII. Ceterum hæc vox Ægyptia magnam affinitatem habere videtur cum Hebr. שתה *Schathah*, ſeu *Zatha*, *Bibit*, *compotavit*, *convivatus eſt*, unde שתי *Schethi*, *compotatio*, & שתיה *Schethiah*, *potus*, ut ex Lexicis notum. Sed hæc veluti in tranſitu. Græci vero ejusmodi hordeaceum vinum appellabant Βρυτὸν, item Βρυττὸν, Βρύττιον, & Βρῦτον. Iterum Heſychius: Βρυττὸν, πᾶν τὸ ἐκ τρυφῆς ποτὸν, ubi potius legendum, ἐκ τρύγης, τρύγη enim, ut ipſe noſter Heſychius alibi vere ſcribit, ὁ πυρὸς καὶ ἡ κριθὴ, adeo, ut hinc errent omnino, qui τροφῆς aut κριθῆς hic ſubſtituere voluerunt, iratis muſis. Inde & forſan τὸ βρυτὸν ſeu Βρῦτον, derivandum fuerit ab Hebræo, ברות *Baruth*, ſive & ברות *Baroth*, *alimentum*, *nutrimentum*, quia nempe fuit potus nutritius & ex alimentis, tritico aut hordeo, confectus. Unde & forte Græcorum βρωτὸν, & βρωτὺς, *Eſca*, *alimentum*, & noſtrum vernaculum *Brodt*, originem ſuam repetere poſſe videatur: quæ forſan nonnihil certiora futura, ac Barthiana, loco ſupra laudato, pag. 567. Sed hæc conjectura eſt & levis ſaltim ſuſpicio, cui ipſe Lector ſtatuat,

tuat, quantum libet, juſtum ſuum pretium. Accedat autem his Athenæi teſtimonium, Lib. X, Cap. 13. p. 447. Τὸν δὲ κρίθινον οἶνον καὶ βρύτον τινὲς καλοῦσιν, *vinum hordeaceum Brytum quidam vocant.* Conf. Anecdot. Græc. Wolfian. Tom. IV. pag. 242. Sed de his hactenus. Jure enim vereor, ne Lectores meos non quidem vino hordeaceo, aſt nauſea & tædio, ebrios a me dimiſerim. Hinc jam ad alia progrediamur, hem! tempus eſt.

Caput XI.

Ælianus duobus locis tentatus. Οἱ κτίσαι, *urbium conditores & legum latores. Alia quædam.*

Apud Cl. Ælianum, Lib. XIV. Var. Hiſtor. Cap. 32. de Timandrida Lacedæmonio, qui filium ob nimium colligendæ & reponendæ pecuniæ ſtudium, juſte increpaverat, hæc leguntur ſapienter dicta: τὰ γὰρ πέριττα τούτων εἰς ἐκείνους (Θεοὺς ſcil. καὶ οἰκείους, καὶ ξένους,) ἀναλίσκεσθαι ὑπὸ τῶν ἐλευθέρων.

Hic merito quæritur, quid ſint τὰ περιττὰ τούτων, & quo illa τούτων, potiſſimum reſpiciant, quum nihil præceſſerit, quo pertinere poſſint? Jacobus ergo Perizonius, V. C. legendum conjiciebat, τὰ περιττὰ τοῦ βίου, melius ſane de ſenſu, quam de litterarum ductibus ſervandis, promeritus. Alter vero Jacobus Gronovius, περιττὰ τῶν ὄντων, non male ſubſtituebat. Mihi autem legendum videbatur aut περιττὰ τοῦ πλούτου, *divitiarum*

& *opum abundantia*, aut περιττὰ δεόντων, *quæ in neceſſariis ſuperabundant*, ſenſu utrinque perſpicuo & aptiſſimo, ſi quid in his videam, niſi quis denique legere malit, τόκων, *fœnorum*, *uſurarum*, ſenſu etiam haud malo: vel & ὑπαρχόντων, quomodo Tob. III, 7. ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σοι ποίει ἐλεημοσύνην, & alibi ſæpius. Sed jam ad alterum Æliani locum.

Legitur is Cap. 34. ejusdem Lib. XIV. his quidem verbis: οὕτω δὲ καὶ ἕκαστοι τὰ παρ᾽ ἑαυτοῖς σεμνύνειν προῄρηνται. Hic τὸ ἕκαστοι in ἕκαστα, mutandum cenſebat Schefferus, minus recte, judicante Kühnio. Mihi tamen, hoc non obſtante, locus haud plane integer videtur. Quare ſcripſiſſe putem Ælianum, οὕτω δὲ καὶ οἱ κτίσαι, vel οἰκισαὶ, utrumque enim legitur, & hoc inprimis ſæpius apud Dionyſium Halicarn. hoc nimirum ſenſu: Sic vero etiam urbium, rerum publicarum & legum conditores inventa ſua & inſtituta auguſtiora & præſtantiora reddere ſtudent, nempe eorum origines & primordia ad aliquem deorum referendo, quod præceſſit; Quale feciſſe novimus ex hiſtoriarum monumentis Numam Pompilium, Minoem, Lycurgum, Zamolxin, Zathrauſten, & ipſum Pſeudoprophetam Muhammedem, ut alios taceam, res enim nota nimium & ab ipſo Kühnio ad hunc locum opportune obſervata, vid. & Dionyſ. Halicarnaſſ. & Tit. Liv. initio ſuorum operum, item Plutarch. in Numa, & alibi.

Sunt vero κτίσαι, *conditores* urbium, coloniarum & legum, ut notum, nempe a verbo

κτίζειν,

κτίζειν, confer Giſbert. Cuper. Lib. III. Obſervat. Var. Cap. 9. item Joſeph. Scaliger. ad Manil. Lib. I. Munker. ad Lact. Placid. L. III. Fab. I. p. 205. aliosque laudatos Cl. Bünemanno ad Lactant. L. I. Inſtit. cap. 11. pag. 82. inprimis vid. Rev. Elſner. in Obſervat. Sacr. ad N. T. Tom. II. pag. 366. iterum Scaliger ad Euſeb. Chron. pag. 36. & pag. 80. & præſertim Celeb. Petr. Weſſeling. in doctiſſimis Obſervat. Lib. II, cap. 15. pag. 207. ſeqq. Minimam autem eſſe differentiam inter *τὸ ἕκαστοι*, & *οἱ κτίσται*, palam liquet, nec multa probatione eget. Quondam quidem legere malebam *ἥκιστοι*, h. e. *minimi* & contemtiſſimi, *ἥκιστος γὰρ* inquit Heſychius, *ἐλάχιστος*, *ἐλάσσων*, *βραδύτατος*, ſeu *βραχύτατος*, ſenſu neque malo, nec incongruo. Nunc tamen mitto hanc conjecturam præ altera laudata, quæ utinam & placeret meis Lectoribus, quod opto quidem; ſperare tamen vix audeo.

Caput XII.

Ovidii locus ab intempeſtivis Emendationibus vindicatus, & ſola commoda explicatione integritati ſuæ redditus. Ducere vultum *idem ac* adducere: vultum adducere *&* diffundere, *proprie quid? βλέμμα διακεχυμένον, pari ſenſu etiam apud Græcos.*

Ovidius, Lib. II. Metamorphoſ. v. 773. 74. in graphica Invidiæ deſcriptione, ita inter alia, eleganter canit:

Utque Deam vidit forma armiſque decoram,
Ingemuit; vultumque ima ad ſuſpiria duxit.

Quæ valde mendoſa viſa ſunt doctis Interpretibus, ceu apparet ex ſubjectis copioſis Notis Burmannianis. Mihi contra omnia plana, nec tam violenta emendatione, quam commoda potius explicatione indigere videntur. Fraudi nempe illis fuit vox ultima, *duxit*, quæ hic idem eſſe videtur, quam compoſita *adduxit*, ſicuti notiſſimum eſt, poëtas, prout nempe rigida metri ratio exigit, nunc ſimplicibus pro compoſitis, nunc compoſitis vice verſa pro ſimplicibus, frequentiſſime uti, quod abſonum utique foret, multis hic probare velle.

Neminem vero neſcire arbitror, quid ſit *vultum adducere* ſive *ducere*, nempe idem ac frontem corrugare, oculis tetricum eſſe & vultu σκυθρωπίαν referre, prout invidi ſolent alienis bonis contriſtati & fortunatis ſuccenſentes. Quomodo & pari ſenſu Græcos dicere conſtat, τὰς ὀφρῦς ἄγειν, συνάγειν καὶ ἀνάγειν. Vid. Rev. Alberti in obſervat ſacr. pag. 55. Cl. Bergler. ad Alciphron. Ep. 34. Lib. I. pag. 140. & pag. 152. Ut alia taceam, mihi jam nuper ad Cæl. Aurel. notata, in Appendice ad Lib. de pleuritide, pag. 164. ita & τὰς ὀφρῦς ἀνασπῶν, dixit Theophylactus Simocatta, Hiſt. Mauric. Lib. III, cap. 13. pag. 173. & alibi.

De voce vero *adducere* multa pro more egregia notat Juſt. Lipſius, ad Tacit. III. Hiſt. 7. ubi

ubi *adductius imperitabat*, legitur, conf. idem ad Senecam Lib. de Beneficiis.

Ipſe ceterum Ovidius noſter II, Amor 2, 33.

Cum bene vir traxit vultum, rugasque coëgit.

Unde forſan & hic *traxit*, pro *duxit*, legendum, quamvis nihil ego mutare auſim, quod *duxit*, ut monui jam, ſenſu eodem dici poſſit & ſoleat. Quemadmodum ex altera parte *diffundere* vel *fundere vultum* idem eſt, ac lætum hilarumque eſſe, frontem explanare, ac ſigna gaudentis & contenti animi vultu prodere, ſic Noſter infra Lib. XIV. Metamorphoſ. v. 271.

Diffudit vultus, & reddidit omnia votis,

& L. IV. ex Pont. El. 4.

Qua tamen inveni vultum diffundere cauſſa
Poſſem.

Seneca vero utrumque lepide conjunxit Epiſt. CVI. *Ira, amor, triſtitia an frontem adſtringant,* (h. e. adducant,) *an faciem diffundant.* Sed & Græci ejuſmodi explicatam frontem & diffuſum vultum pariter vocant βλέμμα διακεχυμένον: Ita ἱλαρῷ καὶ διακεχυμένῳ βλέμματι, eleganter dixit Heliodorus, Lib. VIII. Æthiop. pag. 396. ut Alciphronem, Xenophontem, Lucianum, & alios nunc taceam. Inde & recte Heſychius διάχυσιν exponit per χαρὰν, ſive lætitiam. Et iterum in Ἰάνθη, ἐχάρη, διεχύθη, ηὐφράνθη: item in γανύσεται, χαρήσεται, διαχυθήσεται, εὐφρανθήσεται. Suidas

das quoque, Διαχεῖται, χαίρει, Conf. & Steph. Bergler, ad Alciphron. Epiſt. 10. Lib. I. pag. 42.

Dum igitur Noſter hic de Invidia dicit, *vultumque ima ad ſuſpiria duxit*, id innuere, niſi fallor, videtur, Invidiam, viſa pulchra & armis decora Pallade, non ſolum profundo gemitu, ulceroſum ſuum atque vipereum animum prodidiſſe: ſed & ipſo tetrico, diſtorto & terribili vultu, atque σκυθρωπίᾳ inſuper oſtendiſſe, ſeſe invidere eximiis Deæ bonis, nec ſine morſu, indignatione & livore ſuſtinere poſſe lætum ac floridum adſpectum venerandæ Minervæ. Sic omnia nunc clara planaque fore, nec ulla locum hunc Ovidianum emendatione indigere arbitror, immo fere perſuaſus ſum. Sed judicet ipſe Lector.

CAPUT XIII.

Heſychius aliquoties emendatus. Ψύττα, ψίττα, Σίττα & Φίττα, *qualis vox apud Græcos? eadem fere apud Hebræos & Gallos. Obſcuriſſimus Petronii locus obiter tentatus & illuſtratus. Alia quædam, præſertim Etymologica, interjecta.*

ECce jam iterum Heſychius ἕλκεσι βρύων ἀνηκέστοις fere, noſtram qualemcunque opem implorat, quam ipſi denegare nec decet, nec licet, propter ſtudioſos græcarum litterarum Cultores.

Noſter igitur Lexicographus ita inter alia ſcri-

ſcribit, p.455. Edit. Schrevel. Ἰαξάρτις, *βοτάναι ποταμȣ̃.*] Quæ corruptiſſima eſſe, vel cæcus forſan viderit. Quare Palmerius, Sopingius, Junius & alii legere hic malebant, *ὄνομα ποταμȣ̃*, non male quidem prorſus : Sed fœdius adhuc altiusque ulcus hic latet, quod tamen mihi ſanabile videtur, ita nimirum legendo : Ἰαξάρτις, *πȣ̃* Τάναϊς *ποταμὸς*, *Jaxartes*, *alicubi Tanais fluvius*, quemadmodum nempe Suidas, Ἰαζάρτις, (ita ſcilicet ille ſcribit pro Ἰαξάρτις,) ὁ Τάναϊς *ποταμός*. Nimirum notum ſatis eſt ex Arriano, Plutarcho, Curtio & aliis, Jaxartem a Macedonibus inprimis vocatum fuiſſe Tanain. Qua de re pluribus agit Cl. Salmaſius, in Exercitationibus Plinian. pag. 555. Chr. Cellarius, in Geographia Antiqua, Lib. III. Cap. 21. pag. 833. Jac. Palmerius, in Exercitationibus ad Auctores græcos, pag. 239. Nicol. Blancardus ad Arriani Lib. III. pag. 236. Lucas Holſtenius ad Stephan. Byzantin. de Urbibus, pag. 311. & inprimis doctiſſimus Adrian. Relandus, in Diſſertationibus Miſcellaneis, Part. I. pag. 35. ſeqq. ut alios plures jam taceam, res enim, ut dixi, ſatis nota. Igitur noſtra conjectura affatim munita videtur, quod & jam vidit Bernardus, in Anecdot. Græc. Wolfian. Tom. IV. p. 253. ut poſtea obſervavimus.

Pag. 591. *Λειτὸν, βλάσφημον.*] Videtur hoc apprime convenire cum Hebræo לטים *Latim*, vel לטין *Latin*, *incantationes*, *diræ*, *blaſphemiæ in Deum*, nempe a voce לט *Lat.* vid. Vir omni laude major, Sam. Bochartus, in Chan. Lib. I. Cap. 33. pag. 588. Sed hæc obiter tantum.

Pag.

Pag. 594. Λεπτήναυτον, σινδών, λεπτή, στενή, ἢ ἀκριβής.] Pro στενή, legendum hic putat Sopingius, ἰσχνή, malim vero ego, ἀσθενής, ut ex antecedentibus patet. Immo forſan duo diverſa loca temere in unum confuſa fuerint, ut mille locis accidiſſe novimus, adeo ut ita ſcribendum & diſtinguendum ſit, Λεπτήναυτον, σινδών. (Λεπτή, στενή, ἢ ἀκριβής, quomodo paullo ante, legitur.)

Pag. 595. Λεσχηρεῖ, κόπτει.] Hoc quidem per Latinum *ſermones cædere*, ſatis acute explicat Vir doctus in Notis. Malim tamen legere σκώπτει, de quo vid. Noſter infra. Λέσχαι enim & Λεσχηνευθέντα ſunt φλυαρίαι & φλυαρηθέντα, ut ipſe Heſychius recte exponit in antecedentibus.

Ceterum ſatis mihi probabile videtur, omnes has voces originem forte trahere ſuam ab Hebræo, לושן *Loſchen*, *Calumniari*, *Lingua lædere*, nempe a לשון *Laſchon*, ſeu *Laſon*, *Lingua*, unde & Græcorum γλῶσσα, ut recte obſervant Voſſius, Becmannus & alii. Sed de his hactenus.

Pag. 596. Λευκὴ ψῆφος, παροιμία ἐπὶ τῶν εὐδαιμόνως ἢ δυστυχῶς ζώντων.] Ibi τὸ δυστυχῶς, emendat quidam εὐτυχῶς, ſatis quidem εὐτυχῶς.

Malim tamen faciliore adhuc negotio rem conficere legendo, μὴ δυστυχῶς, vel potius, εὐδαιμόνως ἢ δ' ἡσύχως, *feliciter aut tranquille*,

quille, quod propius nempe accedit ad ſcripturam veterem, ut quivis ſtatim deprehendit. Vide vero de hoc Proverbio Michaël. Apoſtolium, Prov. 93. Cent. XI. & inprimis Prov. 12. Cent. XIII. ex quo poſtremo loco colligere fere licet, nihil forſan hic in Heſychio mutandum, de quo ipſe judicet Lector, videatque Plinium, Lib. VII, cap. 40.

Iterum pag. 714. Οὐσία, ἐξȣσία, ὁσιότης. Hic forte ſcribendum ὁλότης, univerſa ſubſtantia & quaſi *totitas*, ut ita barbare loquar, ſenſu convenientiſſimo. Niſi forſan Grammaticus Noſter hic reſpexerit ad Stoicos, qui Deum ȣ̓σίαν vocabant, vid. Senec. Epiſt. LVIII. & plenius Lipſium in phyſiologia Stoica, nec non Suaningium in Theologia Senecæ, & Thom. Gale, in doctiſſimis obſervat. ad Jamblich. de Myſteriis, aliquoties. Eo igitur reſpectu ȣ̓σία idem eſſe poteſt, ac ὁσιότης; placet tamen magis, ὁλότης, legere, aut certe ȣ̓σίωσις, quod ſæpe apud Patres Græcos occurrit. Confer. Jac. Billii Obſerv. Sacr. Lib. I. cap. 33. pag. 56. & Svicer. in Theſ. Eccleſiaſt. aliosque plures.

Idem alibi, pag. 732. παρδσιτος, κοσσοτρόπειζος.

Hoc quid ſit, explicare quidem conatur Palmerius, nempe ἀπὸ τῶν κόσσων; a *plagis* & *alapis*, apud Suidam, neque id inſcite, aut inepte, qua de re vid. Caſp. Barth. Adverſar. Lib. XIX, cap. 21. pag. 966. Forte tamen legendum hic fuerit potius, κνισσοτρόπειζος, h. e. *qui menſarum jucundo odore allicitur*, ſcil.

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς κνίσσης, ſenſu, ſi quid videam, perquam commodo & huic loco proprio. Hoc enim eſt, quod lepide dixit Juvenalis Sat. V. *Captum te nidore ſuæ putat ille culinæ.* Unde *nugatores, qui alienæ nidore culinæ capiuntur*, ex hoc Satyrici loco, eleganter dixit Jo. Sareſberienſis, de Nugis Curial. Lib. VIII, cap. 6. pag. 550. *Captus* enim *nidore culinæ* elegantius longe atque rotundius Græcis unica voce κνισσοτραπεζος exprimitur. Quorſum & illa pertinent Apuleji in Apologia ſua: *Craſſus iſte ſummus belluo & omnis fumi non imperitus*, ubi vid. Pricæum in divino Commentario pag. 138. ut & Caſaubonum. In hoc enim loco *omnis fumi non imperitus*, nihil aliud eſt, quam Græcum noſtrum κνισσοτραπεζος, quod longe concinnius dictum eſt, quam ſi quis latina verteret, per πάσης κνίσσης ὀκ ἄπειρον, nam omnem illico venuſtatem evaneſcere palam liquet.

Sed jam e diverticulo rurſus in viam! Noſter pag. 844. ſcribit: Σκάριφος, ξέσις, γραφή, μίμησις ἀκριβής τόπυ.

Legendum hic ego aliquando putabam, τμῆσις ἀκριβὴς τόπυ, ut ex antecedentibus aliquo modo colligere datur. Sed poſtea ex Mich. Apoſtolio edoctus ſum, ſcribendum potius eſſe minore licentia, μίμησις ἀκριβὴς τύπυ, ita enim ille Prov. 50. Cent. XVII. Σκαριφίζειν δὲ ἐςι, τὸ τὰς ζωγράφυς ὑποτυπῶν, quale quid & apud Suidam legitur in voce, Σκαριφισμοῖς, κ. λ. inprimis autem huc Schol. ad Ariſtophan. Ran. pag. 281. σκαριφεύειν, τὸ

τὰς

τοὺς ζωγράφους ὑποτυπῶσαι πρῶτον τοὺς γραφομένους, κ. λ. ex quo loco ſimul patet, ſcribendum potius in Heſych. οὐκ ἀκριβής. Unde noſtra emendatio valide confirmatur. Verum pejora atque difficiliora adhuc reſtant.

Ita pag. 986. in voce ψύττα, legitur, ἐπὶ τοῦ ταχέως ἀποςραμεῖν.

Quod mutandum omnino eſt in ἀποδραμεῖν, ut & obſervavit jam, uti poſtea vidi, Cel. Lamb. Bos. in Obſſ. Crit. Cap. L. p. 194. vid. & Bourdelot. ad Luciani Lexiphan. p. 823. & Bergler. ad Alciphronis Epiſt. 24. Lib. III. pag. 330. Mox vero ibidem pro ψύττα πρόχυμα, ſcribendum probabiliter videtur, ψύττα, παραχρῆμα, *ſtatim*, *cito*, Noſter ſupra ſuo loco: παραχρῆμα, παραυτίκα, ἀθρόως, εὐθέως. vid. Hug. Grotii Flor. Sparſ. ad Jus Juſtinian. pag. 220. &c. Hoc enim proprie ſignificat vox paſtoralis ψύττα, ψίττα, Σίττα, & Φίττα, tot enim modis ſcribitur. Clariſſime vero hanc noſtram emendationem ipſe confirmat Heſychius ſupra pag. 985. ψίττον, ταχέως, εὐθέως, & mox, ψιττάζων, ψίττα ἐπιφθεγγόμενος, ὅπερ ἐςι ποιμενικὸν ἐπίφθεγμα. Qua de re vid. Scholiaſt. Theocriti, ad Idyll. IV, 45. & V, 3. Euſtath. ad Homer. Il. Λ. & ad Odyſſ. Ω. item Petr. Moll. ad Longi Paſtoral. pag. 18. præſertim vero Meurſ. de Ludis Græcor. pag. 65. in Φίττα μαλιάδες, Φίττα ῥοιαί, Φίττα μελίαι. Inde, ut id obiter hic inſeram, apud Petronium, Cap. LXIX. de deſperate ingenioſo Habinnæ ſervo: *Lacernatus mulionum* phitta *ſive* fitta *egit*, h. e. mu-

liones in eo voce imitatus eſt, quando mulos peculiari clamore *phitta*, ad curſum incitare ſolent. Τὸ Φίττα enim ἐπίῤῥημα, τάχυς δηλωτικὸν, inquit Euſtathius loco citato: quod non ſolum de paſtoribus; ſed & de equiſonibus, mulionibus & venatoribus dicebatur, ita enim Scholiaſt. ad Theocrit. Idyll. V,.3. Σίττα, ψίττα, ποιμενικὰ, αἰπολικὰ, βυκολικὰ ἐπιφθέγματα. κ.τ.λ. conf. & Idyll. VIII, 69. Χύῤῥα autem ſola fuit Suariorum vox ad incitandum gregem, ut infra teſtatur noſter Heſychius. Ita vero hunc Petronii locum legendum eſſe, pluribus docebimus alibi: hodie enim in vulgatis quidem Libris ſine omni ſenſu ac venuſtate circumfertur: *Mulionum fata egit*. Sic etiam quosdam apud Lucret. Lib. II. v. 357. pro vulgato, *frundiferum nemus adſiſtens*, legiſſe, *Adſittens*, ſcil. Vacca, nempe ex voce Σίττα, deflexo inaudito hucuſque verbo, annotavit & improbavit ſimul Lambinus ut & Tan. Faber. Illud vero Φίττα exacte convenire cum Hebr. פתא, פתאם & פתע, *phita*, *phitom* & *phetah*, h. e. *cito*, *ſubito*, *repente*, quibus & apte reſpondet Gallorum *vite* & *vitement*, palam, opinor, liquet, nec ulla probatione indiget. Sed de his tantum hactenus. Plura ad Heſychium daturi ſumus alias, ubi commodum & e re noſtra viſum fuerit: jam enim ſcribendo feſſi & fatigati, ad alia properamus. Amant alterna Camœnæ.

Caput

CAPUT XIV.

Vetus Juvenalis Scholiaſtes bis emendatus contra ſententiam Jani Rutgerſii V.C. OPUS *Latinis, item* ἔργον & πρᾶγμα, *Græcis, Pudice pro coitu venereo.*

VEteris Juvenalis ſcholiaſtæ ad Satyram VII, v. 115. hæc ſunt verba, ut vulgo quidem in editis Libris circumferuntur: *Hic vero Ajax auriga, non ičtilius temporis.* Corruptiſſime profecto & obſcuriſſime. Rutgerſius ergo Lib. III. Var. Lect. Cap. 17. emendabat olim: *nobilis illius temporis*, parum acute, ut verum fatear, neque feliciter. Legendum enim potius videtur: *auriga, non JCtus* (h. e. Jure Conſultus, ut vulgo per litterarum compendia ſcribi notiſſimum eſt,) *illius temporis.* Probabilem autem eſſe hanc noſtram conjecturam, evidentiſſime probant ſequentia Juvenalis, *bubulco judice.* Nempe auriga, non JCtus, cauſſas perorabat in foro, ubi bubulcus judex erat, en nobile par fratrum & ſplendidum dicaſterium! cujus modi futiles & indignos magiſtratus & ineptos judices facete quoque recenſet Ariſtophanes in Equitibus, nempe ϛυπωειοπώλας, βυρσοπώλας, προβατοπώλας, Ἀλλαντοπώλας, & alios ſimilis farinæ. Idem vero ſcholiaſtes ad Satyram XI, 184. ubi de ſignis moechæ a recens perpetrato adulterio adhuc æſtuantis conſpicuis ſermo eſt, ſequentia notat: *Solent enim aures & vultus ſub*

 ora

ora eis rubere. Ubi merito offendit Lectores illud *ſub ora*, quod ſenſu commodo caret.

Idem igitur Jan. Rutgerſius, Lib. II. Var. Lect. Cap. 16. pag. 184. locum hunc transpoſitione ſanare contendit, legendo nimirum: *ſolent enim vultus & aures ſub ora eis rubere*; non infeliciter prorſus nec improbabiliter. Joſ. vero Scaliger emendabat *pudoratis*, paullo infelicius, ſi fateri quidem publice liceat. Neutrum tamen mihi placet; quin potius ſcripſiſſe arbitror ſcholiaſten, *ſudore*, vel quod magis arridet, *ſub opere*, h. e. concubitu & complexu venereo.

Opus enim nude poſitum, pro opere venereo ſumi frequentiſſime ſolere, notiſſimum eſt ex Petronio, Ovidio, Propertio & aliis innumeris; conf. L. 23. ff. ad Leg. Jul. de adult. & alibi. Quomodo & Græcis τὸ ἔργον καὶ τὸ πρᾶγμα accipi ſæpiſſime ſolet. Sic ἐν ἔργῳ εἶναι, dixit Lucianus, Plutarchus & alii, ἐν πρήγματι, Hippocrates aliquoties, immo nihil aliud innuiſſe videtur S. Apoſtolus Paullus, ipſe, quando Corinthios monet, 2. Cor. VII, 11. ἁγνοὺς εἶναι ἐν τῷ πράγματι, ut ad illum locum pluribus oſtendimus, in Curis Philolog. Wolf. pag. 628. Tom. II. contradicentibus quamvis aliis eruditis. Conf. Cunrad. Rittershuſii Lect. Sacr. Lib. VII, cap. 16. pag. 540. Ita ἐν ἔργῳ καταληφθῆναι, pro in ipſo actu venereo, ſeu turpi adulterio comprehendi, dixere Plato, Athenæus, Demoſthenes, Harmenopulus, & alii, qua de re nos plura ad Hippocratem, & alibi, proxime dicturi ſumus.

vid.

vid. interim Petr. Moll ad Longi Paſtoralia, Commentatores ad Petronium, (præſertim Weiz. ad ejusdem cap. XXV.) Ovidium & Priapeja, alioſque ſcriptores Eroticos. Item Scipionem Gentilem, in Parerg. ad Pandect. Lib. II, cap. 23. pag. 171. ſeqq. Rem enim hanc adeo notam & pervulgatam eſſe arbitror, ut neminem paullo humaniorem & urbaniorem fore crediderim, qui neſciat, ideo nolo plura hic fruſtra addere, præſertim quum jam alibi hac de re plus ſatis commentatus fuerim, ut modo monitum a me fuit.

CAPUT XV.

Heliodorus in Æthiopicis ter emendatus.

HEliodori Æthiopica legebamus olim nos pueri ingenti cum voluptate & quaſi ἀμυςὶ, neque ſane aliter fieri poterat: tanta enim eſt in iſto Libro erotico leporum, venerum & elegantiarum copia, ut ægre e manu dimitti poſſit, ubi ſemel ſumtus fuerit. Nam Lectores non allicit ſolum; ſed alligat ſimul, & retinet quaſi Jynge quadam, aut nodo Hæmonio & magico.

Sed ex eo tempore nobis majoribus curis obrutis & ſeverioribus ſtudiis diſtrictis nec viſus, multo minus lectus fuit ſuaviſſimus ille & cultiſſimus omnium Heliodorus. Nuper demum vero poſt plus quam viginti annorum decurſum, forte fortuna iterum oblatus fuit

in quadam Bibliotheca, quam obiter perluſtrabamus.

Quid tum? recrudeſcebant ſtatim puerilia ſtudia, neque temperare nobis potuimus, quin denuo ocyus pervolveremus Librum & lectione utiliſſimum juxta & jucundiſſimum. Inter legendum vero, ut fit, ſequentia loca adnotavimus, quæ noſtra medicina indigere videbantur. En autem iſta!

Libro igitur VIImo, pag. 317. Edit. Commelin. de Ann. 1596. ita Cybele, cubilis jam cuſtos, & olim nutrix, ad dominam Arſacen, amore Theagenis vehementer ſauciam exclamat: ὦ δέσποινα; τί σε νέον ἢ καινὸν ἀλγύνει πάθος; *Quid hæc malum, domina? Num quis te novus & inuſitatus affectus excruciat?*

Hic vero νέον ἢ καινὸν, ſuſpectum valde mihi videtur, eſt enim fere unum idemque, neque opponi ſibi poteſt recte νέον καὶ καινὸν, licet ſupra Lib. IV. πάθος τι καινότερον, occurrat, atque alibi νεαρὸν. Quare vix dubium mihi hæret, quin legendum hic fuerit νέον ἢ ξένον, *novum aut inſolitum & peregrinum.* Niſi legendum potius hic videatur καίνον, h. e. *letiferum, interficiens*, a καίνω, *occido, perimo*, unde καινὶς, *cædes, mors, ſtrages*, ut notum, vel etiam leg. καίριον, *letiferum, periculoſum*, quod ſæpe apud Hippocratem & Dionyſium Halicarnaſſenſ. &c. occurrit, vel denique ſcribendum, αἰνόν, *difficile, grave, horrendum*, quæ omnia apte huc quadrare nemo non animadvertit. Sed permittimus ea placido Lectoris arbitrio.

Porro

Porro Lib. IX. pag. 445. de Nilo fluvio hæc prædicantur : Τὸν γοῦν ποταμὸν τοῦτον, εἴτε καὶ καθ' ὑμᾶς θεὸν, καὶ κῦτος ἅπαν τὸ ποτάμιον, quæ ita vulgo vertuntur : *Ceterum, quum fluvium hunc, ſeu veſtra opinione Deum, & omnium fluviorum cumulum*, inepte omnino atque perquam frigide, ſi quid judicem, quod & dudum viderat Caſp. Barthius, Lib. V. Adverſarior. Cap. 20. pag. 250. Quid enim quæſo illud *fluviorum cumulum?* Κῦτος ἅπαν τὸ ποτάμιον; quum vertendum potius eſſet, per *alveum, ambitum, ſpatium ambitioſum, capacitatem, colluviem* & *voraginem*, & ſimilia, ut notum. Κύτος quippe aut κύτος, nam utrumque ſcribitur, Heſychio interprete, idem eſt, ac σῶμα, ὄγκος, χώρημα, βάθος, &c. quemadmodum & Suidas aliique vocem hanc recte exponunt, de qua plura vide ſis apud Cl. Arnaldum, in Lect. Græc. Lib. I, cap. 13. pag. 88. quibus jam addo locum ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis, ut creditur quidem, Lib. VIII. pag. 139. b. Edit. Venetæ rariſſimæ, Ann. 1563. ἄβυσσον καὶ μέγα κύτος περιθεὶς, ubi tamen in ipſo MS. extat κῆτος, quomodo etiam apud Heſychium, Lucianum, & alios occurrit, forſan minus recte, ut Clariſſimus quidem cenſet Arnaldus, niſi fortaſſis utrumque potius rectum ſit, de quo ulterius cogitandum; adde & Pſalm. LXVIII, 8. ex verſione ſcilicet ſeptuaginta Interpretum.

Ceterum τὸ κύτος deducendum putat Cl. Salmaſius, in Exercitat. Plinian. pag. 689. à verbo κύω; quod tamen mihi, pace

tanti Viri, ſecus videtur, quum potius illud derivandum eſſe crediderim ab Hebræo חתה *Chatah*, ſive *Katab*, *Cepit*, *comprehendit*, *capax fuit*, quæ explicationi Heſychianæ eximie prorſus conſona ſunt, ut quivis ſtatim intelligit: ſed hæc obiter tantum.

Licet igitur, ut ad noſtrum Heliodori locum revertar, κῦτος ἅπαν τὸ ποτάμιον hoc ſenſu de Nilo optime dici poſſe videatur: tamen majore aliquo atque ſplendidiore elogio Nilum hic ornare voluiſſe Heliodorum, quam ut eum nude appellaret κῦτος; patet, niſi fallor, ex antecedentibus, καθ᾽ ὑμᾶς θεὸν. Quamobrem legendum hic potius cenſeo, καὶ κῦδος ἅπαν τὸ ποτάμιον, vel ἁπάντων ποταμῶν, *omnium fluviorum prima gloria*, & *decus fluviatile*, ut ſic loqui liceat.

Quemadmodum ſcilicet ſuavidicus Ariſtides in præſtantiſſima Oratione Ægyptiaca extrema, pag. 364. Tom. II. Opp. per Cl. Sam. Jebb, pari emphaſi parique venuſtate dixerat: Νεῖλος ποταμῶν ὀυχ ἧττον κάλλιςος, ἢ μέγιςος, καὶ χρεία καὶ θέας ἡδονῆ, καὶ τοῖς πᾶσι πολὺ νικῶν, item Theophylactus Simocatta, Lib. VII. Hiſtoriæ Maurician. cap. 17. pag. 365. οὗτος ὁ Νεῖλος μέγιςος ἁπάντων τῶν περὶ τὴν οἰκυμένην καθεςὼς ποταμῶν, & alibi, μέγιςος καὶ κῦδιςος ἁπάντων ποταμῶν. Add. & Juliani Imp. Epiſtola I. & alibi: plura ejusmodi præclara elogia collegit olim Wendelinus, in Libro de Admirandis Nili. Κῦδος autem ἁπάντων ποταμῶν, Nilus hic eadem elegantia codemque pondere dicitur, ac

ac alias apud Græcos, *κῦδος ἀνάκτων*, *θεῶν*, *ἀςέρων*, *Ἀχαιῶν*, *σοφῶν*, *ἡρώων*, *Ἰατρῶν*, *παρθένων*, *γυναικῶν*, *γραφῶν*, *πλαςῶν*, aliaque in hunc modum plura, apud Homerum, Pindarum, Euripidem, Manethonem inprimis, aliosque poetas; quomodo & Latinis ſic *magna ac prima gloria Ducum*, *Teucrûm*, *puellarum*, *Deûm*, *urbium*, &c. dici frequenter ſolet, ut notum & à Barthio quoque obſervatum in Adverſ. Lib. XXIV, Cap. 15. pag. 1200, & alibi in iſtis Libris. Sic tritiſſimus ille eſt Martialis verſus, Epigr. 92. Lib. XIII. *Inter quadrupedes gloria prima lepus.* Ut longe plura prætercam. Immo & ipſos Hebræos pari lepore dicere conſtar, כבוד הדר השמים ſive, דפאים, המלכים, בהמות hoc eſt, *gloria* vel *honor cælorum*, *gigantum*, *Regum*, *animalium*, ut alia id genus infinita jam taceam *Φιλεβραίοις* quippe notiſſima. Verum hæc ornamenti ſaltim gratia hic obiter adjecta a nobis ſunto, neque enim jam iſthæc ſtudia proprie tractamus. Quare revertamur nunc, ſi placet quidem, ad noſtrum Heliodorum.

Libro X. pag. 504. Theagenes cum exercitatiſſimo athleta luctaturus, & aut vincere aut vinci paratus, quia de conſtantia amoris Chariclеæ fere deſperabat, ita ratiocinatur: *ἵνα τι ῥέξας, ἢ παθὼν, ἐμπλήσω Χαρίκλειαν, τὴν σιωπὰν εἰς δεῦρο τὰ καθ' ἡμᾶς καρτεροῦσαν*, hoc eſt, *ut* (audi jam interpretem latinum!) *aliquo præclaro facinore edito, aut cadens, imploam Charicleam*, quæ hactenus rationes noſtras tacere ſuſtinuit.

Sed vero hic quæro ego, quid tandem ſit ἐμπλήσω Χαρίκλειαν; ſive, *implebo Chariclеam?* Scio quidem aliquo modo, ſi jocari nonnihil hic liceat, quid ſit *implere puellam*, apud Juſtinum & alios, & quid illud Ovidianum ſignificet, *magno implevit Achille*, item quid ſit pariter græce, ἐμπλῆσαι γυναῖκα, ἢ χόρην γονῆς, quemadmodum ἐμπλῆσαι τὰς ἵππους γονῆς, dixit Dio Chryſoſtomus, Orat. XX. pag. 268. quale & frequentiſſime apud Ariſtotelem, Xenophontem, Ælianum & alios legitur, conf. Vechneri Hellenolexia, Lib. II, cap. 11. pag. 554. Sed hic ſenſus laſcivus hoc quidem loco, nullo plane modo inferri & tolerari poteſt, ut ex ipſius contextus ſerie clariſſime patet.

Quid multa? unica tantum littera fraudi hic fuiſſe videtur bono interpreti, qua mutata, ut decebat, genuina lectio illico, credo, redibit loco huic alias perquam obſcuro atque ridiculo. Legendum nimirum modeſte conjicio, non temere impero, ἐμπλήξω χαρίκλειαν, *percellam*, *percutiam*, *commovebo Charicleam*, ſenſu ſane elegantiſſimo.

Nempe ἐμπλήξω eſt ab ἐμπλήσσω, *percello*, *percutio*, ut notum; quum alterum ἐμπλήσω, contra ſit ab ἐμπλήθω, *impleo*: ſed non opus profecto, in re adeo manifeſta atque obvia plura verba incaſſum profundere. Quare de his hactenus.

Hæc vero omnia, etſi probabilia videntur, & in fundo meo quaſi primum ſubnata ſunt; neſcio tamen, num forſan jamjam obſervata ſint

ſint ab acutiſſimo Bourdelotio, celeberrimo Heliodori Editore, cujus jam ſplendidam Editionem abeſſe merito dolemus, quam olim inſigni cum fructu verſavimus. Nulla enim nobis jam ad manum alia, quam illa Commeliniana, ſuperius modo nobis laudata.

Quod ſi tamen quædam horum ab ipſo præoccupata forte fuerint, quod vix quidem opinamur; nullum tamen adeo effrenem & expudoratum obtrectatorem nobis occurſurum fore confidimus, qui nobis gravem infamis plagii dicam ea de re ſcribere audeat. Alia enim novit, qui nos.

Caput XVI.

Depravatiſſimus Senecæ Philoſophi locus emendatus, rejectis Lipſii & J.F. *Gronovii*, V.C. *conjecturis.* Suggeſtus roſæ, *quid? Veteribus incognita vox.* Coccei *aut* coccini tori *olim in beatiorum tricliniis, quibus accumbebant convivæ.*

Omnium fere corruptiſſimus in toto Seneca ſequens inprimis locus, omnium doctorum unanimi ſententia, judicatur, in Libro de Vita Beata, Cap. XI. occurrens, ubi immenſum luxurioſæ gulæ furorem acriter graviterque pro more perſtringit Philoſophus. Verba quidem hæc ſunt: *Adſpice Nomentanum & Apicium, terrarum ac maris (ut iſti vocant) bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem e*

ſug-

ſuggeſtu roſæ exſpectantes popinam ſuam, &c. Ubi omnia quidem plana ac ſana videntur; ſed non ſunt. Illud enim *e ſuggeſtu roſæ*, non a Senecæ manu eſt; ſed a Jo. Fr. Gronovii, qui primus illum roſæ ſuggeſtum ſtruxit, & Senecæ invito forte & ad has roſas affatim ingeſtas nauſeanti paullo confidentius intulit, ſi ita quidem verbis ludere liceat, de quo mox plura. Antea enim in vulgatis quidem Libris legebatur: *e lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam*; quod tamen nec ipſum Seneca ſcriptum reliquit. Nam mirum plane in modum ſcripti hic Codices variant & in diverſa prorſus abeunt. In quibusdam enim legitur, *eosdem e ſucceſſores exſpectantes*, in aliis, *eosdem e ſuccenſuros*, item *eosdem eſuros*, rurſus in aliis, *eosdem ſucceſſuros*, vel *eſu teſſuros*, vel *eſui ceſſuros*, vel *eſui cenſuros*, vel denique *eſucceſſuros*, quæ lectionum diverſarum monſtra, quid enim quæſo aliud? ſollicite annotarunt Lipſius & Gruterus, ut videre eſt in Gronovii Editione cum Notis Var. ſplendide ſatis edita. Unde nunc cuivis patet, altius opinione vulnus hic latere, & turpiſſimum mendum huic loco inhærere, quod ut tolleret Lipſius, legebat olim, *eſu cenſores ſpectantes*, parum mea quidem ſententia, feliciter, nimisque coacte atque obſcure, quod ipſe non diffitetur vir Candidus & Stoica ſeveritate gravis. Quare hac conjectura minime contentus vir limatiſſimi judicii & politiſſimi ingenii, Jo. Fr. Gronovius, propitiorem ſibi conjectandi fortunam pollicitus, legebat potius, *e ſuggeſtu roſæ exſpectantes*, ut ſupra jam

jam notavi: in qua quidem conjectura ſibi adeo uſque placuit vir alias modeſtiſſimus, ut eam in Contextum adeo ipſum, nimium profecto ſui ſecurus, recipere nihil dubitaret, inprimis, quum Alb. Rubenium aliosque viros Clariſſimos plauſores ſibi nactus eſſet. *Suggeſtum* igitur *roſæ* explicat ibi per torum pulvillis roſa fartis ſtratum, multisque in hanc rem adductis Ciceronis & ipſius Senecæ aliorumque teſtimoniis, abunde probat, beatiores olim convivatores & convivas in roſa, ſive ejusmodi pulvillis roſa fartis & potaſſe & cœnaſſe. Verum non tam hoc probandum erat, per ſe quippe jam notiſſimum; quam illud potius, ejusmodi ſcilicet pulvillum diſcubitorium roſis impletum, vocatum fuiſſe a probis Auctoribus *Roſæ ſuggeſtum*. Sed altum hic ſilentium, neque mirum, nullus enim omnino reperiri poterat locus, ex quo inſolitum hoc loquendi genus probari & muniri ullo modo poſſet. Ingenii igitur haud vulgaris laudem potius reportabit hæc conjectura Gronoviana, quam quidem convincentis probabilitatis aut luculentæ veriſimilitudinis gloriam.

Quare aliam longe emendationis viam nobis ineundam fore cenſuimus, legendo nimirum leviſſima, niſi fallor, mutatione: *Vide hos eosdem* e cocceis *vel* coccinis toris *exſpectantes popinam ſuam*, (*cocceum* nempe *coccinum* atque *coccineum*, promiſcue dici ſolere, recte monet & ſolide probat Cl. Salmaſius, in Comment. ad Æl. Lampridii Alexandr. Sever. Cap. XLII. pag. 987. ubi *coccea lacerna* ex MSS.

legi-

legitur, confer eundem ad Fl. Vopiſci Aurelian. Cap. XXXIV. pag. 495. quem & vid. in Exercit Plin. p. 194. ſeqq. ut & Rigalt. ad Artemidor. pag. 41.)

Notiſſimum nimirum eſſe arbitror ſedulis Antiquitatum indagatoribus, beatioris ſortis & delicatioris cuticulæ epulones olim in toris coccinis aut conchyliatis molliter diſcubuiſſe, quum cœnam caperent.

Sed ne quis hac de re licet vulgatiſſima, ullo modo dubitare poſſit; en aliquot Veterum teſtimonia, pauciſſima quidem atque parciſſima ex innumeris fere, ſed quæ ſufficiant tamen ad noſtrum ſcopum. Petronius ergo Arbiter, de Zapluto illo nimiumque beato Trimalchione, Cap. XXXVIII. *Vides tot culcitas? nulla non aut conchiliatum aut coccineum tomentum habet*, ubi vid. Interpretes apud Cel. Burmannum. Lucanus porro de profuſiſſima cœna, qua Pompeji Magni victorem Julium Cæſarem accipiebat ipſa Victoris victrix Cleopatra, Lib. X. Pharſal. ut quidem Codices quidam exhibent:

Hic torus, Aſſyrio cujus pars maxima ſucco
Strata micant Tyrio, quorum pars maxima lentum
Cocta diu virus non uno duxit aheno;
Pars auro plumata nitet: pars ignea cocco,
Ut mos eſt Phariis miſcendi licia telis.

Horatius pariter de epulis murium furtivis, ſed γλυκυπίκροις, in locuplete domo, Sat. 6. Lib. II.

rubro

- - - - rubro *ubi* cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

Auctor denique Epigrammatis de Vita beata, in Catalectis Scaligeranis, Pentadius vulgo creditus:

Aut auro bibere, aut cubare cocco,
Regales dapibus gravare menſas.

De quo vid. Yvonis Villiomari, ſive ipſius Joſephi Scaligeri Animadverſ. in loc. controverſ. Rob. Titii, Lib. IV. pag. 92. Verum ſimilia plura apud Martialem, Claudianum, Ovidium aliosque poëtas frequenter occurrunt, quæ huc omnia congerere intempeſtivæ omnino foret diligentiæ, præſertim, quum multa, immo pæne nimia hac de re jamjam collegerint Petr. Ciacconius, Lib. de Triclinio Vet. Meurſius & Kobierzykius, in Libb. de Luxu Romanor. Raderus ad Martialem, Salmaſius in Exercitat. Plinian. Brodæus in Miſcellaneis, Iſ. Voſſius ad Catull. pag. 195. Lipſius, aliique plures, quos inter & cenſeri meretur Kippingius, in Antiq. Rom. Lib. IV. cap. 3. Facili vero admodum modo & nulla fere violentia, ex corruptis *Eſucceſſores*, *Eſuccenſuros*, vel *Eſui ceſſuros*, &c. fieri poſſe *e cocceis* vel *coccinis toris*, ut legendum eſſe, hactenus docuimus, palam liquet. Si enim diviſeris voces illas *e ſucces*, vel *e ſuccens ſores*, vel *ſuros*, illico ſua ſponte in oculos incurret noſtra Lectio, *e cocceis* ſive *coccinis toris*, inprimis, quum litteras S. & C. in antiquis Libris ſæpius inter ſeſe confundi ſolere, probe memineris, qua

de

de re multa exempla jam dudum collegit Paſſeratius, in Libro utiliſſimo de Litterarum Permutatione, pag. 33. & pag. 142. &c.

Nobis igitur hiſce ex cauſſis omnino probabile videtur, noſtram hanc conjecturam a veritate proxime abeſſe, illique Roſarum ſuggeſtui præferri aliquo modo oportere, ni Lectori potius aliud viſum, cujus arbitrio ſoli noſtras has conjecturas leves admodum permittimus. Fuit quidem, quum & legere mallemus, *comiſſatores*, vel *eſu ſucceſſores*, (nempe Apicii & Nomentani, quod modo præceſſerat,) vel *elucos eſtores*, vel denique *eſu cenſum merſuros*, ut Veteres paſſim loqui amant. Ita Plinius, Lib. IX, cap. 17. de cocis triumphorum pretio paratis & prodigis nimium luxurioſæ gulæ miniſtris: *Nullus prope jam mortalis æſtimatur pluris, quam qui peritiſſime cenſum domini mergit*, quod ita fere expreſſit ipſe noſter Seneca, Epiſt. XCV. *Quid eſt cœna ſumtuoſa flagitioſius & equeſtrem cenſum conſumente?* Sed propius huc Manilius, Lib. IV. de inexplebilis edacitatis homine: *Non legabit opes*, cenſumque immerget *in ipſo*, quomodo & Ovidius de inexſaturabili Eriſichthone, Lib VIII. Metamorph. *demiſſo in viſcera cenſu*, lepide dixit, ut plura alia prætercam.

Sed omnes hæ conjecturæ, licet nihil abſurdi, multum vero probabilitatis, præ ſe ferant; nihil tamen valere atque vileſcere potius videntur præ altera illa ſuperius propoſita & abunde explicata & ſtabilita; quæ hinc ideo magis admittenda videtur, quia mox in contextu

textu ſequitur, *exſpectantes*, unde de re quadam ſublimiore & machina in altum exſtructa, ex qua in inferiora commode exſpectari poſſit, ſermonem fuiſſe in antecedentibus, ſua ſponte pateſcit. Verum jam manum de tabula!

CAPUT XVII.

Diogenis Laërtii locus mutilus & vitioſus emendatus, repudiata merito audaci nimium & coacta Marci Meibomii conjectura, nec non Joach. Kühnii ſententia notata. Ἀπόδειξις *&* *Demonſtratio quid?*

SEquens Diogenis Laërtii locus, ſi quisquam alius in toto Libro, fœdiſſimo mendo obſitus eſt. Legitur is Lib. VII. Segm. 45. in Vita Zenonis, his quidem verbis: Τὴν δὲ ἀπόδειξιν, λόγον, διὰ τῶν μᾶλλον καταλαμβανομένων, τὸ ἧττον καταλαμβανόμενον περὶ πάντων, hoc eſt ad verbum: *Demonſtrationem vero orationem*, vel potius *rationem eſſe, quæ per ea, quæ magis comprehenduntur, id quod minus comprehenditur, de omnibus.* Ubi vel cæco apparet, opinor, ſenſum in fine ſermonis deficere, atque deeſſe verbum activum, ſeu prædicatum, quod ad præcedentem vocem λόγον, reſpiciat ejusque actionem atque efficaciam declaret. Marcus ergo Meibomius mendum hoc bene perſpexit, turpemque ſani ſenſus hiatum probe detexit. Sed ſicuti de omnibus pæne emendationibus Meibomianis jure uſurpari poteſt illud Virgilianum, *fit via vi*; ſi verum

P qui-

quidem abſque invidia, fateri hic liceat, non enim miti & circumſpecta manu Auctorum vulnera contrectat; ſed inclementis potius Chirurgi in modum, ferro & igne graſſatur, & ſecat potius, quam ſanat: Ita & hic exceſſit ejus medicina modum, & plus damni, quam emolumenti, loco male affecto attulit, legit enim pro περὶ πάντων, in quibus verbis propria atrocis mali ſedes eſt, ἐμφαίνοντα, ſcil. λόγον, quod modo præceſſerat. Sed ſi hæc emendandi ratio ſuccedat & applauſum mereatur; tunc ſane quidvis ex quovis exſculpi facile poterit, & quadrata erunt rotunda; quæ enim quæſo, vel minima eſt ſimilitudo inter περὶ πάντων, & ἐμφαίνοντα? Ego ſane fateor, mihi & hebetiores eſſe oculos & obtuſiores aures, quam ut perſpicere & auditu percipere poſſim vicinitatem litterarum & ſoni convenientiam. Interea non negandum tamen, vocem hanc ἐμφαίνοντα, aptam omnino eſſe & perquam commodam ad hiantem ſenſus lacunam ſcite explendam; modo preſſius inhæreret priſcis litterarum veſtigiis. Quum vero hæc primaria qualitas concinnæ & veriſimilis emendationis hic prorſus deficiat; repudianda omnino hæc conjectura, tanquam audax nimium & infeliciter excogitata.

Nobis ergo, qui quantum pote, circumſpectiores & cautiores, hac certe in parte, eſſe cupimus, legendum videtur, loco τῦ περὶ πάντων, quod corruptum eſt, ἐπερύσαντα, ſeu ἐπειρύσαντα, vel quod idem προερύσαντα, h. e. *inſuper extrahentem*, vel *protrahentem* ſcil.

λόγον,

λόγον, a notiſſimo verbo, ἐρύω, ἐπερύω, & προερύω, *traho*, *attraho*, *protraho:* adeo, ut totius loci antea non intellecti ſenſus nunc ſit ſequens: Demonſtrationem eſſe rationem, ex rebus magis perceptis, id quod minus percipitur, inſuper extrahentem vel protrahentem, ſive, ut id verbis Ciceronianis ex II. Academ. Quæſtionum, elegantius adhuc exprimamus: *Argumenti concluſio, quæ eſt Græce* ἀπόδειξις, *ita definitur: Ratio, quæ ex rebus perceptis, ad id, quod non percipiebatur, adducit.* Quod Græce ad noſtram quidem mentem, ſecundum ſuperius propoſitam conjecturam, ita commode reddi poſſet: ἡ δὲ ἀπόδειξις ἐςὶ λόγος διὰ τῶν μᾶλλον καταλαμβανομένων τὸ ἧττον καταλαμβανόμενον ἐπερύσας, vel προερύσας. Fuit quidem etiam aliquando, quum legerem pro περὶ πάντων, περιάπτοντα, h. e. *attingentem* ſive *connectentem*, ſcil. λόγον, ſenſu æque commodo: Fuit iterum, quum mallem - - πρὸς τὸ ἧττον καταλαμβανόμενον προβάντα, ſcil. λόγον, progredientem. Ita enim Clem. Alex. L. VIII. Strom. pag. 770. ἀπόδειξιν πάντες ἄνθρωποι ὁμολογήσαιεν λόγον εἶναι τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἐκ τῶν ὁμολογουμένων ἐκπορίζοντα τὴν πίστιν. Fuit denique, quum conjicerem: τὸ ἧττον καταλαμβανόμενον περίφαντον, ſcil. λόγον, *illuſtrantem*, *declarantem*, a περιφαίνω, perquam probabiliter. Malim tamen priorem conjecturam ἐπερύσαντα, his omnibus omnino præferre, utpote longe viciniorem priſcis litterarum ductibus, περὶ πάντων, ut hactenus demonſtratum.

 Su-

Supereſt adhuc, ut pauca hic adjiciam de Joach. Kühnii conjectura in hunc locum: nam & hic Vir Cl. mendum viderat, qua fuit mira ſcil. ἐυςοχία. Mutandum nimirum is cenſet τὸ περὶ πάντων, in περανάντων, h. e. *Orationes, quæ ex præmiſſis aliquid conficiunt*, ut ibi pluribus explicat in Obſervat. ad Diog. Laërt. pag. 528. Quæ ſane elegans eſt conjectura & valde omnino blandiens, propter ſingularem ſoni & litterarum affinitatem, inter περὶ πάντων, & περανάντων. Cui illud inprimis inſigne adjicit pondus, quod Clemens Alexandr. in deſcriptione ἀποδείξεως hac ipſa voce uſus ſit, Lib. VIII. Strom. pag. 776. his quidem verbis: ἡ ἐκ τῶν ἤδη φθασάντων ἀποδεδεῖχθαι (ἀπόδειξις) διὰ τῆς δὲ πάλιν ἕτερόν τι περαίνουσα, πιςὴ μὲν οὐδὲν ἧττόν ἐςι τῆς προτέρας. κ. τ. λ. vid. & inprimis ibidem pag. 770. & 771. ubi accurate docetur, quid ſit ἀπόδειξις, quidque τὸ περαίνειν. Quum vero, vel admiſſa illa, locus nihilominus mancus adhuc maneat, ſenſusque inde nec clarior fiat nec planior; dum ſemper ſcilicet deficit verbum activum, quod ad τὸ λόγον reſpicere, illiusque vim & actionem indicare debet, quod ſupra jam monitum, & contextus clare docet: hæc Kühniana emendatio pro ingenioſa potius; quam fructuoſa & neceſſaria, aut opifera & vulnus antiquum ſanante jure haberi mereatur. Neſcio enim, cur non potius legere maluerit περάναντα vel περαίνοντα, ſcil. λόγον, tunc ſane aliquid eſſet, quod attentione dignum videretur, qua de re vid. ill. Fabric.

Fabric. ad Sext. Empir. pag. 538. & Summe Rev. Wolf. in Curis Philol. & Crit. in 1. ad Timoth. Epiſt. cap. I, 4. pag. 411. ubi plenius docetur, quid ſit λόγος περαίνων vel περαντικὸς, & quid contra λόγος ἀπέραντος vel ἀπέρατος. Sed ſatis nunc de his leviculis quidem hariolationibus.

CAPUT XVIII.

Locus Ciceronis tentatus. Stilus atrox, *quid? Petronius explicatus, Barthius notatus. Alciphron emendatus.*

Cicero in Bruto, Cap. XXII. hæc de graviſſimo Oratore Ser. Galba: *Quod is in dicendo ornatior acriorque eſſet.* Hic vero illud *ornatior*, minus ornatum & appoſitum videtur. In MSStis eſt AD⊣ORTOR, unde nunc *fortior* fecerunt, nunc *altior*, nunc vero aliud ſubſtituerunt, ut videre eſt in Editione Cl. Verburgii. Mihi autem ſcribendum videtur, *atrocior acriorque*; ſequitur enim mox, *Galbam non in agendo ſolum; ſed etiam in meditando vehementem atque incenſum fuiſſe*, vid. & reliqua ibidem. Tò *atrox* vero quandoque ſenſu bono & laudabili ſumi ſolere notum eſt, ita Horatius *atrocem invicti Catonis animum* dixiſſe, vel pueri ſciunt, alia ut taceam. Sed maxime hanc noſtram conjecturam confirmat & tuetur illud Petronii, Cap. IV. *Ut juvenes verba atroci ſtilo effoderent*, h. e. ſtilo gravi, ponderoſo & nihil humile aut abjectum ſpirante:

ubi vid. Cel. Burmann. & Gonſalium, fruſtra enim & infeliciter hunc Petronii locum ſollicitabat diligentiſſimus alias & laborioſiſſimus Caſp. Barthius, qui hunc atrocem ſtilum concoquere haud poterat. Sed & *atrocitatem eorum, quæ dicerentur*, Livius dixit Lib. XLV, cap. 10. etſi alio ſenſu, ut ibi videri poteſt. Ejuſmodi vero atroci ſtilo uſum olim conſtat præter Demoſthenem, Dionyſium inprimis Longinum τὸν ῥητόρων πάντων τὸν ὕψιςον, adverſus Imp. Aurelianum, ſed adeo infeliciter, ut verba per jugulum redirent, ut Plinius eleganter loquitur., & ipſe vita ante tempus miſere privaretur, ut ex Vita Aureliani notum eſt.

Sed levia hæc nimis atque obvia ſunt; hinc gravius atrociusque mendum indicaturi jam ſumus in ſuaviſſimi Alciphronis Epiſt. 2. Lib. II. p. 220. ubi Leontium ob Timarchi heu! quondam ſui, ſeparationem, cor ſaucia & mœſtiſſime afflicta, ita ſcribit ad bonam ſociam Lamiam: καὶ ἰδρῶ, καὶ τὰ ἄκρα καὶ ἡ καρδία μου ἀνέςραπται. *& ſudo, & ſumma & cor meum ſubverſum eſt.* Sed quid ibi quæſo ſunt τὰ ἄκρα, ſummæ ſcil. tenebræ & mera ænigmata, quare & græcantiſſimus Berglerus in Notis ita ſcribebat: *Non facile apparet, quid hic ſibi velit.* Mirum vero eſt, virum hunc, qui Alciphronem toties jam feliciſſime emendaverat, non vidiſſe, pro τὰ ἄκρα, legendum omnino eſſe, δακρύω; *& ſudo, & lacrimo*, ſenſu aptiſſimo. Poſſet & commode legi, καὶ τακερὰ ἡ καρδία ἀνέςρ. *Cor molle & liquefactum*

ctum ſubverſum, qua de re vid. ipſum Cl. Bergler. ſupra ad Epiſt. 28. Lib. I. p. 117. Sed magis tamen placet alterum δακρύω, quod perperam mutatum fuit in τάκρα, & dein in τα' ἄκρα. De re ipſa Vid. II. Od. Sapphûs.

CAPUT XIX.

Ælianus de Natura Animalium, ſemel emendatus. ἀπαρακτος & ἀπολάκητος, *quid? Horapollinis Locus depravatiſſimus emandatus.*

IN Æliani de Natura Animalium, elegantiſſimis, ſed ſimul, quod merito dolendum, hodie depravatiſſimis Libris, multa quondam emendaveram, nunc bene, nunc male, quemadmodum dii volunt, eaque ad Cl. & amiciſſimum nobis Virum, Abrahamum Gronovium, Lugdunum Batavorum tranſmiſeram, qui ante decem & plures jam annos, novam politiſſimi illius Auctoris Editionem publico promiſerat, quam tamen neſcio ob quas cauſſas, fruſtra hucusque expectarunt Græcarum litterarum ſtudioſi cultores. Interea Cl. de Pauw ſibi tam diu cunctandum eſſe minime ratus, falcem ſuam criticam in iſtam meſſem Gronovianam miſit, atque in Notis ad Philen, varia Æliani noſtri loca ad ſeverius examen vocavit, paſſimque veluti in tranſitu, nunc emendavit, nunc aliter conſtituit, quam vulgo factum, idque ut plurimum feliciter: nonnunquam tamen etiam, ut fieri ſolet, minore cum probabilitate & ἰυςοχίᾳ.

Hoc ne per invidiam aut calumniam dictum videatur; age! quosdam nunc locos ſtrictim indicemus, in quibus recorrigendis aliud nobis viſum, quam ipſi, & quidem non ſine ſonticis cauſſis. Fiat vero illud debita cum modeſtia, & ſine acerbis conviciis & omni verborum vilitate, quia mores feroces & ruſticos procul ſemper abeſſe jubemus ab elegantioribus & manſuetioribus litteris.

Hoc igitur Capite periculum hujus rei faciamus in uno ſaltim loco, quia ſpatiis jam iniquis excludimur, reliquis enim quæ reſtant adhuc, plurimis, commodior longe locus a nobis aſſignabitur in ſequentibus, ubi occaſio ſeſe obtulerit. De Pullis ergo aquilarum, quorum ingenua nobilitas ad lucidiſſimos ſolis radios ceu ad ignes exploratores, (ut perquam eleganter hac de re loquitur Claudianus, de III. Conſ. Honor. in præfat.) a parentibus probari & explorari ſolet, ut fabula quidem communis tenet, ita Lib. II. cap. 26. ſcribit Ælianus: *Ἐπεὶ αὐτῷ πῦρ τὸ οὐράνιον ἡ τοῦ γένους αδέκαστός τε καὶ ἄπρακτος ἀληθῶς ἐγγραφή ἐστιν*, ſicuti Julianus in Epiſt. pag. 183. de hac ipſa re dixit, *αδέκαστόν τινα μαρτυρίαν*. Quem quidem locum allegans Cl. Vir ſupra laudatus, in Notis ad Philen, pag. 12. aperte in eo corruptum eſſe *τὸ ἄπρακτος*, jure ſummo pronunciat. Eſt enim *τὸ ἄπρακτον*, ut notum, idem ac *iners*, *ignavum* & *inhabile plane ad agendum quid*. Inde *ἄπρακτον σκότος*, *ignava Caligo*, apud Longinum *περὶ ὕψους*, *ἄπρακτος ἡσυχία*, apud Dionyſ. Hal. Lib.

Lib. XI. apud quem & plura, & ἄπρακτος ἡμέρα, quod notiſſimum, & ἄπρακτον μόριον, *genitalia effœta, flaccida & ad generandum inepta*, apud Galenum & Paull. Æginetam, item ἄνεμος ἄπρακτός τε καὶ μαλακὸς, *ventus inefficax & remiſſus*, apud Heliodor. Lib. V. Æthiop. pag. 243. ut alia innumera jam taceam apud Artemidorum inprimis atque Herodianum, & Philonem Judæum, frequenter obvia: vid. Bergler. ad Alciph. Epiſt. 2. Lib. I. pag. 11. Hanc ergo vocem in præſenti Æliani loco nullum prorſus locum habere poſſe & re vera eſſe ἄπρακτον, ex præcedenti ſynonymo ἀδέκαστος, *incorruptus*, & nullo oblato munere in alterius partes flectendus, ſive ſincerus, & ipſo contextus ſenſu manifeſtiſſime cognoſcitur. Certum igitur videtur, morboſum eſſe in hac voce locum. Jam vero etiam de medicina ipſi neceſſario facienda ſollicite circumſpiciamus. Cl. Philæ Editor malebat ergo hic legere: πρακτικὸς ἀληθῶς ἐγγραφεὺς, quemadmodum ipſe Philes dixerat πρακτικὸν δικαστὴν, vel alio modo: ἀτάρακτος ἀληθῶς ἐγγραφεὺς, vel denique retenta voce ἐγγραφὴ, ἄπρατος ἀληθῶς ἐγγραφὴ. Sed licet hæc omnia ingenioſa ſint; partim tamen ipſum contextum nimis immutant; partim etiam longius paullo videntur petita & explicatu difficiliora. Ad hæc aliquanto melius Auctori ſuo conſuluiſſet, ſi pro ἀτάρακτος, legiſſet, ἄθρακτος, quippe quod teſte Heſychio, idem eſt ac ἀτάρακτος, & propius omnino accedit ad vulgatum ἄπρακτος. Nobis ergo plura

alia in mentem veniebant hic cum Lectore Critico ſtrictim communicanda. Legebam ſcil. aliquando, ἄθραυςος, h. e. ἰσχυρὸς, ἀβλαβὴς, *fortis*, *illæſus*, interprete eodem Heſychio, vel ἄπλαςος, *ingenuus*, *non fucatus*, *nullis pigmentis & figmentis corruptus & incruſtatus quaſi*, quas binas voces præcedenti ἀδέκαςος apprime convenire & ex aſſe reſpondere palam liquet, nec diſplicebit forſan ἄφθαρτος, vel ἀχάρακτος, & ſimilia, vel ἄπλαςος, ſive ἀπέλαςος, ut eſt apud Heſiodum. Miſſas tamen omnes merito feci præ hac poſtrema conjectura, qua emendandum cenſeo, ἀπλάκητος, vel quod idem, ut Grammatici quidem cenſent nonnulli, ἀμπλάκητος, vel ἀμπλάκιος, nam eadem eſt vox, h. e. *non fallendus*, *peccare & errare neſcius*, *nullis erroribus obnoxius*, *juſtus* & ἀναμάρτητος, ut bene exponit Heſychius. Adeo, ut hic nunc ἀδέκαςος καὶ ἀπλάκητος vel ἀμπλάκητος ἀληθῶς ἐγγραφὴ, ſit *argumentum* & *indicium incorruptum*, & *vere ſincerum* & *falli neſcium*; ſenſu, ſi quid videam, perquam perſpicuo & huic loco accommodatiſſimo. Videtur vero hoc ἀπλάκητος, vel ἀμπλάκητος, per compendiariam ſcripturam in ἀπλακτος, vel ἀμπλακτος, contractum, aut ſcribarum ſupinorum oſcitatione, aut ſciolorum Criticorum & Librariorum importuna correctione, ſenſim degeneraſſe in ἄπρακτος, quod quum notius omnino eſſet, quam alterum ἀπλάκητος, ἀμπλάκητος, aut ἀμπλάκιος; poſtea quamvis immani vitio, in omnes alios libros temere pro-

propagatum videtur. Certe mihi attente meditanti & omnia acute circumſpicienti nulla commodior vox græca occurrit, quæ depravato huic verbo ἄπρακτος, ſubſtitui apte poſſit, quam quidem dictum vocabulum ἀπλάκητος, vel ἀμπλάκητος, h. e. ἀναμάρτητος, ut ſupra ex Heſychio oſtendebamus.

Sed jure vereor ego, ne ipſe hic nimia garrulitate ἄπρακτος potius Lectoribus videar, quam ἀπλάκητος, quare tempus utique eſt, ut vela tandem contraham portumque ſubeam.

Non poſſum tamen mihi temperare, quin hic Lectorum pace, adjiciam adhuc quendam obſcuriſſimum & depravatiſſimum Horapollinis locum, qui me quidem judice, ex eadem traditione de genuinis aquilarum pullis ſolis patientibus, commode explicari, & facile emendari poteſt. Extat. iſte Lib. II. Hieroglyph. cap. 2. καὶ ἀετοῦ νεοσσὸν, ἀῤῥενογόνον. καὶ κυκλωνδὸν σημαίνει, ἢ σπέρμα ἀνθρώπου, *& aquilæ pullum maſculum & orbiculatum quid, vel ſemen hominis ſignificat.* Sed quod monſtrum vocis hic τὸ κυκλωνδὸν? & ubi ſenſus commodus in toto loco? Nolo hic Editorum commenta referre aut refellere, quæ coacta & frigida, ſua ſponte facile corruunt. Præſtat noſtram potius conjecturam proferre. Legendum nempe omnino putamus: καὶ ἀετοῦ νεοσσὸς ἀῤῥενογόνον καὶ ἀκίβδηλον σημαίνει, ἢ σπέρμα ἀνθρώπου. h. e. *Aquilæ pullus prolem maſculam, fortem, genuinam & caſtam ſigni-*

ſignificat, *vel ſobolem & poſteros hominis*, ſenſu ſane liquidiſſimo. Certe monſtroſum illud κυκλωπιδὸν, plane in ἀκίβδηλον, eſſe mutandum, mihi nullum eſt dubium. Heſychius huc egregie: ἀκίβδηλον, καθαρὸν, ἁγνὸν, σεπτὸν ἢ δόκιμον, vid. & Suidas. Σπέρμα vero pro poſteris & ſobole, in ſacris & profanis Auctoribus ſumi, multis oſtendit Cl. Georgius, in Vindiciis N. T. ab Ebraiſmis, Lib. II. pag. 87. ſqq. occurrit & aliquoties apud Dionyſ. Halicarn. & alios plures.

Caput XX.

Vexatiſſimus Curtii locus poſt varias multorum doctorum virorum hariolationes denuo tentatus. Stellatura, Stellionatura & Stellionatus *idem. Quid late proprie, quid ſtricte? De vera Curtii ætate adhuc ſub judice lis eſt.* Speculator *ſæpius idem ac carnifex aut decollandi artifex.*

In Q. Curtio, cultiſſimo ſane Scriptore, ſequens inprimis locus Lib. III. cap. 13. extremo, unanimi Eruditorum confeſſione, omnium corruptiſſimus jure meritoque cenſetur.

Exſecrabilis ibi hiſtoria narratur de Damaſci præfecto, qui immenſam Darii gazam tot annorum incredibili & fidem excedente fortuna cumulatam, Parmenioni Alexandri Duci deteſtanda perfidia, prodiderat; ſed haud ita multo poſt a quodam ſceleris conſcio, ceu grata djs

djs Erebi victima, mactatus, & capite truncatus, ad ſæva tartara miſſus fuerat. Ita igitur hac de re ſcripſit, aut ſcripſiſſe potius creditur Curtius: *Ceterum dii tantæ fortunæ proditorem ſepulturæ celeriter debita pæna perſequuti ſunt.* In quibus vox *ſepulturæ*, merito ſuſpecta, immo aperte mendoſa & ineptiſſima Eruditis videtur. Quis enim ſepulturam unquam inter pœnas & ſcelerum ultiones jure retulerit? quum potius eam inter ſupremos vita functorum honores & debita humanitatis officia ab omni ævo & apud omnes cultiores gentes, habitam fuiſſe, ex innumeris Veterum & recentiorum Libris affatim liqueat, nec cuiquam proinde ignotum ſit: quin potius inter omnes ſatis conſtet, ſummum contra dedecus extremamque ignominiam fuiſſe, ſi cujuſdam cadaver inſepultum abjiceretur, & ſupremo ſepulturæ honore djs manibus debito, ſæve & inhumaniter privaretur, ut clare patet ex Sophoclis Antigone, Papinii Statii Thebaide, Lucani Lib. VII. Virgilii Æn. Lib. IX. Livii Lib. XXIX, cap. 9. innumeriſque aliis Græcis & Latinis Scriptoribus, quos citat & explicat ſummus Hugo Grotius in æterno de jure Belli ac Pacis opere, ubi ex inſtituto hac de re erudite ut ſolet, ac ſapienter differit, ut eos varios Scriptores hic prætercam, qui data opera de Sepulchrorum inviolabilitate & ſepulturæ moralitate (ut ipſorum vocibus utar,) fuſe atque egregie commentati ſunt, quo & pertinet Gisbert. Cuperus, Obſſ. Var. Lib. I. cap. 8. & nuperrime

rime inprimis Cl. Plazius in peculiari ſchediaſmate, vid. & Rittershuſ. Sacr. Lect. Lib. VI, c. 18. p. 487. ſeqq. aliosque, quos hic enumerare nec vacat, nec opus eſt. Exinde vero ſatis ſuperque liquet, vocem *ſepulturæ* in præſenti Curtii loco nequaquam ferendam; ſed potius ceu ſpuriam & abſurdiſſimam, furcillis quaſi ejiciendam & expellendam, vel in meliorem & commodiorem mutandam eſſe. Quæ vero ſit illa, quæ ſubſtitui hic debeat, de ea anxia adhuc eſt quæſtio inter eruditos, olim quippe jam acriter agitata; nec dum vero ſatis expedita & ad liquidum perducta. Freinshemius igitur, cui plurimum alias, ut notum, debet Curtius, hic, etſi timide, legebat, *ulturi*; Jo. vero Schefferus, *ſeque ulturi*, conjectura haud improbabili: Porro Jo. Fr. Gronovius, Obſervat. Lib. II, cap. 12. pag. 306. legendum jubebat, *ſuperi ultores*, quemadmodum ſic *dii fœderum ultores*, dixit Florus, Lib. III, cap. 11. & alii, & *ſcelerum ultorem*, Cicero, pro Milone, & alibi. Sed Tanaquillus Faber in Epiſt. Crit. 51. Lib. I. malebat *ſecurum ſceleris*, majore ſane, ut ſolet, cum audacia, quam felicitate, aut probabilitate. Jo. denique Clericus in Arte Crit. Part. III, Sect. II. Cap. X, 4. pag. 509. vocem *ſepulturæ* mutabat in *impoſturæ*, exigua ſane veri ſpecie & perſuaſione, licet reliqua ſenſum omnium optime aſſequutus videatur: Omitto alia aliorum commenta, vix digna, quæ huc referantur. Mihi quoque variæ conjecturæ in hunc locum ſubnatæ ſunt, quas

bona

bona cum Lectorum venia, ſtrictim hic percenſere liceat. Legebam igitur aliquando, *tantæ fortunæ proditorem & ſpoliatorem*, vel *proditorem luiturum*, vel *dii ſcelus ulturi*, vel *repulſuri*, *ſe purgaturi*, vel *ſpem ultra*, vel *exemplo futura*, vel *ſpolii diri*; vel *reſultatura celeriter pœna*, vel *ſæve ultura*, vel *ſine fultura*, vel denique *delaturæ*, prætereo enim lubens ſtudioque alias id genus hariolationes & ægra forte inſomnia, ne Lectorum patientia juſto diutius abutar. Ex his tamen omnibus, licet nec loci ſenſui incongruis, nec a priſcis litterarum veſtigiis nimium recedentibus, nullam eſſe conjecturam, quæ calculum meum ferat, ingenue candideque fateor: erunt tamen forſan aliqui, niſi mihi nimium blandiar, quibus lectiones, *ſpoliatorem*, *reſultatura celeriter pœna*, (ſi hoc quidem ſatis latinum fuerit,) *ſæve ultura*, vel *delaturæ* &c. non penitus diſplicuerint, aliquemque judicii mitioris favorem promeruiſſe videantur. Mihi interim mens alio inclinat: puto enim & conjicio, non pronuncio, nec aſſevero, quod ſtultorum eſt, Curtii ſcripturam ſequentem forte olim fuiſſe: *Ceterum dii tantæ fortunæ proditorem* ſtellaturæ *celeriter debita pœna perſequuti ſunt.* Nimirum *ſtellatura*, *ſtellionatura* & *ſtellionatus*, idem eſt ac fraus, impoſtura, dolus malus, ſcelus fraudulentum & deteſtandum, occurritque apud Ælium Spartian. in Peſcenn. Nigr. Cap. III. *Imperator tribunos duos, quos conſtitit ſtrellaturas accepiſſe, lapidibus obrui juſſit*, item apud Æl. Lampridium in Alexand. Severo,

Cap.

Cap. XV. *tribunos, qui per ſtellaturas militibus aliquid tuliſſent, capitali pœna affecit.* Ubi non nego equidem, vocem *ſtellatura* ſtrictiore aliquo atque arctiore ſenſu utrinque accipi, quemadmodum & alterum *ſtellionatus* vocabulum in Pandectis æque ac Codice Theodoſiano ſumi, notarunt Dionyſius Gothofredus, Jac. Cujacius, Calvinus, Budæus, aliique magni Jure Conſulti: Conf. huc & Ægid. Menagii Amœnitat. Juris Civil. Cap. XXXIX. pag. 368. Interea tamen ſtellaturam etiam quamcunque fraudem, impoſturam & deteſtandam perfidiam in genere denotare, præclare obſervavit multisque erudite docuit Cl. Salmaſius, in aureo Commentario ad ſupra laudatum Æl. Spartiani locum, in Peſcennio Nigro, pag. 647. ſqq. qui merito hinc videri debet, atque latiore hoc laxioreque ſignificatu vocem hanc in noſtro Curtiano loco ſumi debere, dubio omni caret & res ipſa evincit. Unicus tamen adhuc reſtat ſcrupulus, circa vocis nempe *ſtellaturæ* novitatem, quam ſcriptoribus inferioris ævi & jamjam prolapſæ Latinitatis ſaltim uſurpatam, quales ſcil. fuerunt Spartianus atque Lampridius, obtrudere temere non licebat Scriptori ornatiſſimo & nitidiſſimo, qualem eſſe Curtium nemo facile negaverit.

Verum reſpondeant hic pro me velim ſcrupulumque illum tollant, ſi poſſint, Viri ſummi & κριτικώτατοι, Rutgerſius, Lipſius, Barthius, Pontanus, Tellierius, Freinshemius aliique, quorum acres lites de vera Curtii ætate conſtituenda ne in hunc quidem diem placide

cide componi potuerunt. Verum nunc alia adhuc mihi ſubnata eſt conjectura, quam a veritate proxime abeſſe crediderim propemodum. Legendum enim mihi videtur: *Speculatore*, vel *per ſpeculatorem, celeriter debita pœna perſequuti ſunt.* Quod ſcilicet mirifice conſpirat cum ſequentibus, ubi Caput ſceleſtiſſimi hujus proditoris ab alio & ſceleris conſcio & ultore amputatum & ad Darium in opportunum ſolatium, delatum commemoratur. Debita igitur proditoris pœna erat, ut morte haud ſicca aut incruenta periret, ſed manu potius carnificis capite plecteretur. Qui ſi hic carnifex non fuerit publicus & mercede conductus, fuit tamen omnino officio & ultione, dum pœnam ſumeret ab hoc flagitioſiſſimo humani generis propudio & prodigio, pro ſceleratiſſima proditione. *Speculatorem* autem ſæpiſſime idem eſſe, ac carnificem, notius eſt, quam ut hic doceri multis debeat: pauca tamen exempla adferre liceat, rudiorum in gratiam: Seneca Lib. I. de Ira, cap. 16. *Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpeculatorem jubet.* Julius Firmicus Lib. VIII. Aſtron. cap. 28. *Speculatores, qui nudato gladio hominum amputant cervices.* Gloſſæ quoque Veteres Caſaubono laudatæ, Σπεκυλάτωρ, ὁ ἀποκεφαλίζων, Δήμιος, quod luculentius, ut notum, patet ex Evang. Marci Cap. VI, 27. ubi vid. Grot. Caſaub. Dougtæ. & inprimis Wolfius, & quos ibi laudat. Conf. & maxime Commentat. ad Tacit. Hiſt. I, 24. & ad Sueton. Caligul. c. 52. & Othon. cap. 5. inprimis autem legenda hic

Laur. Lundii Hafnienſis peculiaris diſſertatio de *ſpeculatore.* Nunc vero clare, putem, patebit, quam facile ex ignota voce *ſpeculatore*, fieri potuerit *ſepulturæ*; inprimis quum de homine mortuo ſermo eſſet. Hanc ergo conjecturam ceteris jure præferendam cenſuerim.

CAPUT XXI.

Artemidorus in Oneirocriticis ter emendatus.

ARtemidori Daldiani quoties evolvo Oneirocritica, evolvo autem ſæpius; toties mihi in mentem venit illud Ovidianum:

Materia vellem fortis meliore fuiſſes.

Si enim eam, quam tractat Autor iſte, ſpectes materiam, illa ſane vaniſſima & nugaciſſima eſt,

par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.

atque hinc vix digna, propter quam vel leviter ſaltim Liber iſte inſpiciatur; quia nihil prorſus docet præter anilia deliramenta & inficetiſſimas nugas. Si vero quis ex altera parte inſignem illum atque luculentum variæ eruditionis apparatum ex imis interioris litteraturæ adytis petitum, diverſos ritus antiquos, ſæpius alias incognitos, miram præterea ſtili elegantiam ac venuſtatem aliasque ejusmodi opes attente conſideret, quarum ope Auctor operam hanc ſuam alias ingloriam atque obſcuram, glorioſam & ſplendidam ſapienter reddidit,

didit, ut taceam jam, quam ſingulari cum fructu atque utilitate ad illuſtrationem & explicationem diverſorum ſacri Novi Teſtamenti locorum adhiberi commodiſſime poſſit Artemidorus, de quo alibi plura; nemo profecto operam facile luſerit, quisquis hæc Oneirocritica plus ſemel diligenter atque ſevere perlegere dignatus fuerit, tum enim nihil his Artemidori Libris acutius, nihil doctius eleganriusque eſſe ultro fateatur neceſſe eſt. Haud male igitur in Artemidoro ſcite illuſtrando & acute emendando, horas olim ſuas collocavit præſtantiſſimus Nicol. Rigaltius, ceu ipſe fatetur in doctiſſima Præfatione. Quia vero quædam adhuc reſtant vel feſtinanter ab ipſo præterita, vel ſtudio diſſimulata, quæ tamen vel non ſatis ſana, vel juſto obſcuriora nunc illuſtrari utique merebantur, nunc emendari, ea hic & in ſequentibus, ceu ſpicilegium aliquod, recenſere & pertractare animus fert. Fiat ergo feliciter! Libro I, cap. 43. de pectore & mammis hæc leguntur: Γυναιξὶ δὲ (στῆθος λάσιον) χηρείαν μαντεύεται, ἀμελέστερον γὰρ διάγουσι καὶ δασύνονται, ἐπειδὰν μὴ παρῇ, δι' ὃν ἀσκοῦσι τὰ σώματα. *Mulieribus autem pectus birſutum viduitatem ſignificat, negligentius enim degunt, & pilis denſæ fiunt, quum non adeſt, ob quem corpora exerceant.* Hic omnia clara planaque eſſe, ſatisque commode explicari poſſe, non nego, verba illa, δι' ὃν ἀσκοῦσι τὰ σώματα, ceu videre eſt in Notis Rigaltii, pag. 17. interim malim tamen legere, δι' ὃν κοσμοῦσι τὰ σώματα, *propter quem*

 ex-

exornant, *poliunt & ſtudioſe curant corpora.* Niſi forte τὸ ἀσκοῦσι idem ſit ac κοσμοῦσι, ita enim Heſychius; Ἀσκεῖ, μελετᾷ, φιλοπονεῖ, & Ἀσκεία, θρησκεία, κόσμησις, item, ἀσκήσας; κοσμήσας; κατασκευάσας; Suidas quoque, ἀσκήσασα; κοσμήσασα, & ἀσκητὸς, μετ᾽ ἐπιμελείας κεκοσμημένος. Unde apud Theocrit: Idyll. 1. ἀσκητᾷ πέπλῳ; bene exponit ſchol. ἀσκητῇ, ἤτοι κεκοσμημένῃ πέπλῳ; & apud Æſchyl. in Perſ. 182. πέπλοισι περσικοῖς ἠσκημένη, h. e. κεκοσμημένη, vid. Cl. Arnald. Animadverſ. Crit. Cap. XXXIV. pag. 203. Adeo ut nunc ex his luculenter pateat, illud ἀσκοῦσι, in Artemidoro noſtro longe elegantius eſſe, ac quidem vulgare κοσμοῦσι. Nam ita & Iſidorus Peluſiota, ſcriptor elegans, Ep. 53. Lib. II, pag. 198. ἀσκεῖν τὸ κάλλος ἐπὶ τὸ βέλτιον οὐ παραιτοῦνται γυναῖκες. Unde nihil omnino in Artemidoro mutandum. Sed de hoc judicent peritiores, & quibus plus eſt otii; nos interim pergamus.

Lib. II, cap. 70. fin. de Nuptiis: εἰ δὲ τις γυναῖκα διακεκορευμένην πρὸς γάμον λαμβάνει. Licet ſatis Græce dicatur; γυναῖκα πρὸς γάμον λαμβάνειν, ita Dionyſius Hal. Lib. XI. pag. 709. πρὸς γάμον αὐτὴν λαβεῖν, ut alios innumeros taceam; Frequentius tamen γυναῖκα λαμβάνειν, optimos quosvis Auctores græcos dicere, notiſſimum eſſe arbitror harum deliciarum haud inexpertis. Quare vix dubitem, quin legendum potius hic fuerit: εἰ δὲ τις γυναῖκα διακεκορευμένην πρὸ γάμων, vel γάμου, λαμβάνει, h. e. *ſi vero quis uxorem*

ante

ante nuptias jam vitiatam duxerit, ſenſu planiſſimo & commodiſſimo.

Libro denique IV, Cap. 21. ψιλὰ καὶ περιεσπασμένα πράγματα, *tum nudas, tum diſtractas res*, vertit Interpres. Sed dubito omnino, an ψιλὰ καὶ περιεσπασμένα, juſte & recte ſibi opponantur. Malim igitur hic legere, ψιλὰ καὶ περιεσκεπασμένα, h. e. *nuda apertaque ut & operta tenebriſque involuta negotia*. Quem verborum ſenſum hic locus unice ſibi poſtulare videtur, ut ex contextus ſerie evidentiſſime, opinor, cuivis apparebit.

Sed hæc pauca de Artemidoro jam γεύματος ſaltim χάριν; plura enim, & forſan meliora, daturi ſumus cum Deo, in ſequentibus, ubi commoda nobis occaſio effulſerit.

CAPUT XXII.

Cornelius Tacitus bis emendatus, non admiſſa J. Fr. Gronovii V. C. *conjectura.*

Superſunt adhuc aliquot Taciti loca corrupta & male affecta, ex quibus bina nunc emaculare lubet, reliquis in alium locum reſervatis, ne Lectores copia obruantur

Sic Lib. I. Hiſtor. cap. 31. ubi de ferventibus militum motibus propter Piſonem, a Galba in Cæſarem adoptatum, obortis, ſermo eſt, hæc leguntur vulgo: *Ut turbidis rebus evenit, forte magis, & non nullo adhuc conſilio, parat ſigna, quod poſtea creditum eſt, inſidiis & ſimulatione.* Hæc vulgata quidem in Libris eſt Lectio: at

Codex antiquiſſimus Budenſis ita locum exhibet: *turbidis rebus evectior ire magis*, *& nullo adhuc conſilio*, &c. Florentinus vero hunc in modum; *eventior te magis*, vel, *eventi orte magis*. Ex quibus Lectionum monſtris innumera fere conjecturarum ſpecimina vel inſomnia orta ſunt, quæ in nova Taciti Editione Gronoviorum junctim legi poſſunt, tædet enim pigetque hic referre & refellere. Nobis interim ita conſtituendus videtur locus iſte depravatus; *Cohors* (id enim præceſſit,) *ut turbidis rebus erectior*, *temere magis*, *& nullo adhuc conſilio*, *ſigna parat*, *at*, *quod poſtea creditum eſt*, *inſidiis & ſimulatione*. Senſu profecto plano atque perſpicuo. Ita vero *plebem & omnem erectum ad res novas vulgum*, pariter dixit Seneca, Epiſt. CIV. quomodo & Juſtinus Lib. XI, 1. & alibi: *Alii quippe injuſta ſervitute oppreſſi*, *ad ſpem ſe libertatis erigebant*, item & Florus, Lib. III, cap. 10. de Vercingetorige: *ferocibus dictis ad jus priſtinum libertatis erexit*, apud quem & alibi hæc phraſis occurrit. Sed quid opus aliena exempla colligere, quum ipſe noſter Tacitus ſæpiſſime ita loquutus ſit? Ita II. Ann. 24. *Germanos ad ſpem belli*, *Cæſarem ad coërcendum*, *erexit*. Hiſtor. I, 4. *in ſpem erecti*. ibid. III, 59. *Erectus Samnis-æmulatione*, & Lib. V. c. 15. *ducem ad maturandum ſummæ rei diſcrimen erexit*. Omitto alia in hunc ſenſum plura, in Indice Taciti jam ſedulo notata. Unde nunc patebit, opinor, recte nos conjeciſſe, legendum eſſe hic, *erectior*, pro corrupto illo, *evectior*, aut *eventior*. Potuiſſemus enim alias non

minus

minus commode legere vel *arrectior*, vel *faventior*, niſi ſcilicet graviſſima illa Senecæ, Juſtini, Flori, inprimis autem ipſius noſtri Taciti, & aliorum hic ſtudio præteritorum auctoritas obſtitiſſet, quæ potius, ut dixi imperavit, ut *erectior*, legeremus.

Porro Lib. II. Hiſtoriar. Cap. 80. hæc ſcribit de Veſpaſiano, ad ſummum Imperatoris faſtigium præter ſpem atque opinionem, evecto: *Ut primum tantæ multitudinis offuſam oculis caliginem disjecit.* Ubi illud *multitudinis*, merito offendit Gronovium, avum, qui hinc legere malebat, *mutationis*, acute potius, quam vere. Ego contra vere potius, quam acute, legendum cenſeo; *tantæ altitudinis offuſam oculis caliginem disjecit*; tracta ſcilicet elegantiſſime metaphora ab affectu phyſico, ad moralem & politicum. Notum nimirum eſt, eorum oculis caliginem offundi propter vertiginem, qui in edito nimis loco, aut altiſſima turri, aut ſcala, conſtituti, in ſubjectas infra terras & urbes ſubito deſpiciunt, ita ut omnia, quæ vident in profundo, pro nebulis aut umbris volantibus habere plerumque ſoleant. Ita fere Livius, Lib. XLIV, cap. 6. ubi amœniſſima Theſſala Tempe deſcribit: *Rupes utrinque ita abſciſſæ ſunt, ut deſpici vix ſine vertigine quadam ſimul oculorum animique poſſit.* Seneca quoque Epiſt. LVII. eodem ſenſu: *Caligabit, ſi vaſtam altitudinem, in crepidine ejus conſtitutus, deſpexerit*; qui & alibi, Lib. nempe II. de Ira, cap. 2. dixit, *ſequitur vertigo prærupta cernentes.* Inprimis vero huc Theophraſtus,

ſtus, Libello de Vertigine, pag. 39. b. ἰλιγγιῶσι δὲ καὶ οἱ τὰ ὑψηλὰ καὶ τὰ μεγάλα, καὶ ἀπότομα ἀποβλέποντες, διὰ τὸ συμβαίνειν μακρὰν ἀποτεινομένην σείεσθαι καὶ κραδαίνεσθαι τὴν ὄψιν, ubi vide reliqua, locus enim longior eſt, quam ut huc totus tranſcribatur. Sed nolo plura Ariſtotelis, Plutarchi, Strabonis & aliorum, loca huc temere congerere: res quippe nota cuivis & quotidie obvia. Me vero forſan recte conjeciſſe & vere, ut dixi, in emendando hoc Taciti loco, clariſſime probat ſimillimus plane Livii locus, Lib. XXVI, cap. 45. de oppugnatione Carthaginis: *Quidam ſtantibus ſcalis, quum altitudo caliginem oculis offudiſſet, ad terram delati ſunt.* Quid ergo nunc clarius? quid ergo probabilius? ſcilicet eadem vides verba in Tacito æque, ac Livio, licet in illo ſenſus eorum ſit moralis & politicus, in hoc vero naturalis & opticus, ut ſupra jam a me fuit monitum. Sed taceamus jam de Tacito, donec de eo iterum nobis loquendi facta fuerit copia, quod proxime futurum ſperamus.

Caput XXIII.

Locus in Æliani Hiſtoriis Variis, περιμάχητος, *poſt varias multorum Eruditorum conjecturas, denuo tentatus & correctus.* χῆρος *&* ἄχωρος, *quid?*

Apud Claud. Ælianum, Lib. II. Var. Hiſt. Cap. 11. Socrates de iis magnis viris, qui

qui a triginta Tyrannis, ob potentiam, præſtantiam & opulentiam, trucidati fuerant, (quam rem præter infinitos alios, & Seneca tangit, de Tranquillitate animi, Cap. III. pag. 352.) eleganter & acute dixiſſe fertur, in Tragœdiis Monarchas ſolum & Imperatores, veluti Atreas, Thyeſtas, Agamemnonas & Ægisthos, ſimilesque primariæ dignitatis & fortunæ viros obtruncatos repræſentari; non vero mactatum porcum exhiberi; quod ſane mirum, immo fatuum prorſus atque ridiculum. Sed audiamus, ſi lubet, ipſa illa lepida atque acuta verba: Οὐδεὶς δὲ οὕτως ἐγένετο τολμηρὸς, οὐδὲ ἀναίσχυντος τραγῳδίας ποιητὴς, ὥστε εἰσαγαγεῖν εἰς δρᾶμα ἀποσφαττόμενον Χοῖρον: *Nullus vero poëta Tragicus tam audax & impudens fuit, ut porcum mactatum in ſcenam produceret.* Multi igitur præclari Viri huc certatim concurrerunt, ut immundum hunc & luto amicum porcum ex tam eleganti & ornato Æliani loco abigerent, & ad porculatores merito ablegarent. Iſ. ergo Caſaubonus legebat hic, ἀποσφαττόμενον χειρώνακτα, durius profecto, quam felicius; Sam. vero Petitus malebat ſcribere, ἀποσφαττόμενα χείρονα; æque dure & coacte: Tan. porro Fabro unice placebat emendare, ἀποσφαττόμενον Ἶρον, duriſſima paupertate & miſeria celeberrimum. Irum, unde Ἶρος ἄϊρος, eleganti luſu proverbiali dicitur, cujus bis meminit in ſuo Gloſſario Heſychius. Lucas denique Holſtenius ἀποσφαττόμενον χορὸν, emendabat, haud infeliciter, ut viſum quoque

Scheffero, & ipſi Perizonio. Joachimo tamen Kühnio nihil horum placebat; quin potius ſordidum illum porcum in ſua ſede & ulvoſa palude intactum eſſe relinquendum, moroſe nonnihil pronunciabat, ut ſolet ſæpius deplorata defendere. Sed locum tamen corruptum atque hinc ab hoc monſtroſo porco eſſe liberandum, extra omnem mihi controverſiam poſitum videtur. Quæ vero emendatio ex hactenus propoſitis potiſſimum ſit eligenda, mihi nondum plane liquet.

Licet enim Fabri & Holſtenii conjecturæ præ ceteris mihi perplaceant; nondum tamen ita comparatæ ſunt, ut ſcrupulum omnem tollant & aſſenſum liberum proliciant. Scribendum igitur mihi videbatur leviſſima ſane mutatione, ἀποσφαττόμενον χῆρον, h. e. ἐστερημένον, ἢ ἔρημον, ἢ χρείαν ἔχοντα τινός, nempe *orbum*, *deſertum*, *nudum*, *& rebus neceſſariis deſtitutum plane*, vere ſic exponente vocem hanc Heſychio. Vel & eadem facilitate & εὐστοχία legendum: ἀποσφαττόμενον ἄχωρον, hoc ſcilicet ſenſu; *Potentes nimirum, divites & opulentos terrarumque dominos mactatos & haud ſicca morte ſublatos in Tragœdiis ſolos ſiſti; nunquam vero pauperculum quendam, miſerum, egenum, extorrem, & lare focoque carentem trucidatum repræſentari.* Ἄχωρος enim, inquit Heſychius iterum, ἐν κατάρᾳ λέγεται, ὁ μήτε τάξιν βίου, μήτε κατάστασιν οἰκίας ἔχων. Ejusmodi vero ἄχωροι plerumque omnes erant philoſophi, unde bene de ſe infra Diogenes Cynicus, Lib. III. Var. Hiſt. cap. 29.

πλά-

πλάνης, ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος, πτωχὸς, δυσείμων, βίον ἔχων τὸν ἐφήμερον, errо, *domo & patria carens, pauper, male veſtitus, & in diem vix vivere valens*, verbo, ἄχωρος, quale & apud ipſum Diog. Laërt. Lib. VI. Segm. 38. ubi eadem pæne verba, item Plutarch. Athen. & Lucianum alioſque legitur. Contra ejusmodi ἀχώρους vero atque ἀναργύρους ac ἀνάγρους (ut ſic loquar,) philoſophos nihil tyranni machinari ſolent, quia nec ſua impotentia ipſis nocere, nec ſua egeſtate ipſos juvare aut locupletare valent; ideo intacti merito, contemti & neglecti ab ipſis manent, neque vita ipſorum ſtricto mucrone ante diem petitur; ſed fato potius ſuo naturali ſecure relinquitur. Hanc autem veram atque genuinam hujus loci eſſe ſententiam, nemo putem, dubitaverit, qui præſentis Capitis initium paullo attentius conſideraverit. Ceterum fuit etiam aliquando, quum legerem, ἀποσφαττόμενον πενιχρὸν, *mactatum pauperem*; ſenſu quidem eodem: ſed quia τὸ χῆρον aut ἄχωρον, melius longe atque accuratius reſpondet priſcis litterarum veſtigiis χοῖρον; hancce poſtremam conjecturam miſſam merito nunc facimus præ binis illis ſuperioribus modo laudatis. Nemo enim non videt, id quod fere ſumus perſuaſi, exactiſſimam eſſe convenientiam inter τὸ χῆρον & ἄχωρον, atque τὸ χοῖρον, quæ turpis ſcabies cultiſſimum hunc Æliani locum hactenus peſſime occupaverat. Ceterum hanc noſtram conjecturam egregie prorſus atque validiſſime confirmat

Dio

Dio Chryſoſtomus, Orat. XIII. pag. 224. his quidem verbis: οὐδὲ ὅτι πένης τίς ἐστιν, οὐδεὶς ἕνεκα τούτου τραγῳδίαν ἐδίδαξεν, τοὐναντίον γὰρ περὶ τοὺς Ἀτρέας, καὶ τοὺς Ἀγαμέμνονας, καὶ τοὺς οἰδίποδας, ἴδοι τις ἂν πάσας τὰς τραγῳδίας, ὅτι πλεῖστα ἐκέκτηντο χρήματα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, καὶ γῆς, καὶ βοσκημάτων. Vides ſane hic eundem, ac hoc loco, ſenſum, immo eadem pæne verba, niſi quod pro τῶ χῆρος, aut ἄχωρος, ſimplex πένης, ſit poſitum.

CAPUT XXIV.

Senecæ Philoſophi locus contra Lipſii, Rutgerſii atque Gronovii ſententiam, aliter emendatus. Publius Syrus, mimus jocularis.

SEnecæ in Conſolat. ad Marc. Cap. IX. hæc ſunt verba: *Egregium verſum, & dignum, qui non e Publio exiret:*

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Hoc vero, *qui non e Publio exiret*, ex Lipſii emendatione eſt, quam extra controverſiam veram & appoſitam cenſet Gronovius, avus, qui multa ad hunc locum hanc in rem annotavit, ut confirmaret magis atque ſtabiliret conjecturam Lipſianam. Sed jam Jan. Rutgerſius; V. C. Lib. VI. Var. Lect. Cap. 3. pag. 550. in eundem fere ſenſum legerat: *Egregium verſum & dignum audi! Qui non? Poplii Syri eſt.* Petrus vero Scriverius, eodem obſervante

vante & laudante, malebat, *qui non eſt ex oculiferiis.*

Sed non mirum, in tot conjecturarum divortia hic diſceſſiſſe Eruditos, ingens enim hoc loco Librorum Veterum diſſenſus, nam quidam eorum, obſervantibus Lipſio & Grutero, exhibent, *qui non e populo heri &*, rurſus alii, *qui non e populo erit &*, vel, *eritet*; unde ſecunda omnino fortuna & plaudente Apolline, excogitata videtur Emendatio illa Lipſio-Gronoviana ſuperius jam laudata: *dignum, qui non e Publio exiret*; illud enim *audi*, ſeu *audivi*, ceu temere adjectum, damnant Jureti & Gruteri membranæ. Mihi tamen haud joculariter legendum hic videtur: *dignum, qui non e joculari* vel *joculario exiret*, hoc eſt, verſum nimis ſerium, gravem atque hinc multo digniorem, quam ut e vili ſcurræ & mimi ore prodiret. Ita fere Valerius Max. de acuto aliquo dicto Piſiſtrati Athenienſium Tyranni, Lib. V. Cap. 1. Extern. 2. *Minime digna vox, cui adjiciatur, eam ex Tyranni ore manaſſe.* Publium enim Syrum, ut revertar, unde paulliſper digreſſus fueram, cujus hic eſt verſus haud publici ſaporis, ejusmodi hominem jocularem ſive mimum fuiſſe, ecquis quæſo eſt, qui neſciat?

Ipſe noſter Seneca, Lib. de Tranquillitate Animi, Cap. XI. de eodem clariſſime: *Publius, quoties mimicas ineptias & verba ad ſummam caveam ſpectantia reliquit*, ubi ſimul eundem hunc mimi jocularis verſum minus jocularem laudat, adde Senecæ Rhetoris Controverſ.

verſ. 18. pag. 251. Quis igitur nunc dubitet amplius, hominem ad mimicas ineptias & ſcurriles facetias (ut cum Tacito loquar) frequentius delapſum, jure vocari poſſe *joculatem* ſive *jocularium*? inprimis quum illud adhuc accedat, frequentem eſſe in antiquis Libris, inter *populum* & *joculum*, lapſum: Sic in ſomnio Scipionis Ciceroniano, pro verbis: *Homines enim populariter annum Solis reditu metiuntur*, quidam Codices legunt, *jlocaliter*, quod & amplexus eſt; etſi perperam, Hadr. Turnebus Lib. VII. Adverſ. Cap. 11. pag. 219. qua de re vid. nos ad ipſum illud Scipionis ſomnium. Licet ergo Cl. Gronovius in hunc Senecæ locum ita ſcripſerit: *Ocioſas duco omnes conjecturas, in quibus aut* populo, *manet, aut neſcio quid aliud inde conficitur:* Ideo tamen non plane deſperamus nos, quin aliqui ſint futuri Lectores minus faſtidioſi, qui riſum jocumque non faciant conjecturam noſtram ſupra propoſitam, qua legendum nobis viſum: *Egregium verſum, & dignum, qui non e joculari exiret,* quo modo Noſter alibi, de Conſtantia Sapient. XII. *a ſervulo joculare convicium*, dixit, & *jocularibus dictis*, Lactantius, Lib. II. Inſtit. cap. 4. *& in opere non joculari*, idem, Lib. III, cap. 14. Quid enim quæſo facilius, quam e corruptis vocibus, *e populo heri*, exſculpere *e joculari*? non invita ſane Minerva, nec reluctantibus multum litterarum ductibus, ut quivis videt. Non enim hic moramur Celeberrimum cetera Bentlejum, aſſerentem, τὸ *joculare* de rebus potius dici ſolere, quam de per-

perſonis. Nihil namque certi hic definiendum, quin potius utrumque forſan in uſu eſſe, ſapienter contra monet Cel. Burmannus in Novo Comment. ad Phædr. Libr. IV. Fab. I. pag. 165. Sed hoc joculare forte Tibi videtur, & ſane bene; dum nihil habemus majus, calamo ludimus.

CAPUT XXV.

Hippocrates decem & octo Locis emendatus & illuſtratus, Heſychius ſemel iterumque obiter emendatus & explicatus.

ANimus quidem primum fuerat, Medicorum principem, Hippocratem noſtrum, intactum plane atque intentatum in his Obſervationum Libris, præterire, eumque nonniſi data occaſione, veluti in tranſitu, paſſim emendare. Inprimis quum Specimina noſtra Hippocratica antehac in vulgus edita, affatim teſtarentur, quid in Hippocrate illuſtrando & emaculando, poſſemus, aut non poſſemus, cui quippe arduo labori meliorem vitæ noſtræ partem hactenus impendimus.

Permoverunt autem nos poſtea imperioſæ Amicorum preces, ut animum priorem mutantes, Hippocraticis Emendationibus integrum hoc Caput deſtinaremus. Sed quid plura juvat præter neceſſitatem, præfari? Fiat ergo jam ſine longa ambage, ſecunda quidem fortuna, dicendorum primordium.

Lib. de Vet. Medicin. §. XXXII. Edit. Linden. de acribus & mordacibus oculorum fluxionibus, hæc leguntur: Κατιδεῖν δὲ ἐνίων γνά-

γνάθυς τὲ καὶ τὰ ὑπὸ τοῖσιν ὀφθαλμοῖς, h. e. *erodunt autem aliquorum maxillas*, ſive *genas*, & *ſub oculis partes*. Hic vero τὸ γνάθυς, mihi nonnihil ſuſpectum eſt, adeo, ut hinc legere malim, ἐνίων Κανθὺς, *quorundum angulos & orbes oculorum.* Ita enim Heſychius: Κανθὸς, ὁ τῦ ὀφθαλμῦ κύκλος, quod male mutabat Fungerus in κλίτος, quod vulgo angulum ſignificat. Res enim de Oculorum Canthis notiſſima, vid. Henr. Stephani Dictionarium Med. Gorræum, Caſtellum, & alios, ut Anatomicorum Libros jam prætercam, neque enim Medicinæ Tironibus hæc ignota eſſe arbitror; quare verbum amplius non addo.

Lib. de Decenti Ornatu, §. VIII. pag. 57. Hæc ſaluberrima præcepta traduntur: Ἔςω δὲ σοι ἐυμνημόνευτα φάρμακά τε καὶ δυνάμιες ἁπλαῖ, καὶ ἀναγεγραμμέναι, h. e. *Firma item memoria teneto medicamenta*, & *ſimplices facultates*, & *deſcriptæ*. Verum quæro hic ego, quid ſint *facultates deſcriptæ*, & quamnam relationem aut antitheſin habeant ad *facultates ſimplices?* ſupra quidem Lib. de Medico, §. XI. pag. 51. ſequentia occurrunt: Τὰς δυνάμιας ὡς χρὴ τῶν γεγραμμένων καταμανθάνειν. Sed hæc ipſa ad hunc noſtrum locum parum, aut nihil potius, facere videntur, ut attento Lectori facile, ſpero, conſtabit. Ne igitur diutius morer Legentium deſideria, paucis moneo, legendum omnino mihi videri, leviſſima quidem mutatione: καὶ δυνάμιες ἁπλαῖ, καὶ ἀνακεκραμμέναι, h. e. *facultates medicamentorum ſimplices* & *compoſitæ*, ſenſu, ſi quid videam, com-

commodiſſimo & elegantiſſimo. Sed hunc locum intactum plane prætermiſerunt clariſſimi nuperi hujus Libelli Hippocratici Editores, ſicuti & plura alia, ſuo tempore & loco a nobis indicanda & uberius demonſtranda, ſi Deus vitam conceſſerit.

Sect. II. Aph. 17. p.73. Ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, νοῦσον ποιέει, τοῦτο δὲ δηλοῖ ἡ ἴησις, *ubi cibus præter Naturam, Copioſior ingreſſus fuerit, morbum facit; oſtendit autem ſanatio.* Hic vox poſtrema ἴησις, ipſa ἰήσου, ſive ſanatione opus habet, quia ſenſum non niſi obſcurum & ambiguum infert, quod mirum, non vidiſſe tot tantosque Commentatores, qui in hos Aphoriſmorum Libros, catervatim quaſi, ſcripſerunt. Nempe legendum potius mihi videtur, δηλοῖ ἡ ἴνησις, *oſtendit evacuatio*, qua nempe contrario modo curantur ipſi illi morbi a nimia repletione & ingluvie oborti. Et hoc ipſum eſt, quod mox Aph. XXII. his verbis repetitum legitur, Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νουσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται, eodem nimirum ſenſu, ſed alia tantum voce, ἴνησις enim idem ac κένωσις, ut multis oſtendit in Oeconomia Fœſius, ut alios plures taceam. Huc & Heſychius, ἰνηθεῖσα, καθαρθεῖσα, κενωθεῖσα. *Medicus abſtinentia corpus exonerat*, ſimili ſenſu dixit Seneca, Lib. I. de Ira, cap. 5. ut alia in hunc modum plura prætereʼam.

Sect. IV. Aphoriſ. 54. Ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ, βραχέα ἐρεθίζουσαι, h. e. ut vulgo redditur: *Quibus plerumque tuſſes ſiccæ parum*

 irri-

irritantes. Hic vero parum omnino liquet, me quidem judice, quid hoc loco ſint βῆχες βραχέα ἐρεθίζουσαι, nec Commentatores, quos equidem vidi, omnes ſatis ſcite ſatisque perſpicue id explicare valuerunt. Mendum ergo ſubeſſe hic jure ſuſpicor, inprimis quum graviſſima perquam vetuſti Codicis MSti Aphoriſmorum Hipp. cum Commentario Galeni, in Bibliotheca vere Regia Pariſienſi, auctoritas adhuc accedat, qui pro vulgatis, βραχέα ἐρεθίζουσαι, diſerte & diſtincte exhibet, τραχεῖαι ἐρεθίζουσι, ſatis quidem concinne & eleganter; unde mendi ſuſpicio validius adhuc confirmatur: Sed & quam plurimis Locis aliis, ut id obiter hic moneam, Aphoriſmos Hippocratis meliores & emendatiores reddi poſſe laudati Codicis præſtantiſſimi ope, quem ante aliquot annos haud indiligenter ipſi verſavimus, proxime cum Deo luculentius demonſtrabimus. Ut igitur ad præſentem noſtrum Hippocratis locum revertar, pro hactenus vulgatis, βῆχες βραχέα ἐρεθίζουσαι, legendum mihi potius videtur, βῆχες βράγχια ἐρεθίζουσαι, *tuſſes fauces* ſive *guttura exaſperantes.* Facillimum autem eſſe lapſum inter βραχέα, & βράγχια, patet inter alia, ex Heſychio, ubi ſcriptum vulgo legitur, βραχεῖα, ἡ περιτράχηλος ἀλγηδών, quo tamen loco legendum omnino eſſe, βραγχεῖα, nempe ἀπὸ τῶν βραγχίων, recte obſervarunt acutiſſimi Critici, Salmaſius atque Palmerius. Quare putem, hanc noſtram conjecturam ſatis fore probabilem, niſi nobis, quod abſit, nimium blandiamur.

Sect.

Sect. VIII. Aphoriſm. 18. ſeu ultimo, de cauſſis generationis mortis in moribundis hæc, inter alia, referuntur: ἐπειδὰν ὁ πλεύμων καὶ ἡ καρδία τὴν ἰκμάδα ἀποβάλλωσι, τοῦ θερμοῦ ἀθροῦντος ἐν τοῖσι θανατώδεσι τόποις, h. e. *Cum autem pulmo & cor, calore in mortiferis locis coacervato, humorem amiſerint.* Verum hic jure aliquis quærat, qui tandem ſint illi θανατώδεις τόποι, ſive *loci letiferi*, in quibus, abſumto penitus humore naturali, calor præternaturalis exæſtuans coacervetur? quum illud aut inepta, aut ambigua certe atque obſcura, ſententia, dictum ſit. Quamobrem legendum hic mihi utique videtur, ἐν τοῖσι ἀνωτάτοισι τόποις, *in locis ſuperioribus*, nempe thoracis, in quibus viſcera principalia & vitalia, cor atque pulmones, ut notum, ſita ſunt. Præceſſit enim modo, τὸ τῆς ψυχῆς θερμὸν ἐπανέλθῃ ὑπὲρ τοῦ ὀμφαλοῦ εἰς τὸν ἄνω τῶν φρενῶν τόπον, καὶ συγκαυθῇ τὸ ὑγρὸν ἅπαν, unde conjectura noſtra egregie prorſus atque validiſſime confirmatur: Nam ὁ ἄνω τῶν φρενῶν τόπος, illi ſunt ἀνώτατοι τόποι, ut nos quidem emendandum, vere forſan, cenſemus. Ceterum vocem ἀνώτατον, bene eſſe græcam, probarunt jam ſatis viri magni, Perizonius atque Kühnius, ad Æliani Var. Hiſt. Lib. II, cap. 42. pag. 182. quibus adde ipſum noſtrum Hippocratem, Lib. de Capitis Vulneribus, haud longe ab initio, ubi occurrit τὸ ἀνώτατον τοῦ ὀστέου, & mox, ἀπὸ τοῦ ἀνωτάτου ὀστέου καὶ τοῦ κατωτάτου, & ſic & aliquoties in ſequentibus. Ita ἓν αἴτιον ἀνώ-

ταΤον, dixit quoque Philo Judæus, Lib. de Mundo, pag. 889. & pag. 890. meminit χωρίϰ ἀνωΤάτϰ, ut alia plura prætercam. Sic τὰ ἀνώταΤα Αἰγύπτϰ, legitur Tob. VIII, 3. ex LXX. virorum verſione, Heſychius denique in Ἀνωκισμένῳ, ἐν τοῖς ἀνωτάτοις ναίεσθαι, (ita enim legendum, non γένεσθαι, ut vulgo circumfertur,) ἄνω οἰκῶν, porro voce Νῶτα, τὰ ἀνώταΤα, item in Κύμβαχ☉, τὸ ἀνώταΤον μέρος τῆς περικεφαλαίας. Verum de his jam ſatis, quæ ſpatio conſulturi, libentiſſime hic omiſiſſemus, niſi de vocis hujus auctoritate quosdam eruditos Lexicographos præter neceſſitatem, dubitaſſe, alicubi animadvertiſſemus, unde & nimis confidenter ſcripſit ampliſſ. Cuperus, Lib. III. Obſervat. cap. 11. pag. 304. *Nuſquam legitur ἀνώταΤ☉.* Quare huic noſtræ digreſſioni invitis nobis extortæ, veniam daturos ſperamus æquos Lectores & candidos harum rerum arbitros. Jam revertamur, hem tempus eſt, ad noſtrum Aphoriſmum. Illius, immo ipſius hominis potius, finis, his narratur: Καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ τὸ θνηΤὸν εἴδωλον, ἅμα καὶ χολῇ καὶ αἵμαΤι, καὶ φλέγμαΤι, καὶ σαρκὶ παρέδωκεν, *Frigidum & mortale ſimulacrum, una cum bile, & ſanguine, pituita, & carne reddidit.* Nimirum ex his partibus hic commemoratis, conſtare homines, veterum philoſophorum, & præſertim Ariſtotelis, fuit ſententia, ut apud Diogenem Laërt. Plutarchum, & alios legitur, ut notum. Verum ad ipſos quoque Judæos hoc dogma tranſiiſſe conſtat e Libro עץ החיים h. e.

h. e. *Arbor Vitæ*, ubi hominis eſſentia eſſe potiſſimum traditur, אדם עפר מרה בשר h.e. *Sanguis*, *Pulvis*, *Bilis & Caro*, ſed de his alibi forſan plenius & accuratius; ſunt enim proprie alterius loci. Interim quia nonnihil facere videbantur ad Hippocratici noſtri Loci illuſtrationem, ideo obiter adjicienda hic, Lectorum pace, merito cenſui.

Lib. de Venis, §. XX. pag. 306. de tabidis atque empyicis hæc monentur: ἢν δὲ ἐν αὐτοῖσιν ξυνιςάμενον πλέον τὸ ὑγρὸν κρατήσῃ, ὥς τε μὴ δύναθαι παχυνθὲν παγῆναι, quæ ita vulgo vertuntur: *Si vero humor amplior in ipſis conſiſtens prævaluerit, ut craſſefactus ſpiſſari non poſſit.* Sed craſſus huc profecto irrepſit error: quæ enim obſecro, in his ſana eſt ſententia, παχυνθὲν παγῆναι? Quare vix dubito, quin leviſſima quidem mutatione, legendum potius ſit, ὥς τε μὴ δύναθαι παχυνθὲν ῥαγῆναι, *adeo, ut craſſatus nimium humor foras prorumpere aut reſolvi haud poſſit*, ſenſu ſane convenientiſſimo & huic loco unice neceſſario, ſequitur enim mox, σαπρὸν τὸν πλεύμονα ποιέει καὶ τὰ πλησιάζοντα, *pulmonem putrida tabe inficit cum adjacentibus ipſi partibus*, nempe hic eſt funeſtus effectus τοῦ ὑγροῦ παχυνθέντος μὴ δυναμένου ῥαγῆναι, ut nobis quidem probabiliter ſatis emendandum hic videtur.

Libro de Locis in Homine, §. XLV. pag. 390. de potoribus vini vomentibus hæc leguntur: Ἐπὴν παραλάβῃς οἰνώμενον τε καὶ ἐμεῦντα,

μὴ παύειν τὸν ἔμετον, ὁ γὰρ ἔμετος τὸν ἰυγμὸν παύει, h. e. ex vulgari quidem verſione: *Quum ſuſceperis vinoſum & vomentem, vomitum ne ſedato, Vomitus enim evacuationem ſedat.* Sed quæ hæc quæſo, nova & inaudita eſt cura, evacuationem per evacuationem tollere, & morbum & medelam ridicule confundere? Verbo, magnus hic eſt ſani ſenſus ἰυγμὸς, ut ſic loquar, & locus turpi menda ebrius eſt, quod & recte viderunt Calvus & Mercurialis, quorum ille pro ἰυγμὸν, legere malebat λυγμὸν, *ſingultum*, hic autem, μέθην, quia nempe præceſſit, οἰνώμενον, neuter male quidem de ſenſu loci meritus, ſed uterque pejus omnino de priſcis litterarum ductibus, ut manifeſto patet. Quare his merito rejectis, legendum potius arbitramur: ὁ γὰρ ἔμετος τὸν οἴνου θυμὸν παύει, *vomitus enim vini fervorem, vehementiam & vapores æſtuantes ſedat*, ſenſu ſane liquidiſſimo & commodiſſimo. Οἴνου nempe θυμὸς, hæc omnia, ut dixi, ſignificat. Egregie huc Heſychius, Μέθη, κραιπάλη, σκότωσις οἴνου ἢ θυμὸς, ubi forte legendum, σκότωσις, οἴνου θυμὸς, nihil tamen hic temere definio, nam & alterum vulgatum ſenſum ſatis commodum habet. Sic & οἴνου θυμοῦ, mentio fit in Apocalypſi Joannea, cap. XIV, 8. & c. XVIII, 3. quod appoſite reſpondere Hebræorum חמה, quod generatim omnem potionem inebriantem & calefacientem ſignificat, ſcite obſervarunt viri magni, Campeg. Vitringa, in Commentario ad dictum Apocal. Cap. XIV, pag. 657. B. Wolfius, in Curis philologicis, ad eundem locum, p. 557. Anton.

Anton. Blackwall, in Auctoribus ſacris claſſicis, Tom. II. Part. II, cap. 3. pag. 537. & Steph. le Moyne, in Obſervat. ad Varia ſacra, pag. 293. qui præſtantiſſimi Auctores omnes hanc vocem *θυμὸν*, laudatis modo locis, perquam docte, eleganter & copioſe illuſtrarunt. Sed de his hactenus. Poſſet tamen non minore quoque concinnitate & veriſimilitudine, in noſtro Hippocratis loco legi, *οἴνου ἀτμὸν*, *vini vaporem*, *vini exhalationem* cerebrum petentem, ſicut Alexander Trallianus, Lib. I. pag. 26. & in ſeqq. ſæpius dixit, *οἴνου ἀτμοὺς*, item Theophraſtus, Athenæus, Dioſcorides, Galenus & alii plures, pro quo eodem ſenſu *οἴνου ἀναθυμίασιν*, ſcripſit ſæpius Hippocrates noſter, & Clemens Alexandrin. Lib. II. Pædagog. cap. 2. pag. 156. *ψυχὴ κάθυγρος ταῖς ἐκ τοῦ οἴνου ἀναθυμιάσεσι*; item Athenæus, Lib. II, cap. 7. pag. 46. *μὴ βλάπτεσθαι ἀπὸ τῆς τοῦ οἴνου ἀναθυμιάσεως*. Sic & pari lepore, *vini auram*, dixit in Apologia Apulejus, & *vini fumum*, Macrobius, Lib. VII, Saturn. cap. 7. & alibi. Sed eligat nunc ex his eruditus Lector, quodcunque magis ipſi probabile fuerit viſum: nos alterutrum certe veritati conſentaneum eſſe, fere perſuaſi ſumus.

Lib. I. Prædict. §. XXI. pag. 485. *τὰ πρὸς αὐγὰς ὀχλέοντα, αἱμοῤῥαγικὰ*, *quæ ad hæc conſequenter divexant, ſanguinis eruptionem indicant.* Ita vulgo hæc vertuntur, infeliciſſime profecto & inconvenientiſſime. Vertenda enim potius erant hæc ipſa, *quæ viſum aut lucis uſum*

turbant & caliginem inducunt, ſanguinis eruptionem inſtare ſignificant, ut nempe ex Pathologicis & Semioticis notiſſimum. Mallem tamen hic legere, πρὸς αὐγὰς ἀχλύοντα, h. e. *ad lucem caligantia*, *tenebricoſa*, *obſcurata*; ſenſu quidem eodem; concinniore autem lectione. Quemadmodum vero vox ἀχλύοντα, hic ſcribenda videtur, pro vulgato ὀχλέοντα: ita e contrario vocem ὄχλος, reddendam eſſe crediderim Noſtro infra Lib. II. de Morbis Mul. §. LVII. pag. 588. ubi vulgo ſcriptum offendimus: ἀχλὺς ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἔνι, *caligo in uteris ineſt*; quod ſine omni ſenſu commodo dictum. Caligo enim talis nulla eſt in locis muliebribus; ſed in hoc ipſo Hippocratis potius loco: Hinc ὄχλος, hic legendum, mihi perquam probabile ſit, ut modo dixi, ita enim paullo ſuperius, §. XVII. pag. 546. diſerte ſcriptum legitur, ἢν ἀθρόως ἱςῶνται αἱ ὑςέρα, ἐς τὰ κάτω, καὶ ὄχλος γίνεται, ut alia plura loca in his de Morbis Mul. Libris paſſim obvia, jam ſtudio taceam. Poſſet quidem loco τῦ ἀχλὺς, etiam ſatis concinne legi, ἄχθος, quod idem ſenſu valet, ac ὄχλος, ut notum: placet tamen magis illud ὄχλος, utpote proxime accedens ad priſcæ ſcripturæ veſtigia ἀχλὺς, ut quivis, vel me non monente, ſtatim animadvertit, & ratum forſan habet.

Lib. Coac. Prænot. pag. 583. ubi de ſignis vromanticis ex inſtituto tractatur, hæc traduntur: Τρομώδεα πρεσβυτέροισιν ἐν πυρετῷ, καὶ ὕτως ἐπιφαινόμενα, λιθίδιά τυ δικρέει, hoc

hoc eſt, ut vulgo vertuntur, *Tremores ſenioribus in febre fiunt, atque ſic comparentes fortaſſis calculos per urinam ægris ejiciunt.* In quibus nullus ſane ſenſus, quin potius multa offenſionis λιθίδια, ut ſic loquar. Τρομώδεα enim ſpectat proprie ad τὰ οὖρα, quod præceſſit. Quæ vero ſint οὖρα τρομώδεα, *urinæ tremulæ* aut *tremores inducentes*, ne ſagaciſſimus quidem Uroſcopus facile divinaverit. Verbo dicam, legendum hic omnino eſſe θρομβώδεα, *urinæ grumoſæ*, quod ſequentia λιθίδια, clare oſtendunt; ita mox pag. 584. apud Noſtrum legitur: Οἷσιν οὖρα ὀλίγα, θρομβώδεα, & alibi in hoc Libro Prognoſtico ſæpius. Occurrunt quoque οὖρα θρομβώδεα apud Theophilum, Lib. de Urinis, Cap. VIII. & alibi in hoc Libro frequentiſſime, ut Galenum Aëtium, Æginetam, Alexandr. Trallianum aliosque taceam, adeo ut nunc de hac noſtra conjectura dubitare forſan vix liceat.

Lib. de Humidorum uſu, §. VI. pag. 603. Μετὰ τὸ θερμὸν ψύχεται τὸ σῶμα διαψυχθὲν μᾶλλον, μετὰ δὲ τὸ ψυχρὸν ἀναθερμαίνεται μᾶλλον συςαλέν, hoc eſt ex vulgari quidem verſione: *Poſt calidum frigeſcit corpus magis perfrigeratum, poſt frigidum vero recaleſcit magis contractum.* Sed frigida in his, immo nulla prorſus, me judice, ſententia. Quid enim quæſo illud ψύχεται διαψυχθὲν, *frigeſcit perfrigeratum?* Quare legendum potius mihi videtur, ψύχεται διαχυθὲν μᾶλλον, *frigeſcit magis expanſum, explicatum & relaxatum,*

tum, ſequitur enim mox contrarium συςαλὲν, *contractum.* Calore enim corpora diffundi & relaxari, frigore contra contrahi & conſtringi, res eſt omnibus notiſſima, quæ nulla probatione eget.

Lib. de inſomniis, §. XIII. pag. 641. Κρῆναι δὲ καὶ φρέατα θεώμενα, πνέυματα περὶ τὴν κύςιν σημαίνει, h. e. *Fontes & putei per quietem conſpecti, flatus circa veſicam ſignificant.* Verum hic valde obſcurum & ambiguum eſt, quid ſit πνεύματα περὶ τὴν κύςιν, nullum enim reſpectum plane habere videntur ad τὰ κρῆναι καὶ φρέατα. Hinc legendum mihi potius videtur, ῥεύματα περὶ τὴν κύςιν, *fluxiones circa veſicam*, ſenſu accommodatiſſimo, ſequitur enim mox medela; ἀλλὰ χρὴ τοῖσιν ἐρητικοῖσιν ἐκκαθαίρειν, *ſed oportet illas fluxiones remediis urinam cientibus expurgare*, quod ſane de flatibus commode dici nequit, quippe qui non expurgantur diureticis, ut vulgo notum. Unde nunc patere liquido arbitror, non improbabilem hanc noſtram eſſe conjecturam, quam proinde vehementer miror non veniſſe in mentem Viro maximo & pæne divino, Jul. Cæſari Scaligero, quum in hunc de Inſomniis Libellum Commentarium haud ſomnolentum conſcriberet; offenſum tamen eundem nonnihil fuiſſe inſolita & incongrua hic voce πνεύματα, patet haud obſcure ex adjectis ipſius verbis, pag. 131. *Quam ob cauſam flatum potius, quam humorem, adſcripſerit, mihi nondum conſtat.* Verum, quod pace tanti herois manium, hic

hic dictum ſit, plura alia in iſto Libello illuſtrando inemendata reliquit, ſuo tempore decenti cum modeſtia, a nobis indicanda & in uſus publicos expromenda.

Lib. II. Epidem. Sect. I. pag. 687. Θεωρεῖν δὲ ὕτω δεῖ, βρωμάτων, ξυμπεπτωκυιῶν φλεβῶν, ὄγκων ὑποχονδρίων, κ. λ. Hic neſcio ſane, quid faciant τὰ βρώματα, hoc eſt, *cibi*, inter ſigna diagnoſtica. Quare ſcribendum potius reor, τρωμάτων, *vulnerum*, ſenſu ſatis appoſito, ita mox in antecedentibus, pag. 686. καὶ τρωμάτων, καὶ τύλων ὀδυνωδέων, quomodo ibi ſcribendum cenſemus loco vulgati πτυέλων ὀδυνωδέων, quum ignotum plane ſit, quid ſint πτύελα ὀδυνώδεα, *ſputa dolores inducentia*; ut quivis ſtatim animadvertit.

Lib. Epidem. III. Sect. II. Ægrot. X. pag. 719. Γυναῖκα, ἐξ ἀποφθορῆς νηπίυ τῶν περὶ Παντιμίδην, τῇ πρώτῃ πῦρ ἔλαβεν. Hoc eſt, ex vulgata quidem verſione: *Mulierem ex his, quæ apud Pantimedem degebant, ex abortu infantis, prima die, febris corripuit.* Verum hic neminem credo futurum, qui facile explicuerit, quid ſibi velint illa, τῶν περὶ Παντιμίδην, *quæ apud Pantimedem degebant.* Quare non mirum, nec Fœſium, nec Valleſium, nec noviſſime Freindum, immo ne Galenum quidem ipſum, hoc fœdum ulcus attrectaſſe, ſed potius intactum plane præteriiſſe, neq quidquam in obſcuriſſima hac verba fuiſſe commentatos. Ut igitur & ſpatio, & Lectorum

rum faſtidio eo citius meliusque conſulam, verbo dicam ſimplici, mihi hic legendum omnino videri, νηπίυ τῶν, (vel τȣ) περὶ πεντάμηνον, h. e. *fœtus quinquemeſtris*, ſenſu liquidiſſimo & elegantiſſimo. Tumque vertendus utique totus ille locus in hunc modum: *Feminam ex abortu infantis quinquemeſtris, primo mox die, febris ardens corripuit.* Hanc vero noſtram conjecturam egregie prorſus & validiſſime confirmat mox ſequens Ægrotus XI. ubi paria ſimilis puerperæ fata acerba enarrantur, his quidem, immo iisdem potius verbis: Ἑτέρην ἐξ ἀποφθορῆς περὶ πεντάμηνον πῦρ ἔλαβεν, *Aliam feminam ex abortu circa quintum menſem febris ardens corripuit.* Ex quibus ſatis perſpicue, putem, liquet, bina hæc loca unum eundemque ſenſum habere, ſeſeque invicem ſcite explicare, adeo ut illud ἑτέρην γυναῖκα, manifeſto reſpiciat ad præcedens, γυναῖκα ἐξ ἀποφθορῆς, κ. λ. Sed nolo hic Lectorum eruditorum ingenio & ſagacitati diffidere, quare verbum amplius non addo.

Lib. VI. Epidem. Sect. IV. pag. 809. Sequens obſcuriſſimus locus occurrit, ut generatim larga oppido eſt ſeges depravatiſſimorum, & caliginoſorum locorum in toto iſto Libro, de quo alias pluribus ex inſtituto. Sed en ipſa nunc verba; αὐχμȣ ἐπὶ γῆς, οἰωνῶν γένος εὐθηνεῖ, en & verſionem vulgarem; *Terra ſiccitatibus ſqualida, volucrium genus abundat.* Nempe nunc intelligis plane, quid ſibi iſta velint, nimirum nihil; vitia enim hic potius

tius abundant, quam volucrum genera. Quare ut ſanus & luculentus ſenſus ex his ſpiſſis tenebris emergat, legendum potius arbitror: *οἰωνῶν μένος*, vel *μῆνις εὐθηνεῖ*, tumque vertendus locus integer: *Terra ſiccitate & nimio æſtu ſqualida, volucrum* (carnivorarum inprimis,) *ardor & impetus & bilis ac ira præſertim, abundat & adaugeſcit.* Nempe ratione & experientia affatim conſtat, ferventiore æſtate, feras & volucres iracundiores eſſe, & morſu magis ſævire, unde in ſitientis Libyæ ſqualidis arenis beſtias ferociores eſſe & morſu magis nocere, ac in arctois & gelidis mundi plagis, notiſſimum eſt, aucto enim externo aëris ambientis æſtu, & ſicco terræ arentis ſqualore, ipſe internus animalium ſanguinis calor adaugetur, bilisque acrimonia ſimul intenditur atque exacerbatur, conf. quæ notat huc egregie Fœſius, pag. 1192. vid. Ælian. de Nat. Animal. Ariſtot. in Hiſt. Animal. & inprimis Lucan. Lib. IX. ut alios innumeros fere jam taceam. Me vero recte conjeciſſe, legendum hic eſſe *οἰωνῶν μένος*, ſive potius *μῆνις*, ipſe noſter Hippocrates manifeſtiſſime & validiſſime confirmat infra, Sect. VI. pag. 812. his quidem verbis: Ἡ *χολὴ, οἷον εἶπον περὶ τῶν ὀρνίθων, ὅτι χολώδεες*, *Bilis fit, velut de volucribus dixi, quod ſint bilioſæ*, quibus ad hunc ipſum noſtrum locum a nobis emendatum, reſpexiſſe, nullum prorſus relinquitur dubium, dixit enim *οἷον εἶπον*, nempe in ſuperioribus, *οἰωνῶν* ergo *μῆνις*, maxima probabilitate hic legendum eſſe liquido apparet. *Μῆνιν* autem

ac

ac χολὴν, unum ſæpius idemque eſſe, notiſſimum eſſe arbitror vel ex ipſa Homeri Iliade & aliunde: Heſychius quoque manifeſto inſuper his confirmat: Μῆνις, ὀργὴ, χολὴ, κότ☉ ἐπίμον☉: Vid. & eundem in Μένος. Verum de his jam hactenus: tranſeamus ad alia.

Libro eodem *Epidem. VI. Sect. VIII.* pag. 821. Hæc leguntur: Καὶ εἰ φλύκταιναι, κακά, καὶ οἷσι ταρακτικά, id eſt, ut vulgo quidem latine redditur: *Et ſi puſtulæ eſſent, malæ erant; & quibus alvus turbata eſſet.* Sed hic aliud plane eſt in verſione, ac in ipſo quidem contextu. Locus ergo, mea quidem opinione, & paullo aliter legendus, & aliter quoque vertendus videtur. Scribendum nempe crediderim, καὶ οἷσι φλύκταιναι κακὰ, καὶ οἷσι περιεκτικά, h. e. *& quibus puſtulæ mala eſſent indicia, & quibus contra ſalutaria:* Senſu ſane commodiſſimo & huic loco convenientiſſimo. Nempe effloreſcentes in cutis ſuperficie puſtulæ morbum nunc augent, nunc minuunt, pro diverſitate ſcilicet ipſius morbi, naturæ, temperamenti, ætatis, ſexus, temporis anni, regionis, aliarumque circumſtantiarum, ut philiatris notiſſimum. De voce autem περιεκτικά, ſatis jam dudum diximus in Epiſtola noſtra Medico-Critica, pag. 36. quæ hic repetere nec vacat, nec lubet.

Lib. VII. Epidem. §. IX. pag. 833. Ex ſemioticis hæc inter alia, referuntur: καὶ θρασύτερον καὶ φιλοφρονώτερον τῦ καιρῦ προσηγόρευε

γόρευε καὶ ἐδεξιοῦτο, hoc eſt ex vulgari interpretatione, & *confidentius ac benignius, quam pro tempore, homines compellabat, ac excipiebat.* Verum hic τὸ θρασύτερον καὶ φιλοφρονέστερον, ægre pro ſynonymis haberi poſſunt, quia alias ſibi invicem recte opponuntur. Quare vel πραότερον aut πραΰτερον, legendum, vel, ſi retinere quidem velis τὸ θρασύτερον, pro φιλοφρονώτερον, leviſſima potius mutatione ſcribendum, φιλοσωφρονώτερον. Deinde phraſis τοῦ καιροῦ, perperam redditur, *quam pro tempore*, quum potius vertenda eſſet, *quam par erat*, *quam conſuetudo & ſolitus mos ferret*, de quo elegantiſſimo loquendi modo vid. omnino Celeb. Lamb. Bos, in Animadverſ. Græc. Cap. XVI. pag. 70. quod mirum profecto, neſciiſſe virum alias ἑλληνικώτατον, Stephan. Berglerum, veluti candide faſſus eſt ad Alciphronis Epiſt. 24. Lib. I. pag. 99. quum tamen notum ſatis eſſet ex Xenophonte, Platone, Ariſtide & noſtro inprimis Hippocrate ipſo, qui, ut plura alia loca taceam, rurſus dixit, ἔςι δ' ὅτε καταχορεςέρων μᾶλλον τοῦ καιροῦ, Lib. de Vict. Acut. pag. 290. Sed plura de hac Attica elegantia nos ſuo loco & tempore.

Ibidem, §. XXIX. pag. 854. Τῆς Πλατείης τελευτησάντι δὴ ῥαφὴ τῆς κεφαλῆς σφόδρα ἐκοιλάνθη. *Plateæ filio, ubi mortuus eſſet, ſutura capitis valde cavata eſt.* Hic jure mihi ſuſpectum eſt illud ἐκοιλάνθη, quia vix commodum ſenſum infert. Unde legendum potius

tius

tius putem, Ἐμελάνθη, vel ἐπελιάνθη, *nigrefacta fuit*, quod crebro nempe accidit. Ita ſupra §. XIX. pag. 844. in ſimili caſu: ἐπελιάνθη τὸ ὀςέον τῦ μετώπυ, & Lib. V. Epidem. §. XXXV. pag. 794. iterum, ἐπελιάνθη τὸ ὀςέον. Ut alia infinita in hunc ſenſum taceam ubivis obvia & conſpicua.

Sed ohe! jam ſatis eſt. Habes ſic mi Lector, hic emendationum Hippocraticarum promulſidem, quam hactenus Tibi γεύματος ſaltim χάριν, propinavimus. Sed lautiores & pollucibiliores dapes, ac guloſiora epidorpiſmata, ni fallimur, te expectare jubemus proxime, ubi Deo vitam & ſanitatem benigniſſime indulgente, univerſa Hippocratis opera a nobis illuſtrata & infinitis pæne locis emendata, in publica commoda evulgaverimus.

CAPUT XXVI.

Diogenis Laërtii locus poſt varias diverſorum Eruditorum conjecturas, denuo tentatus.

NOn exigua ſane difficultas oritur circa ſequentem Diogenis Laërtii locum, Lib.IV. Segment. 47. in Vita Bionis: ἔν τισι δὲ πότιμος, καὶ ἀπολαῦσαι τύφυ δυνάμενος. *in quibusdam vero civilis & ſuavis, faſtuque perfrui valens.* Sed hic non leve dubium hæret circa vocem πότιμος, hoc eſt *potui aptus, ſuavis, dulcis*, quæ de aqua inprimis potabili, ſuavi & dulci, adhiberi ſolet: deinde etiam ad alia, con-

conſuetâ metaphorâ, lepide transfertur, unde elegans Platonis quondam dicterium: *ποτίμῳ λόγῳ τὴν ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύζεσθαι*, quod ita ſcite repetiit Libanius, Orat. X. in Juliani necem, pag. 265. *ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἐπεκλύσατο ποτίμῳ λόγῳ*, quomodo & Philo Judæus eodem ſenſu dixit *τοὺς ποτίμων ψηφῶντας λόγων*, Lib. quod omnis probus ſit liber, pag. 671. Quæ omnia bene quidem ſe habent; qua inaudita vero metaphora, immo potius catachreſi, vox *πότιμος*, etiam de homine adeo, dici ſine rubore & temeritatis metu, poſſit, ita ut ſuavem, mitem, amœnum atque tractabilem ſignificet, prout quidem viſum Merico Caſaubono, Joach. Kühnio, aliiſque; ego profecto nullo modo perſpicere valeo, exemplaque omnino deſidero ex probatis Auctoribus petita, quibus tuto atque luculenter adſtrui poſſit inſolitum hoc atque peregrinum dicendi genus. Certe ſi Muſæus, Nonnus, aliusve ejusdem farinæ poëta Dithyrambicus, qui bullatis nugis & inſanis catachreſibus turgeſcere & ſupra cœlum quaſi adſcendere ſolet, *ἄνθρωπον*, ſive *φιλόσοφον πότιμον*, dixiſſet, nihil omnino mirarer: quando vero Scriptor proſaicus, pedeſtris, planus & humi quaſi repens, qualis Diogenes eſt Laërtius, ejusmodi ridiculo plane tropo atque luxuriante nimis dicendi genere uſus eſt; riſum, immo potius lacrymas, ſatis cohibere quis quæſo valeat? quin potius certiſſime perſuaſus ſum, locum hunc fœdo mendo magis eſſe inquinatum; quam ab ipſo Diogene Laërtio adeo abſurde atque ridicule conceptum.

Quod quum pariter animadverterent Aldobrandinus, Bochartus, Menagius, aliique viri maximi; in varias ſuſpiciones atque conjecturas delapſi ſunt, ut loco male affecto tempeſtiva medela ſuccurrerent. Aldobrandinus igitur legiſſe videtur πρόθυμος, vertit enim, *proclivis ad quædam*, obſcura hercle magis conjectura, quam abſurda. Samuel contra Bochartus, vir non ſine religione & veneratione loquendus, ſubſtituere malebat, πόριμος; id eſt, *ſolers*, & *ingenii acumine difficillima penetrans quævis*, ut refert Ægid. Menagius in Obſſ. ad Diog. Laërt. pag. 180. acutiſſime profecto & ingenioſiſſime, ut omnia illius viri dicam? an dæmonii? Ipſe vero laudatus Menagius emendabat potius, φιλότιμος, nec inconcinne, nec infeliciter prorſus, licet multum a ſe invicem abire videantur voces πότιμος, & φιλότιμος, quomodo fere in hunc ſenſum Themiſt. Orat. II. p. 27. ἔτος ὁ Σπαρτιάτης τὰ μὲν ἄλλα φιλότιμός τε ἦν καὶ ὑψηλόφρων. &c. Hæc omnia quidem ingenioſe excogitata nobis ſufficere omnino poterant; quum vero quædam nobis ſupra hunc locum in mentem venerint, his omnibus nihilo deteriora; ea bona Lectorum cum venia, hic commemorare liceat. Poterat ſcilicet non minore elegantia hic legi, πότνιος, *venerabilis*, *magnificus*, aut φρόνιμος, *ſapiens*, aut ποθεινὸς, *deſiderabilis*, *exoptatus*, aut denique νόμιμος, *æquus*, *juſtus*, *juxta legum normam ſuas actiones inſtituens & incedens.*

Verum miſſis his omnibus, licet nec abſurdis, nec incongruis, legendum mihi vel maxime videtur, aut πολύτιμος, aut, quod magis placet, & priſcæ ſcripturæ accuratius reſpondet, πρότιμος, hoc eſt, *majore bonore & pretio dignus*, ſeu *præſtantior*, item *magnificus*, & *ſingulari cultu proſequendus*; adeo ut nunc ſequens hujus loci ſenſus ſit: *In quibusdam vero Bion præſtantiſſimus atque magnificus prorſus erat, ſuoque faſtu apud alios commode frui poterat:* Hoc eſt, habitus magnificentia vultusque gravitate tantam ſui opinionem apud ſpectatores & auditores excitare valebat, ut eum magnum aliquid & quantivis pretii virum, decepti & incauti, reputarent. *Eſt enim* ἀπολαῦσαι τύφου, *ita ſeſe jactare, ut auctoritatem plauſumque impetres ab aliis, qui habitu philoſophico verbisque magnificis adducti, putabant, illum eſſe aliquem*, ut bene hæc interpretatur Cl. Joach. Kühnius, ita ἀπολαύειν τῆς τέχνης, dixit Lucianus in paraſit. pag. 249. & ἀπολαύειν τρυφῆς, Herodian. Lib. I. cap. 7. ἀπολαῦσαι τῆς ἐπιθυμίας, Iſidorus Peluſ. Ep. 53. Lib. II. pag. 198. & ita alibi paſſim. Quare minimum neceſſe hic cum Merico Caſaubono legere, ἀποπαῦσαι τύφον δυνάμενος. Licet enim hæc emendatio ingenio non ſit deſtituta; admittenda tamen hic nequaquam eſt ideo, quod antecedentia contrarium omnino ſuadent, prout cuivis ea paulo attentius conſideranti in oculos ſubito incurret. Hinc bonus hic Caſaubonus pulverem ex-

 cuſſit,

cuſſit, ubi nullus erat, ut cum Ovidio ſic jocari liceat. Sed nos jam ad alia.

CAPUT XXVII.

Conjectura de loco quodam Virgilii. Æther *&* Æquor, *in antiquis Libris ſæpius confuſa. Alia ſuſpicio de loco quodam Phædri: Meliſſæ Epiſtola emendata.*

NOtiſſimus eſt ille verſiculus Virgilianus, Eclog. I, 60.

Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi.

Cum vero & cervi, ſicut omnia cetera animalia quadrupedia, in æthere, ſive aura, paſcantur, & ſine æthere ne momentum quidem vivere poſſint, ut notum; ego ſane illud ἀδύνατον hic videre nequeo, quod intendiſſe poëtam docent Commentatores. Licet enim hic ætherem pro ſupremo, ſubtilisſimo & liquidisſimo cœli ſpatio ſumi debere cum quibusdam concedamus; obſcura tamen atque ambigua adhuc manet dictio, cervi in æthere paſcuntur, ideo vel maxime, quod & æther pro noſtra atmoſphæra & aëre nos ambiente frequentisſime ſumi ſoleat, ut notisſimum; unde hoc ſane reſpectu, nihil prorſus mirum, ſi cervi in æthere paſcerentur; quia ſcilicet ſemper in æthere paſci ſoleant, nec extra ætherem vivere ullo modo poſſint, ut modo dicebam. Quare aut fallor vehementer, aut levi potius mutatione legendum hic fuerit:

Ante

Ante leves ergo paſcentur in æquore *cervi.*

Scilicet, ut cuivis patet, nec multis quidem docendum, æquor, ſive mare eſſe omnino nequit conveniens cervis elementum & alimentum, quo paſci & in quo vivere poſſint, quum ipſis terra potius ſit aſſignata. Unde inconveniens & ἀδύνατον clare nunc perſpicitur, quod ſignificanter & nervoſe hic exprimere voluit Poëtarum Princeps. Nec adverſatur ſane huic noſtræ conjecturæ verſus ſequens, quin potius eximie favet;

Et freta deſtituent nudos in litore piſces.

Quemadmodum enim cervi in aquis vivere nequeunt; ſed in terra; ita e contrario piſces in terra vivere non poſſunt; ſed in aquis. Sic juſta & accurata ſatis eſt oppoſitio animalia terreſtria inter & aquatilia, quæ nullo modo in elementum ſibi prorſus contrarium & inconveniens collocari poterunt. Ἀδυνατώτατον ergo ex noſtri poëtæ mente & ipſa ſana ratione eſt, cervos in æquore, piſces vero in ſicca terra collocare, quum utriusque natura merito repugnet. Simillimum huic illud Propertii, Eleg. 3. Lib. II.

Quærebam, ſicca ſi poſſet piſcis arena
Nec ſolitus ponto, vivere, torvus aper.

Item Nemeſiani, Ecl. I.

Namque prius ſiccis phocæ paſcentur in arvis,
Hirſutusque freto vivet Leo. - -

Ubi vid. Titii, Barthii & aliorum Notas in Edit. Burmanniana.

 Nec

Nec non alterum Horatianum, Lib. de Arte poët.

Delphinum ſilvis adpingit, fluctibus aprum.

quo & iſtud Lucretii pertinet, Lib. V.

Sicut in æthere non arbor, non æquore ſalſo
Nubes eſſe queunt, neque piſces vivere in arvis.

Sed omitto plura ſimilia huc congerere, quia nemo ea neſcit in poëtarum lectione vel leviter ſaltim verſatus, nam crebro nimis occurrunt. Ceterum τὸ *æther* & *æquor*, item *æthereus* atque *æquoreus*, ſæpius in antiquis Codd. MSStis confuſa deprehendi, oſtendit Celeb. Burmannus ad Ovid. II. Faſt. 458. & ad Metam. X, 78. Verum jam ſatis de hac levi conjectura, cui nec ego ipſe multum tribuo, quia ea ingenii abortus potius, quam fœtus.

Sed forſan majorem gratiam a Lectoribus, ſpero, inibit conjectura noſtra de obſcuriſſimo & multis modis vexato Phædri loco, Lib. III. Fab. 8. ubi ſermo eſt de formoſo fratre & inſpecioſa ſorore, ut cum Petronio loquar, quos pater utriusque ita admonuiſſe ibi narratur:

Tu (Fili) *formam ne corrumpas nequitiæ malis;*
Tu (Filia) *faciem ut iſtam moribus* Vincas *bonis.*

Ubi ſane illud *Vincas*, durum & minus appoſitum interpretibus doctiſſimis videtur. Mihi ergo, ut rem paucis expediam omnem, mihi in-

inquam, facillimo negotio legendum hic videbatur quondam:

Tu faciem ut iſtam moribus Pingas *bonis*.

Ducta ſcilicet ſcite metaphora a pigmentis mulierum coſmeticis & ad morum elegantiam & venuſtatem translata. Quaſi dixerit: Quum tu turpem iſtam faciem fuco pingere ita nequeas, ut pulchra & ſpecioſa appareat; hinc potius pinge quaſi eam bonis moribus & præclaris virtutibus; tum ſane perpulchra videberis omnibus ſolidis virtutum æſtimatoribus. Scilicet perquam acute, ſcite & exquiſite mihi videtur dictum a noſtro Phædro, *turpem faciem bonis moribus pingere*; quemadmodum nempe pari lepore & ſenſu fere eodem, Epictetus dixerat, referente Stobæo, Serm. V. pag. 74. μὴ πίναξι καὶ γραφαῖς τὴν οἰκίαν σου περίβαλλε, ἀλλὰ σωφροσύνῃ καταγράφε, *ne tabulis atque picturis domum tuam exorna, ſed temperantia potius* pinge *aut illumina*. Vides nempe, mi Lector, οἰκίαν σωφροσύνῃ καταγράφειν, *domum temperantiæ coloribus* pingere *& exornare*, hic eadem elegantia dictum eſſe, ac apud Phædrum noſtrum, *turpem faciem bonis moribus pingere:* Propius vero adhuc ad hunc noſtrum locum, dixit Seneca, Epiſt. LXVI. *Non deformitate corporis fœdari animum; ſed pulchritudine animi corpus ornari*, h. e. pingi, καλλωπίζεσθαι, γράφεσθαι, & κοσμεῖσθαι, item στιβίζεσθαι, & φαιδρύνεσθαι, ut Græci, inprimis Clemens Alexandrin. Jo. Chryſoſtomus, Gregorius Nazianz. Philo, Plato & alii plures loquun-

loquuntur: quo & maxime ſpectat illud Tertulliani Lib. de cultu Feminarum, laudatum opportune a Pricæo, *Medicamentis & Ornamentis Apoſtolorum exſtructa, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem*, depictæ *oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſo ſanctitatis, purpura pudicitia*: ubi notari inprimis in hanc noſtram rem merentur oculi verecundia & ſpiritus taciturnitate *depicti*, h. e. ὑπογεγραμμένοι, κεκαλλωπισμένοι καὶ κεκοσμημένοι, ut Græci loqui amant. Ita Plato dixit in Phædone: ψυχὴν σωφροσύνῃ, δικαιοσύνῃ, ἀνδρείᾳ, ἐλευθερίᾳ καὶ ἀληθείᾳ κοσμεῖν, *animum temperantia, libertate & veritate pingere & exornare*, quod imitatus Julianus in Miſopogone, pag. 51. Edit. Pariſ. ψυχάριον σωφροσύνῃ κοσμεῖν καὶ καλλωπίζειν, *animulam temperantia exornare atque perbelle quaſi pingere*; & dudum ante eum illuſtria venerandæ antiquitatis lumina, Xenophon, Iſocrates, Lucianus, Ariſtoteles, Plutarchus, & alii plures, laudati jam ſupra laudato Pricæo. Huc & Marcus Antonin. Lib. VII. πρὸς ἑαυτ. 31. Φαίδρυνον σεαυτὸν ἁπλότητι καὶ αἰδοῖ, *pinge te ſimplicitate & pudore*, apud quem & paſſim in hunc ſenſum plura. Inprimis vero, ut ad picturam feminarum moralem revertar, facit huc divina illa Meliſſæ Pythagoreæ Matronæ ad Clearetam Epiſtola, in Opuſculis Mythologicis, Phyſicis & Ethicis per Th. Gale, editis, pag. 749. ubi notari merentur ſequentia potiſſimum verba: γυναικὸς κόσμος ὁ τρόπος πέλει, καὶ οὐχ αἱ στολαὶ,

ἴχοις

ἔχοις δ᾽ ἂν ἐπὶ τᾶς ὄψιος ἐρύθημα μὲν σαμεῖον αἰδῶς, ἀντί φύκεος, καλοκἀγαθίαν δὲ καὶ κοσμιότητα καὶ σωφροσύναν, ἀντὶ χρυσῶ καὶ σμαράγδω. *Mundus & fucus muliebris in moribus conſiſtit, non in ſtolis, in vultu autem pudorem ruboremque poſſis ſignum verecundiæ, loco fuci & pigmenti, adhibere: Probitatem autem, modeſtiam, & ingenuitatem, pro auro & Smaragdo.* Verum ὡς ἐν παρόδῳ, fœdam liceat mendam ex hac ornatiſſima epiſtola tollere, ſic enim mox ab initio ibi legitur: καλὰν ἐλπίδα δίδοι, ὅτι μέλλεις πολιῶσθαι κατ᾽ ἀρετάν; ubi illud πολιῶσθαι, *caneſcere in virtute*, ſenile, fatuum & effœtum omnino videtur, legendumque hinc potius eſt, ut mihi quidem veriſimile: καλλιῶσθαι κατ᾽ ἀρετάν, *magis pulchreſcere & venuſtiorem fieri in virtute*, quam emendationem antecedentia verba, ἐσπουδασμένως ἐθέλεν τὶ ἀκῶσαι περὶ γυναικὸς εὐκοσμίας, utique efflagitare videntur; ſed hoc obiter. Idem vero, ut revertar, unde digreſſus ſum, feminis Chriſtianis ſedulo & ſevere commendat Clemens Alexandr. Lib. III. Cap. 11. Pædagog. pag. m. 248. κάλλος ἄριστον πρῶτον μὲν ψυχικὸν, ὅτ᾽ ἂν ᾖ κεκοσμημένη ψυχὴ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ τοῖς ἐκ τούτου ἐμπρεπομένη φαιδρύμασιν, δικαιοσύνῃ, φρονήσει, ἀνδρείᾳ, σωφροσύνῃ, φιλαγαθίᾳ τε καὶ αἰδοῖ, ἧς οὐδὲν εὐανθέστερον χρῶμα ἑώραται πώποτε. *Pulchritudo optima, primum eſt pulchritudo animæ, quando ſcilicet ornata fuerit anima ſpiritu ſancto omnibusque illis pulcherrimis & ſplendidiſſimis pigmentis, quæ ab ipſo proveniunt, ſcilicet,*

licet juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, bonorum amore & pudore, quo nullus color, nullaque pictura floridior unquam aut nitidior viſa fuit.

Similia fere habet Jo. Chryſoſtomus, Homil. X. in IV. Cap. Epiſt. ad Coloſſ. pag. 238. & alibi, ut Baſilium Magnum, Iſidorum Peluſiotam Lib. inprimis II, Ep. 53. & alibi ſæpius, item Clementem in Conſtitut. Apoſtol. Lib. I. pag. 3. & 7. aliosque ſanctos Patres hic taceam. Quid enim opus minora hanc in rem exempla allegare? quum ipſe maximus gentium Apoſtolus eodem plane modo ſcripſerit, Cap. 2. Epiſt. I. ad Timoth. v. 9. βȣ́λομαι τὰς γυναῖκας μετὰ αἰδȣ̃ς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτάς, h. e. *volo, ut feminæ ſeſe pudore & temperantia pingant aut exornent*, vel ut phraſi Phædri id exprimam, *ut bonis moribus ſeſe pingant.* Ad quem ſancti Apoſtoli locum multa ſimilia e profanorum Auctorum penu opportune attulerunt viri maximi, Hug. Grotius, (qui & ſimul videri debet in Anthologia Stobæana, Tit. de pulchritudine, & alibi,) J. C. Wolfius, J. H. Majus, in Obſſ. ſacr. Tom. II. pag. 189. ſqq. & inprimis Jo. Pricæus, qui pag. 766. Comment. in h. l. non multa ſolum, ſed pæne nimia & ad nauſeam fere uſque congeſſit, ex cujus uberrimo fonte proinde varia in noſtros hortulos derivata ſunt a nobis, quæ paullo ſuperius produximus, quod grate omnino fateri par eſt. His adde quoque Taubmannum ad Plauti Moſtellariam, ut & Pœnulum, Cl. Burmannum ad hunc ipſum Phædri locum, & Commen-

mentatores ad Petronum Caput LV. ut plures alios jam prætereaṁ alibi mihi laudatos. Tot igitur tantisque teſtimoniis ſacris ac profanis, divinis & humanis, noſtram de Phædri loco Conjecturam ſuperius propoſitam ſatis ſuperque confirmatam eſſe nonnihil confidimus, qua legendum ſuſpicati ſumus:

Tu faciem ut iſtam moribus Pingas *bonis*.

Aut enim hactenus allata, ſpero, ſufficient, aut nihil prorſus. Ceterum nihil fere in Contextu ipſo immutavimus, quam unicam litterulam V. in *vincas*, pro qua τὸ P. ſubſtituimus. G. enim & C. in antiquis membranis manu exaratis perpetuo fere confundi & permiſceri ſolere; adeo doctis notum eſt, ut ea de re vel unicum verbum adjicere hic pigeat tædeatque; quia id nemo credo, facile negaverit, niſi qui nunquam ſcriptum Veterem Codicem manu verſaverit, aut oculis uſurpaverit. Nos certe millies fere ſolennem illam confuſionem olim obſervavimus, quum in Bibliotheca Regia Pariſienſi, Ciceronis, Cæſaris, Plinii, Virgilii, Livii aliorumque Volumina Manuſcripta non indiligenter pervolveremus. Sed conf. & J. Paſſeratius, de Litterar. Permutatione, pag. 27. ſqq. ubi multis id exemplis docetur & uberius confirmatur.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Heſychius, plusquam Viginti Locis corruptiſſimis, emendatus, reſtitutus & explicatus.

Videamus jam iterum, ſi ita quidem volupe, Heſychium; ſed tanquam alterum Deïphobum,

> ——— *lacerum crudeliter ora,*
> *Ora, manusque ambas, populataque tempora, raptis*
> *Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.*

Ita igitur ille inter alia, pag. 162. Ἀνίαχοι, ἄνευ βοῆς, μετὰ ἰαχῆς, ἢ ἀΐαχοι, σιωπῆ, ἄφοβοι,] pro poſteriore voce, legendum haud dubie, ἄφωνοι, antecedit enim ἄνευ βοῆς, καὶ σιωπῆ. Forte & in vocibus μετὰ ἰαχῆς, aliud adhuc lateat mendum, quia contradicere ſibi omnino videntur ἄνευ βοῆς, & μετὰ ἰαχῆς, utpote ἀσυςατα. Sed jam ulcus illud attrectare haud vacat nobis ad alia properaturis.

Ibid. Ἀυλίξαι, στασιάσαι, δραμεῖν.] Nihil hic omnino τὸ δραμεῖν, valet, & legendum potius videtur, ἔνδον, vel ἐντὸς μένειν, ſive potius, ἐνδιατρίβειν. Ita enim Noſter ſupra, Ἀυλίζομαι, μένω, ἐνδιατρίβω. Vel lege adhuc faciliore opera, δραθεῖν, hoc eſt δαρθεῖν, ſeu κοιμηθῆναι. Supra namque Noſter in hunc modum: Ἀυλίζεται, κοιτάζεται, unde conjectura noſtra valide confirmatur. Τὸ Δαρδεῖν autem

autem item & Latin. *Dormio*, probabiliter deducendum videtur ab Hebr. תרדמה, *Tardemah*, *Sopor*, nempe a verbo רדם *Radam*, vel *Redam*, *Somno Sopiri*. Sed hoc veluti in tranſitu.

Pag. 72. Ἀμείλιχος, ἀπροσηνής, ἀπειθής, σκληρὸς, πίνς,] Poſterior vox Græciæ prorſus ignota. Poſſet ergo ſcribi commode, ἦ, vel μὴ πρηΰς: Sed vera omnino lectio eſt, ἀπηνής. Ita Noſter infra, ἀπηνής, σκληρὸς, ὠμὸς, χαλεπὸς, κακὸς, & ἀπηνὲς, σκληρὸν, ὠμὸν, & ἀπηνέος, σκληρῦ, ὠμῦ: item in ὠμὸς, ἀπάνθρωπος, ἀπηνής; & rurſus pag. 121. Ἀπηνὴς, ἀπέρωτος, ita enim legendum videtur, haud ἀπήρητος, ut vulgo eſt; nec Ἀπηγυὴς, ἀπύρωτος, ut malebat vir doctus in Anecdot. Græc. Wolf. Tom. IV. pag. 219. Omitto alia paſſim obvia, quia res nimium nota.

Pag. 198. βύχωμα, Φρόνημα,] ſcribe potius Φώνημα, quæ & alibi apud Heſychium, Suidam & alios inter ſeſe confunduntur.

Pag. 218. Γλαύσσει, λάμπει, Φαίνει Φαστήρ.] Obſcura ſane hæc vox in hoc lucido loco, immo nulla prorſus. Quare egregie emendabat Sopingius, ὡς ἀστήρ: Poſſet tamen & nihilo pejus legi, Φαίνει Φωστήρ. Judicet ipſe Lector.

Pag. 227. Γύπας -- ἄλλοι ὀδὰς εἰς ὀδῦς,] Hæc ſane corruptiſſima. Pro ὀδὰς, quidam legebat, οἰκίας, & pro εἰς, Scaliger εἰσό, neuter bene. Legendum hinc potius videtur, ὀπὰς, εἰσόδους, & poſterius forſan voluit Scaliger,

liger, nam vox ὑσό, nihili alias eſt. Ὀπὴ vero idem eſt ac *janua, introitus, foramen.* Noſter infra, ὀπὴ, θυρὶς, & alibi θαλάμη, τρώγλη, θυρὶς, ὀπή. Reliqua autem hujus loci Heſychiani perquam depravati, ſatis feliciter, pro more ſolito, emendavit doctiſſimus Lamb. Bos, in Animadverſ. ad Auctores Græc. Cap. XXIX. pag. 224. Ceterum videntur voces γύπαι, & γυπάρια, apud Ariſtophanem, nonnihil convenire cum Hebr. חפירא *Chaphera, foſſa, caverna*, à verbo חפר, *Chaphar, effodit, perfodit, Cavernas fecit.* Sed hoc obiter.

Pag. 277. Δύσακτον, κακοδάκρυτον, Δυσάκιστον, κακόστακτον,] Invertenda hæc omnino & legenda ſic impoſterum: Δύσακτον, κακόστακτον, Δυσάκρυτον, κακοδάκρυτον. Res manifeſta. Forte tamen illud Δύσακτον derivandum ἀπὸ τοῦ Στάζειν, *ſtillare.*

Ibidem, Δάπεδον, ἔδαφος, γῆ, δριματόψυχος,] peſſime hic duæ diſtinctæ voces in unum confuſæ ſunt. Legendum igitur diviſim potius, Δάπεδον, ἔδαφος.] Δρίμα, τὸ ψῦχος.] Ipſe Noſter infra, Δρίμα, vel Δρίμη, ψῦχος. Quid quæſo clarius? Sequentia autem ἢ οἶκος, ἐρείπιος, referenda iterum ad Δάπεδον, ἔδαφος, tunc omnia concinna.

Pag. 287. Ἐδράσσατο, βοιήσσωνας ἦγεν,] Monſtrum hoc vocis βοιήσσωνας, inde & merito aſteriſco notatum, nec ab ullo doctorum tentatum, nec ſub examen aut limam vocatum. Meræ ſunt hic tenebræ, ut hinc præſtaret forte, manum criticam ab hoc ulcere abſtinere, quam deſperatis medicinam temere & in-

tem-

tempeſtive adhibere. Fuit tamen, quid enim prohibeat, noſtras leves conjecturas proponere? fuit inquam, quum ſic emendare tentarem: ἐδράσσατο, βύσσον ἤσκησεν, vel ἐνήργησεν, h. e. *Byſſum tractabat*, *præparabat*, *in Byſſo occupabatur.* Δράσις nempe ἡ βύσσος, καὶ οἱ ἐργαζόμενοι αὐτὴν, Δρασιεργοί, ut ſupra pag. 271. Noſter ipſe explicuit. Magna igitur, ſi quid judicem, videtur eſſe omnino convenientia inter τὸ δράσις, & τὸ ἐδράσσατο, adeo ut illud ab hoc verbo petendum & derivandum eſſe videatur, inprimis, quum monſtroſum illud βοιήσσωνας, nos facillima quaſi manu & ſua ſponte ducat ad vocem βύσσον, in altero Heſychii loco nobis repræſentatam. Nihil tamen ego audacter nimis affirmarim; quod a moribus noſtris ſemper alieniſſimum.

Legebam etiam aliquando: ἐδράσσατο, ἐποίησε, αἰῶνας ἦγεν, item βίῳ αἰῶνας ἦγεν, vel ἐβίωσε, αἰῶνας ἦγεν, denique ἐδράσσατο βίον, αἰῶνας ἦγεν. Sed hæc omnia mera commenta, aut inſomnia, quibus indulgere nimis nolim. Si quis his meliora in promtu habeat, quod opto & ſpero, in medium candide afferat, & maximam a me aliiſque græcarum litterarum amatoribus merito inibit gratiam. Oculi enim plus vident, quam oculus.

Pag. 300. ἔκκριπτον, ἐπίλεκτον] Lege omnino, ἔκκριτον; mox enim Noſter, ἔκκριτος, ὁ ἐκλελεγμένος. De ipſa ceterum voce ἔκκριτος, vid. ſummus Vir, Thomas Reineſius, ad Petronii Fragmentum Traguriànum, cap. LXIII.

pag.

pag. 316. Edit. Burmann. ubi inter alia commode hunc Heliodori locum, Lib. IX. Æthiop. cap. 3. laudavit, *ἄνδρα ἔκκριτον, καὶ τοῦ σώματος ἰσχὺν ἐπίλεκτον*, ubi *ἔκκριτος* & *ἐπίλεκτος*, æque ac hic apud Heſychium, ſcite conjunguntur. Sic & *τὰ ἔκκριτα καὶ ἐξαίρετα* ſynonyma ſunt Dionyſio Areopagit. Lib. de divinis Nomin. Cap II. pag. 172. & alibi. Certa ergo noſtra Emendatio videtur.

Pag. 377. Ἑρμα, -- *τὸν πετρώδη καὶ ἐπικυματιζόμενον, ὥστε μὴ βλέπειν, τόπον τῆς θαλάσσης*,] Aut nihil fere hic video; aut illud *βλέπειν*, mutandum forte eſt in *πλέειν*, ſeu *πλεῖν*. Ἕρματα enim ſunt ingentia ſaxa & cautes in mari, *ὕφαλοι πέτραι*, ut mox noſter bene exponit, quæ navigantibus obſtant, quo minus tuto excurrere poſſint. Confirmat noſtram hanc Conjecturam egregie prorſus Suidas, in Ἕρμα: ſed locus verboſior & copioſior eſt, quam ut hic ſine Lectoris faſtidio, tranſcribi a nobis poſſit. Ceterum, ut id obiter hic adjicere liceat, vox Ἕρμα, nonnihil convenire videtur cum Hebr. הר *Har*, *Mons*, *Petra*, unde הרים *Harim*, *Petræ* & Græcorum *ὄρη*, *montes*. Forſan tamen Ἕρμα rectius referas ad חרש *eheresh*, *acutæ teſtæ* & *lapides in fundo maris aut fluviorum*. Vid. v. g. Job. XLI, 21. ut alia taceam, de quibus confer Lud. Capelli Crit. Sacr. Lib. V, cap. 4. p. 338. Sed de his jam ſatis.

Ibidem, pag. 378. Ἔρυμα, *Φρούριον, ἀσφάλισμα, κώλυμα*,] ſuſpectum mihi viſum aliquando *τὸ κώλυμα*, & legebam hinc, etſi non-

nonnihil timide, *κάλυμμα*. Sed audaciorem mox me fecit ipſe noſter Heſychius, paullo poſt, pag. 380. ita ſcribens: *ἔρυμα, φυλακὴ, κάλυμμα, φύλαγμα.* Inde recte nos conjeciſſe, liquido, putem, nunc apparet. Illud vero *ἔρυμα*, ab *ἐρύω*, nempe, aliquam habere videtur affinitatem cum Hebræo, ארמון *Armon*, ut & cum מרום *Marom*, quod eſt *Arx, propugnaculum, munitus* & *editus locus*, ut notum. Sed leves, non nego, ſunt conjecturæ.

Pag. 413. *Ζώη, τὸ μέλι ἐφιςάμενον τὸ γάλακτι, ὃ καλεῖται γραῦς.*] Inſipidum hic atque inficetum eſſe *τὸ μέλι*, cuivis patet. Legebat ergo Salmaſius, *τῷ μελίτι ἐφιςάμενον, ἢ τῷ γάλακτι*; Non prorſus male, magna tamen cum licentia. Quare ſcribendum potius mihi videbatur: *ζώη, τὸ πιμελὲς, ἐφιςάμενον τῷ γάλακτι*, inducto inprimis atque confirmato auctoritate ſcholiaſtæ Ariſtophanis ad Plutum, pag. 115. ita ſcribentis: *γραῦς καλεῖται ὁ ἀφρὸς ὁ ἀνώτατω, ἢ τὸ πιγνύμενον ἐλαιῶδες τῷ ζωμῷ*, ubi *τὸ ἐλαιῶδες* idem eſt ac noſtrum *πιμελὲς*, ut notum. Vid. & Heſychius voce, *γραῦς*, ſuperius, item in *ζοὴ*, pagina præcedenti.

Pag. 470. *Ἱπποπόροις, τὸν τε ἵππον--καὶ τῆς ὄρνης τὸ ςῆθος, λάκωνες.*] forſan hic legendum *τῆς πόρνης*, vocatas enim olim fuiſſe meretrices & libidinoſas mulieres *Equas* & *Pullos*, notum ſatis eſt ex Euripide, Anacreon-

T te,

te, Athenæo, Artemidoro, Horatio & aliis, vid. Barneſ. ad Euripidis Rheſum, & Anacreontis Odam LXI. ubi πῶλε Θρηκίη, occurrit. conf. inprimis Rigalt. ad Artemidor. pag. 25. Gebhard. Curar. Juvenil. Lib. III, cap. 16, & Euſtath. Swartii Elect. Lib. III, cap. 1. pag. 109. Addam hic locum inſignem Æliani, de Natura Animal. Lib. IV, cap. 11. τῶν γυναικῶν τὰς ἀκολάςυς ὑπὸ τῶν σεμνοτέρως αὐτὰς εὐθυνόντων καλεῖσθαι ἵππυς, unde Emendatio noſtra egregiam lucem & eximium fulcrum accipere videtur: τὸ ὄρνης enim, ut vulgo legitur, ſenſu omni vacuum, atque hinc aſteriſco merito notatum. Accedat his ipſe noſter Heſychius, infra pag. 808. Πῶλος, ἑταῖρα. Πώλυς γὰρ αὐτὰς ἔλεγον, οἷον Ἀφροδίτης πώλυς, ἢ τὺς νέυς, καὶ τὰς νέας, καὶ παρθένυς. Quin & Hebræis רמך, *Ramac*, & Equam & feminam libidinoſam ſignificare, notum eſſe arbitror. De Equarum autem inſatiabili libidine, vid. ſummus Vir, Sam. Bochart. in Hierozoic. Part. I. Lib. II. cap. 39. pag. 294. ſed hæc obiter.

Pag. 504. Καταρυβδήσας, καταπιών, ῥωφήσας,] Legendum forte, καταχαρυβδήσας, ῥοφήσας, nempe a Charybdi, notiſſimo illo gurgite & voragine. Ita Noſter ſupra: ἐξεχαρυβδώθη, ἀνεπόθη. Stephanus hic legebat, καταροιβδήσας, æque bene. Conf. Heſych. in Ἀνεῤῥοίβδησαν, & in Ῥοιβδεῖ. De voce ῥοφήσας, autem, vid. Noſter in ῥοφεῖ, quod recte explicat per καταπίνει, unde & τὰ ῥόφια,

κύ-

κύματα, ibidem. Ceterum Charybdis ſummo Bocharto eſt quaſi חור־אובדן, *chor-obdan*, *foramen perditionis*. Nobis contra, ipſius pace, ſimplicius deducendum videtur ab Hebr. חרבה *Charabah* aut *Chorabah*, *Vaſtatio*, *deſolatio*, unde חרבות *Chorabo&th*, *loca devaſtata*, nempe a חרב *Charab*, *deſolatus*. Sed hæc obiter.

Ibidem, Καταςίλβει, *κατάγει*, *καταλάμπει*,] Mendoſa hæc ita refingenda videntur: Καταςίλβει, *καταυγάζει*, ſive *καταυγεῖ*, vel *καταςράπτει*, *καταλάμπει*. Ratio emendationis patet affatim.

Pag. 505. Καταςομίς, *μέρος τὶ τοῦ αὐλοῦ*, *τὸ ἐνόλβιον*.] Infelix hic omnino illud *ἐνόλβιον*; legendum enim potius, *ἐνόλμιον*, quod idem eſt, ac *ὑφόλμιον*, de quo Noſter infra ſuo loco: *ὑφόλμιον*, *μέρος τι τοῦ αὐλοῦ πρὸς τῷ ςόματι*, *ἢ αἱ γλωττίδες*. Caſpar quidem Bartholinus, Cap. V. de Tibiis Veterum, p. 62. hunc ipſum Heſychii locum allegat; nihil tamen emendat, quod mirum, licet ibi de voce *ὑφόλμιον* doćte ſatis agat.

Pag. 618. Μαλὶς, Ἀθηνᾶ, *λαπάρα*, *ἄφθα*, *φθιγμονή*.] Heu monſtra Verborum fœdiſſima! licet & ipſa ſapientiſſima Minerva, ſed alieno ſatis loco, ſint exornata, ejusque ægide quaſi munita & defenſa! Legendum mihi omnino videtur, Μαλὶς, *ἄνθημα*, *λέπρα*, *ἄφθα*, *φλεγμονὴ*, nempe *μαλὶς* omnes illas cutis turpitudines, lepras, aphthas, puſtulas

ſtulas & exanthemata ab inflammatione orta ſignificare hic a Noſtro indicatur, videturque ejusdem fere eſſe originis, ac vox *μαλερὸν*, quæ mox ab eodem explicatur per *καυστικὸν*, *μαραντικὸν*, *ὀξὺ καὶ λαμπρὸν*, quibus ſimilia habet Suidas, quem videſis, Lector. Ceterum cum hac voce Μαλὶς, optime convenire videtur vernaculum noſtrum *Ein Mahl*, h. e. *Labes*, *nævus*, *macula*, *puſtula*. De quo vid. Cl. Wachter in Gloſſario German. pag. 224. Sed hoc obiter.

Pag. 761. Πεφοινιγμένη, ἡματωμένη, πεπυρωμένη,] ſcribendum forte hic, *πεπυῤῥιωμένη*, a *πυῤῥιάω*, *rufeſco*, *colore rutilo exſplendeſco*. Τὸ *πεπυρωμένη*, hic omnino frigere videtur. Crebro autem hæc bina vocabula, ſono ſibi admodum vicina, inter ſeſe confundi ſolere, præclare oſtendit Cl. Arnaldus, Lection. Græc. Lib. I, cap. 15. pag. 102.

Pag. 767. Πλακοῦς, ὁ σπερματικὸς τύπος τῆς ἡμέρας, μαλάχη,] Hæc pro corruptiſſimis habet, & neſcio quam obſcœnitatem ſeſe hic inveniſſe putat doctiſſimus Palmerius; fruſtra omnino! utinam enim alia Heſychii noſtri loca depravatiſſima haud magis medica manu aut ferro potius chirurgico, indigerent; quam hic quidem locus opus habet. Nam nihil prorſus immutandum, quam illud *ἡμέρας*, *μαλάχη*, quod potius ſcribendum, *τῆς ἡμέρου μαλάχης*, ut clare patet ex Athenæi

Lib.

Lib. II. Cap. 18. unde Heſychius hæc ſua hauſit, ut & in Notis obiter adnotatum. En autem ipſa Deipnoſophiſtæ, aut Phaniæ potius, verba: τῆς ἡμέρη μαλάχης ὁ σπερματικὸς τύπος καλεῖται πλακȣ̃ς, ad quæ verba videre omnino operæ pretium, quæ commentatus eſt maximus Caſaubonus, Lib. II. Cap. 18. pag. 120. Animadverſionum, in Athenæum.

Pag. 771. Ποιναῖς, Ἐφικταῖς, Ἐριννύσι, τιμορίαις,] Nihili prorſus hic & ſenſu omni orbum eſſe vocabulum Ἐφικταῖς, cuivis credo, illico in oculos incurrit. Nihil ergo commodius mihi in mentem veniebat, quam legendum hic, ποιναῖς, Φρικταῖς Ἐριννύσι, *horrendis & abominandis furiis & Eumenidibus.* Sic Φρικτῶν δαιμονίων, mentio fit in Anthologia, ut & Lexicis bene notatum & Φρικταὶ εὐχαὶ, *tremendæ preces*, occurrunt apud Jo. Chryſoſt. teſte Jac. Billio, Obſſ. ſacr. Lib. I. cap. 19. p. 27. & apud eundem Φρικτὰ μυςήρια, Obſervante Rittershuſio, ſacr. Lect. Lib. VIII, cap. 9. pag. 601. & Φρικτὸν συνάντημα, apud Niceph. Gregor. Hiſt. Rom. Lib. IX. pag. 249. item Φρικτὸν Θεȣ̃ ὄνομα, apud Mich. Pſell. de Operat. Dæmon. pag. 86. &c. & Φρικτὰ ἐπὶ τῆς ἀχράντȣ τριάδος ὀνόματα, apud S. Maxim. in Schol. ad S. Dionyſ. Areopag. Opp. pag. 118. Fuit tamen &, quum legerem, ποιναῖς, ἠδικτοῖς, voce nempe latina, *Edictis*, qua ſupra Noſter Heſychius uſus eſt pro more, pag. 4.6. ἤδικτον,

τὸν, συνδοχτικὸν, ſi hæc vox quidem ſana: quod credere eo facilius eſt, quia vox *Pœna*, etiam civitate latina, ut notum, donata fuit. Sic & legi poſſe quondam credebam, ποιναῖς, ἐκδικίαις, *ultionibus*, *vindictis*, ſenſu ſatis commodo, vel & ἐκτισταῖς, ſequitur enim mox ἀνέκτισιν & ποινὴ, ἀνέκτισις, apud Noſtrum, vel denique φλυκταῖς, φλυκτὰ enim Noſtro ſunt κακὰ, σχέτλια, aut ἀφύκτοις, *inevitabilibus*. Sed miſſis his omnibus, putem tamen longe meliorem & faciliorem eſſe Lectionem, φρικταῖς Ἐριννύσι. Nobiliſſimus quidem Marklandus, in doctiſſima Epiſtola Critica, pag. 127. legendum conjicit pro ἐφικταῖς, potius ἐπιτιμίοις. Sed Lector candidus dijudicet, quæſo, nunc ipſe, quam bene hæc duo vocabula inter ſeſe conveniant, nempe quoad litterarum ductum & ſoni vicinitatem; de ſenſu hic non dico; ille enim ſatis congruit. Ego interea ἐπέχω, amore & æſtimatione Viri præſtantiſſimi merito deterritus. Ceterum legi omnino merentur, quæ ibi occaſione cujusdam loci Virgiliani, quem εὐστόχως emendat, de Pœnis & Furiis doctiſſime commentatur. Sed ſatis jam de his.

Pag. 778. Πολυχερία, πλῆθος ἐργαζομένων καὶ ἀνυόντων,] Scribendum hic probabiliter, πολυχερία aut πολυχειρία, πλῆθος ἐργαζομένων καὶ ἀμυνόντων. Hoc eſt, πολυχειρία, nempe ἀπὸ τῶν πολλῶν χειρῶν, a multis manibus, ſignificat multitudinem operan-

ran-

rantium & conjunctis operis ſibi invicem auxilium ferentium, ſenſu admodum perſpicuo.

Pag. 901. Τερέβινθος, πόλις Ἰώβ,] Nulla, quantum ego quidem ſciam, Jobi eſt urbs, quæ Terebinthus diceretur: Sed Terebinthum locum vel oppidum in Palæſtina olim vocatum fuiſſe, ubi Terebinthus arbor conſita fuerit, ſub qua Jacobum idola ſocero Labani ſurrepta occultaſſe fama, aut fabula ſit, multis* oſtendit, & erudite pro more, docet Adrianus Relandus, in Palæſtina, Lib. III. pag. 712. ſqq. add. Henr. Valeſius, in Annotat. ad Euſebii Lib. III, de Vita Conſtantini Imp. Cap. 53. pag. 233. & maximus Joſ. Scaliger, in Animadverſ. ad Euſebium, pag. m. 192. & pag. 253. ut alios taceam, traditio enim & veneratio de hac æterna Terebintho vetuſtiſſima eſt. Forſan ergo in hoc noſtro Heſychii loco ſcribendum fuerit, πόλις, (niſi potius, τόπος,) Ἰακώβ, non Ἰώβ, credendumque omnino, ortum fuiſſe errorem ex compendiaria ſcribendi ratione, ut ſæpe fieri ſolet. Niſi potius legendum hic ſit, πόλις, Ἰόβας, vel Ἰώβας, (licet prius magis in uſu ſit, quam poſterius,) qui nempe περὶ ὁμοιοτήτων ſcripſit, & ſæpius apud noſtrum laudatur, ſic v. g. ſupra, pag. 496. χάρτη, εἶδος ἱματίου, παρὰ Ἰὼβ, ubi Ἰόβα, vel Ἰώβα, recte legendum cenſent Scaliger & Sopingius, qui locus ideo notari bene meretur, quod pari modo depravatus ſit, ac noſter hactenus tentatus,

tatus, qui τὸ Ἰώβ, exhibet loco τῦ Ἰώβας, aut Ἰόβας, ut & in mentem veniſſe video Pricæo in Indice Auctorum ab Heſychio laudatorum, qui & bene provocat ad Athenæi Lib. IV. pag. 170. Eligat nunc ex his Lector ipſe, quod magis ad palatum fuerit, aut neutrum potius damnet, pro ſua humanitate.

CAPUT XXIX.

Iſidori aliorumque Veteres Gloſſæ Latinæ & Græco-Latinæ paſſim emendatæ, a Wouwerii & Pricæi ſententiis diſceſſum. Heſychius obiter correctus.

IN Iſidori Gloſſis hoc inter alia, legitur: *Virginal, membra Virginis, in quo habitat.* Quæ quum ſenſu vacua eſſent, Pricæus in Notis ad Apuleji Apologiam, pag. 94. ita emendabat: *Virginal, membrana, virginitas in qua habitat*; acute profecto. Sed aliter emendabat hoc Vulcanius, aliter explicabat Munckerus, quem vid. ad Hygin. Fab. CLXXIV. pag. 258. Forſan tamen ſcribendum: *Virginal, membra Virginis, queis cohabitat*, h. e. coitum peragit, συνοικεῖ, ut Græci pariter loquuntur, inprimis Dionyſius Halicarn. & Plutarchus, ut oſtendit Thom. Gatakerus, de Stilo Novi Teſtamenti, contra Pfochen. Cap. XI. pag. 121. ſqq. nec non Muretus, Lib. VI. Var. Lect. cap. 7. & Jenſius, in Epiſt. Crit. ad Græv. pag. 408. *Membra* vero Latinis, quomo-

modo τὰ μέλη, Græcis, pro ipſis pudendis pudice ſumi, conſtat ſatis ex Virgilio, Petronio, Gellio, quem vid. Lib. IX, c. 10. & aliis pluribus, res enim nota. Conf. Munker. loc. cit. &c.

In Gloſſis MSStis Bourdelotii hæc extabant: *Altercatur, ligat, verboſatur.* Quæ quum mendoſa eſſent, ut apparet manifeſto, ita emendabat idem Pricæus in iisdem doctiſſimis Notis ad Apuleji Apologiam, pag. 165. *Altercatur, litigat, verbigeratur:* partim bene, partim vero male. Poſtremam enim vocem *verboſatur*, ego potius mutandam cenſeo, in *verboſe fatur*, aut *belligeratur*, quod eſt apud Hyginum, aut ſimile quid.

Gloſſæ denique Veteres Græco-Latinæ hæc exhibent: *Attonitus*, ἐμβρόντητος, ἐμβροντηθεὶς, ἐκριγιαρίος: quod poſterius quum maxime depravatum ſit, Wouwerius, ad Petronium, pag. 471. Edit. Burmann. ita emendandum putabat: *Egregiarius*, forte ἀγελάρχης; ſed parum feliciter; me quidem judice. Excidiſſe potius quædam, ut ſit, putem, atque integrum locum ſic legendum: *Attonitus*, ἐμβρόντητος, ἐμβροντηθεὶς, *Attentus*, ἐγρήγορος, vel ἐγρηγορώς. Ubi nemo non ſpero, videbit ſtatim convenientiam inter *Attonitus*, & *Attentus*, & inter ἐκριγιαρίος & ἐγρήγορος, vel ἐγρηγορὼς, vel denique εὐγρήγορος, apud Heſychium, quod ad hanc noſtram vocem depravatam proxime accedit. Qua commoda occaſione emendandus ſimul iterum Heſychius, cujus en verba, p. 284. ἐγρήσσων, ἐγρηγορὼς, Φυσῶν, ἀγρυπνῶν. Legen-

dum enim ibi omnino videtur, *νηφῶν*, *ἀγρυπνῶν*, Ipſe infra clariſſime, *Νῆφε*, *γρηγόρει*. Quid probabilius? Sic enim ipſe S. Apoſtolus Petrus hæc bina verba ceu ſynonyma, magno cum pondere conjunxit, *Νήψατε*, *γρηγορήσατε*, 1. Epiſt. V, 8. item Paulus, 1. Theſſ. V, 6. *γρηγορῶμεν καὶ νήφωμεν*. Unde Iſidorus Peluſiota, Lib. I. Ep. 9. non minori emphraſi ſcripſit, *ὁ νοῦς νήφει ἐγρηγόρως*, ut alia plura taceam apud Jo. Chryſoſtomum, & Baſilium Magnum aliosque plures in hunc ſenſum paſſim occurrentia; conf. Georg. Crauſeri Obſſ. Philol. Theol. in N.T. p. 135. Ita & Clemens in Conſtit. Apoſt. Lib. II. pag. 46. a. *Χρὴ νηφαλέως καὶ ἐγρηγορότως ἑστάναι ἐκτεταμένην ἔχοντα τὴν ἀκοὴν ἐπὶ τὸν τοῦ κυρίου λόγον*. Sed ſatis jam de Gloſſis, ne *γλωσσαλγίᾳ* non nemini laboraſſe videamur. Claudendus enim nunc demum rivus, immo potius hic Liber noſter Tertius, & ad Quartum tranſeundum.

OBSERVAT. CRITICAR. LIBRI TERTII FINIS.

DANIELIS WILHELMI TRILLERI

OBSERVATIONVM CRITICARVM

LIBER QVARTVS.

CAPUT I.

Corruptiſſimus Æliani locus poſt feliciſſimam Jani Rutgerſii emendationem, denuo ſub examen vocatus & tentatus. ὠρύω, ὠρύομαι & ὠρυώματα, *item* μυκᾶσθαι, μυκηθμὸς & μύκημα, *de quavis voce lugubri & ejulatu tam animalium, quam hominum.* Mugitus terræ, Mycematiæ & Mycetiæ, *quid? Alia quædam.*

ÆLianus Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. 57. illa enarraturus prodigia, quæ imminentem ab Alexandri adventu Thebanis cladem, Deorum nutu, prænunciaſſe dicuntur, inter alia & hoc quoque refert: ἡ μὲν γὰρ ἐν Ὀγχηςῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε, καὶ συνεχῆ, καὶ τὰ ὀρμήματα ἐώκει. Quæ quum circa poſtrema verba, καὶ τὰ ὀρμήματα ἐώκει, adeo fœde & deſperate depravata ſint, ut nec ſyn-

ſyntaxeos regulas obſervent, nec ullum ſanum ſenſum contineant, ne ipſa quidem verſione commode ſatis exprimi poſſunt. Janus ergo Rutgerſius, V.C. quo loco huic vulnerato & pæne inſanabili commodam adhiberet medicinam, legendum eſſe conjiciebat pro τὰ ὀρμήματα ἐώκει, *ταύρου μυκήματι ἐώκει*, *taurino mugitui ſimilis erat*, ſcilicet ſonus ille horribilis ex Oncheſtia palude emergens. Idque opportune probabat & validiſſimo quaſi fulcro roborabat ex Diodori Siculi Lib. XVII. qui de iisdem agens prodigiis, ſequ item in modum ſcripſit: Τὴν ἐν Ὀγχηστῷ λίμνην μυκήματι παραπλήσιον φωνὴν ἀφιέναι, *lacum ad Oncheſtum emittere vocem mugitui ſimillimam.* Hæc quidem ille ingenioſiſſimus, elegantiſſimus & κριτικώτατος Rutgerſius, Lib. III. Var. Lect. cap. 1. Quæ quum tanta veri ſpecie blandirentur, tamque concinnum & præclarum ſenſum redderent loco depravatiſſimo & obſcuriſſimo, graviſſima inprimis Diodori Siculi auctoritate adjutum & confirmatum; factum eſt, ut hæc conjectura Rutgerſiana tantum non pro certa, indubitata, immo divina prorſus, certatim acciperetur ab omnibus fere eruditiſſimis Viris, quibus hæ manſuetiores & cultiores litteræ in deliciis eſſe ſolent.

Ut enim Jo. Schefferi, Tan. Fabri aliorumque conſenſum & aſſenſum unanimem hic taceam; adeo usque ea placuit præſtantiſſimo Jac. Perizonio, ut jure quaſi civitatis illam donaret, & in contextum adeo ipſum ſecurus reciperet, quod illuſtre exemplum ſequi haud dubi-

dubitavit Cl. & nobis amiciſſimus Abr. Gronovius, in recentiſſima ſua & ſplendidiſſima Æliani Editione, dono nobis olim præſentibus benigne ab ipſo oblata, quod grati fatemur. Et ut libere pronunciem, eſt quidem illa emendatio tam ingenioſe & feliciter excogitata, tam dextro Apolline & faventibus Muſis reperta atque e tenebris eruta, ut neminem (niſi quem tranſverſum tetra egerit invidia,) repertum iri confidam, quin Rutgerſium ea ipſa omnium doctorum plauſus & encomia jure promeruiſſe lubens confiteatur. Neque ſane is ego ſum, qui tam præclarum inventum temere ſollicitare velim, aut ſummam hujus emendationis probabilitatem in dubium vocare audeam; ipſe quippe impenſe faveo ingenioſiſſimo huic Rutgerſii ϛοχασμῷ. Quod ſi tamen poſt tot præſtantiſſimorum virorum communem conſenſionem & votivos applauſus, vel mihi adhuc hiſcere liceat; quædam etiamnum circa laudatum Æliani locum τὸν περιμάχητον, monenda ſupereſſe videntur, quæ pace divinorum illuſtris Rutgerſii manium, ea, qua decet, modeſtia & veneratione, proponere nunc mihi quæſo integrum ſit. Primo, licet locus Æliani ita reſtituatur, quomodo præceperat Rutgerſius; nondum tamen bene & apte inter ſeſe cohærent antecedentia cum ſubſequentibus. Ita enim ille ſcribebat: ἡ μὲν γὰρ ἐν Ὀγχηϛῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε καὶ συνεχῆ, καὶ ταύρου μυκήματι ἐῴκει, h. e. ut ipſe vertebat quidem, *Nam Oncheſtia palus ſonum horribilem continuumque edidit, quique taurino*

rino mugitui ſimilis eſſet. Quæ verſio elegans quidem eſt & venuſta; plus tamen dicit, quam in ipſo extat contextu: nempe vel ἦχος deeſt, quod præceſſit, vel ὅς, a quo regi debebat omnino ſequens verbum ἐώκει. Licet enim concedamus, repeti hic poſſe vocem ἦχος, ἀπὸ κοινοῦ, ut Græci loquuntur, quia ea modo præceſſerat; illa tamen conſueta alias regula ægre hic locum habere videtur, quia ἦχον, accuſandi caſu, dixerat Ælianus, non ἦχος. Si enim ita ſcripſiſſet: Ἐν τῇ ἐν Ὀγχηστῷ λίμνῃ φοβερὸς ἦν ἦχος καὶ συνεχὴς, καὶ ταύρου μυκήματι ἐώκει, aut ſimile quid; tum ſane omnia plana forent & ſcite cohærerent. Verum quum aliter nunc ſcriptum ſit, aut ſcribendum fuerit, ex Rutgerſii quidem ſententia; aures puro & ornato Græciſmo imbutæ (qualem quidem in his Æliani Libris ubique ad admirationem usque deprehendere licet,) ipſæ quaſi μύκημα quoddam & inſuavem ſonum ægre percipere videntur, quum verba illa hiulca & cum antecedentibus minus cohærentia, καὶ ταύρου· μυκήματι ἐώκει, legere audiunt. Aut igitur ſcribendum erat in hoc Æliani loco: φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε καὶ συνεχῆ, καὶ ταύρου μυκήματι εἰκότα, aut alio modo, ὅς καὶ ταύρου μυκήματι ἐώκει, nempe aut hoc, aut illud poſtulabant omnino elegantioris ſyntaxeos regulæ & ipſa univerſa contextus συνάφεια. Etſi enim non nego, ejuſmodi ἀνακολούθους ſententias & conſtructionum mutationes paſſim occurrere in iis Auctoribus Græcis, qui de rebus magis ſolliciti, quam verbis, paullo negli-

gligentius & oſcitantius circa ſtili elegantias & veneres verſati ſunt, ut videre eſt in Plutarcho, Athenæo, Diogene Laërtio, Suida & aliis recentioris ævi Scriptoribus; illa tamen illaudabilis licentia ferenda nequaquam videbatur in Æliano Atticarum elegantiarum ut ſtudioſiſſimo; ita & callentiſſimo, qui eum potiſſimum in finem, uti notum, ſcripſiſſe perhibetur, unice ut placeret delicatioribus auribus, reſque propter verba magis proponeret; quam verba propter res conquireret.

Deinde duriuſculum omnino videtur, *μυκήματα*, (quomodo jam Geſnerus legendum vidit,) mutare cum Rutgerſio, in *μυκήματι*; nam *μυκήματα* potius, aut ſimile quid, legi debere, antecedens articulus *τὰ*, ex quo *ταύρε*, exſculpſit Rutgerſius, manifeſto evincit. Hoc etſi levius videbatur; non tamen hoc loco omittendum plane erat.

Ex hactenus ergo allatis clariſſime nunc patere arbitror, Rutgerſianam hanc emendationem, utut ingenioſiſſime & feliciſſime excogitatam & contextui hinc convenientiſſimam; non tamen uſque quaque ita eſſe comparatam, atque omnibus numeris abſolutam, ut ex mente Cl. Perizonii, in ipſum Æliani contextum tuto recipi mereatur: eam enim arduis quibusdam difficultatibus adhuc premi, liquido, putem, jamjam fuit evictum atque demonſtratum.

Aliam ergo adhuc viam ineundam eſſe cenſeo, qua ad probabilem ſaltim loci depoſiti emendationem perveniri poſſit.

Non

Non enim vitium ſolum circa vocem ὁϱμήματα, hærere videtur; quam potius circa poſtremum verbum ἐώκει.

Igitur, ne Lectores per longiores ambages diutius teneam; integrum hunc locum ita conſtituendum arbitror: ἡ μὲν γὰϱ ἐν Ὀγχηςῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε καὶ συνεχῆ, καὶ τὰ ὠρυώματα ἤκε, hoc quidem ſenſu: *Oncheſtia enim palus horribilem continuumque ſonum edebat; & rugitus* ſive *mugitus emittebat*, ſententia, ita ſim felix! perſpicua, clara & loco controverſo ac commodatiſſima. Nam licet & τὰ βρυχήματα, quod idem valet, ac *rugitus* & *mugitus*, item τὰ βροντήματα, *tonitrua*, vel τονθορύσματα, *murmura*, vel τὰ ὀλολύγματα, *ululatus*, vel βορβορύγματα aut κορκορύγματα, *fremitus* & *mugitus*, vel τὰ βριμήματα, *fremitus*, vel denique τὰ μορμυρίσματα, *ſtrepitus*, & ſimilia plura, quæ taceo jam, facili negotio legi poſſet; placet tamen alterum τὰ ὠϱυώματα, multo magis.

Neque ſane a priſcis litterarum veſtigiis nimis longe hic diſceſſum: quid enim quæſo, facilius, ac probabilius, quam τὰ ὁϱμήματα, mutare in ὠϱυώματα, & ἐώκει, in ἦκε?

Sunt vero τὰ ὠϱυώματα, non ſolum leonum rugitus; ſed & luporum, canum, aliorumque animalium ululatus & lamentabiles ejulatus; nempe a verbo ὠϱύω, ὠϱύομαι; hinc bene Heſychius: ὠρυομένων, κραζόντων, κυρίως δὲ ἐπὶ λιμῷ κλαιόντων λύκων, ἢ λεόντων, ἢ κυνῶν, & mox: ὠρυγὴ, φωνὴ, θόρυβος, κυρίως δὲ ἡ τῶν κυνῶν φωνὴ, &c. Unde nunc

nunc clare perſpicitur, τὰ ὠρυώματα, in genere denotare mugitus, ululatus & lamentabiles ſonos: quemadmodum & alterum μυκήματα, quod Rutgerſio placebat, non boum ſolum mugitum ſignificat, ut illi quidem videbatur; ſed & aliorum animalium terribilem, raucam & obtuſam vocem, vel mugientem ſonum indicat, μυκᾶσθαι enim, iterum inquit Heſychius, (a quo derivari notum eſt τὸ μύκημα,) ὄνοις καὶ καμήλοις ὁμοίως βρύχεσθαι καὶ βοᾶν. Immo & ipſi homines triſtes & lamentantes μυκᾶσθαι dicuntur, & μυκηθμὸς inde pro ejulatu lugubri eorum accipitur: hinc Perſina poſt inventam filiam Charicliam, μυκηθμῷ τινι προσεοικὸς ἀνωρύετο, apud Heliodorum, Æthiop. Lib. X. pag. 480. quomodo & Apulejus Metamorph. Lib. VIII. pag. 204. de afflictiſſima Tlepolemi vidua Charite: *ferinos mugitus reiterans.* Quin & eleganter de tubæ clangore dicitur μύκημα. Manetho, Lib. V. Apoteleſ. v. 162. Ἄλλῳ δ' ἐκ ςομάτων κελαδεῖ μυκήματα σάλπιγξ, quomodo eundem plane in ſenſum, *longas emugit buccina voces*, Latine dixit Cornel. Severus in Ætna.

Inde nunc liquet, præter neceſſitatem, in emendatione Rutgerſiana, adjectam eſſe vocem ταύρου; nihil enim tale apud Diodorum Siculum, qui potius ſolam vocem μύκημα, adhibuit, non addito τῷ ταύρου, dum ita ſcribebat: μυκήματι παραπλήσιον φωνὴν ἀφιέναι; quo ipſo omnem in genere flebilem, lamentabilem & mugientem ſonum indicare voluiſſe

videtur; quam quidem in ſpecie ſolum boum mugitum & boatum ταυροφθόγγον, ut quidem viſum Rutgerſio in ſua conjectura. Ammianus tamen Marcellinus ita loquitur Lib. XVII. *Mycematiæ ſonitu audiuntur minatorio, quum diſſolutis elementa compagibus, ultro adſiliunt vel relabuntur, conſidentibus terris. Tunc enim neceſſe eſt velut taurinis reboare mugitibus fragores fremitusque terrenos*, ubi vid. Valeſ. & alios: Idem fere habet Ariſtoteles, in Problemat. XXVI. quem locum hic laudat ipſe Rutgerſius, & alium ex ejusdem Libro de Mundo, Adr. Junius, Animadverſ. Lib. III, cap. 15. pag. 155. & Bonaventura Vulcanius, in Notis, ad Agathiæ Hiſt. Juſtiniani, pag. 15. Alias enim nihil de boum proprie mugitu Auctores commemorant, ubi de ejusmodi oſtentis & prodigiis loquuntur; ſed terras, ſive cavernas ſolum mugiiſſe indicant. Ita Seneca Troadibus:

Cum ſubito cæco Terra mugitu *fremens*
Concuſſa, cæcos traxit ex imo ſonos.

& in Thyeſte:

\- - - *imo* mugit *e fundo ſolum.*

Virgilius, Æn. Lib. IV, 490.

\- - - - mugire *videbis*
Sub pedibus Terram.

Accedat Claudianus, Lib. II. in Eutrop. v. 24.

\- - - - mugitus *ab alto*
Redditus, infernas rabies arcana cavernas
Vibrat. &c.

Tre-

Trebellius Pollio in Gallien. duob. Cap. V. *Auditum præterea tonitruum* terra mugiente, *non jove tonante*, hoc eſt, ὥσπερ χθονία βροντὴ ἐκ τῆς γῆς ἀναπεμπομένη, ut ſimilem calamitatem græce ſic ſcite exprimit Agathias, Libro modo laudato V. pag. 140. Vel ἠχὼ χθόνιος, ὡς φωνὴ Διός, ut eleganter ait Euripides, loco mox laudando, ſed hæc obiter. Seneca etiam Lib. VI. Quæſt. Nat. Cap. 13. *Antequam Terra moveatur, ſolet* mugitus *audiri, ventis in abdito tumultuantibus.* Sed clarius adhuc Apulejus, Lib. de Mundo, pag. 65. *Mycetias vocatur tetri rudoris inquietudo terrena. Audiuntur* mugitus, *interioribus gemitibus expreſſis, cum ſpiritus invalidus ad terram movendam, per aperta telluris inventis itineribus, progreditur,* ubi vid. Elemenhorſt. pag. 87. unde & Jo. Saresberienſ. in Policrat. Lib. I. cap. ult. *cum terræ* mugitus *auditur, amaris eventibus condolet*, ubi vid. plura. Julius denique Obſequens, de Prodig. cap. XCV. *Terra cum* mugitu *tremuit*, apud quem, ut & Livium, Suetonium, Dionem Caſſium, Ammianum Marcellinum aliosque plura id genus oſtenta crebro occurrunt; nolo enim majorem teſtimoniorum vim præter neceſſitatem hic addere, quum jamjam allata jure nimia videri poſſint.

Quum igitur & Diodori μύκημα, & noſtrum ὠρύωμα, omnem in genere fremitum, gemitum, ululatum & lamentabilem ſonum denotet, ut modo oſtenſum; illico nunc pateſcit, ſupervacuam potius fuiſſe Rutgerſii additionem τοῦ ταύρου, quam neceſſariam.

Porro, quando τὸ ἐώκει, mutandum nobis viſum in ἧκε, utriusque ſane convenientia non longius quidem petenda; ſed mox potius in ipſos oculos incurrit. Eſt vero hoc ſimplex ἧκε, vel ἧκεν, idem ac compoſitum ἀφῆκεν, vel ἐπαφῆμεν, teſte Heſychio, ita ſcribente: ἧκεν, ἀφῆκεν, ἔβαλεν, ἔπεμψεν, ἐπαφῆκεν: ἧκε ergo hic idem eſt, ac *emiſit*, *ejecit*, *extulit*, &c. quod exactiſſime iterum quadrat ad Diodori Siculi deſcriptionem, apud quem legitur, ut ſuperius notatum, φωνὴν ἀφιέναι, quemadmodum ſic φωνὴν ἱέναι, vocem emittere, dixerunt Plato atque Thucydides, unde noſtrum eſt ἧκε, ut notum. Huc vero & quoad ſenſum, & ipſa adeo verba vel maxime ſpectat ſequens Euripidis locus in Hippolytó Coronigeró, v. 1200.

Ἐνθέν τις ἠχὼ χθόνιος, ὡς φωνὴ Διὸς,
Βαρὺν βρόμον μεθῆκε, φρικώδη κλύειν.

Inde quidam ſonitus ex terra, ſicut vox Jovis (tonantis,)
Emiſit vehementem fremitum, horribilem auditu.

Atque hæc quidem noſtra de hoc Æliani loco eſt ſententia, quam modeſte æquæ Eruditorum Cenſuræ ſubmittimus; nemini vero temere aut arroganter obtrudimus, quia plurimum ſuſpicionum; nihil vero aut parum certi in his litteris regnare novimus. Interim unicuique licet ſuas conjecturas proferre, modo id fiat ſine dictatura, arrogantia, ſtomacho, aut turpi obtrectandi & convitiandi ſtudio,

quod

quod omnino longiſſime abeſſe debet ab omnibus humaniorum litterarum cultoribus.

Sed ut illuc redeam, unde pauliſper digreſſus fui; & alia mihi ſubnaſcebatur conjectura, qua legendum putabam, τὰ ὠρυώματα ἠχῆ, h. e. *mugitus acutos*, ἠχέα enim per ὀξέα, exponit Heſych. & ἠχὲς per ὀξὺ, tumque hæc verba conſtruenda adhuc atque regenda forent ab antecedente verbo, ἀνέδωκε, quæ conjectura etiam non plane abſona videtur.

Poſſet denique etiam legi, καὶ τῷ ὠρυώματι ἐώκει, ut verbum ἐώκει, ſervetur, quod feciſſe Rutgerſium ſuperius obſervavimus: Quia vero hoc modo rotundæ alias periodo vim inferri, atque concinnam ſyntaxeos elegantioris harmoniam temere interrumpi, ſupra, perſpicue, opinor, oſtendimus; hanc emendationem præ altera, merito repudiandam eſſe exiſtimamus.

Nunc vero ſub finem omnia hactenus late diſputata in arctiſſimum quaſi punctum contrahamus, ut Lector uno quaſi intuitu, de omni controverſiæ ſtatu informatus, eo citius eoque melius judicium ferre valeat.

Locus igitur Æliani olim ſic in omnibus Codicibus legebatur:

> Ἡ μὲν γὰρ ἐν Ὀγχηςῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε καὶ συνεχῆ, καὶ τὰ ὁρμήματα ἐώκει.

Quem adeo miſere depravatum & omni ſano ſenſu vacuum ita poſtea reſtituebat Jan. Rutgerſius, fauſto aliquo ſidere afflatus:

> Ἡ μὲν γὰρ ἐν Ὀγχηςῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε καὶ συνεχῆ, καὶ ταύρυ μυκήματι ἐώκει.

Nos denique hunc in modum verba conſtituenda cenſebamus:

> Ἡ μὲν γὰρ ἐν Ὀγχηςῷ λίμνη φοβερὸν ἦχον ἀνέδωκε καὶ συνεχῆ, καὶ τὰ ὠρυώματα ἤχει.

Quæ ergo ex his conjectura contextui depravato magis reſpondeat, minus violenta ſit, concinnioremque ſenſum efficiat; ipſe nunc viderit Lector, judiciumque ferat ex æquitate; ego meliora monitus, ſemper paratus ſum ſequi, qua certius itur ad veritatem.

Sed jam multum longumque viæ confecimus; ideo anhelantes & ilia quaſi ducentes, requieſcamus hic pauliſper, donec animus viresque ad progrediendum redierint.

Superſunt enim adhuc plura, quæ pertractanda nobis ſunt, priuſquam optatam curſu contingere metam poſſimus, quam tamen nobis in hoc Libro Quarto præfiximus, ſi Deo quidem ita viſum fuerit, a cujus nutu humana pendent. Non quidem, quaſi hæc ſola eſſent, quæ produceremus, nihilque in noſtra qualicunque penu reconditum foret amplius, his ipſis ſi non melius; tamen non deterius, quod in publica commoda, aut oblectamenta, expromere & diſpenſare liceret: ſed potius quia partim ſic libuit; partim quoque graviorum negotiorum interventus ſic imperavit,

ravit, nosque ab amœnioribus his ſtudiis ad ſeveriora argumenta expendenda avocavit.

CAPUT II.

Cornelius Tacitus bis emendatus.

REdeundum jam pauliſper ad Tacitum, ex promiſſo ſcilicet noſtro, ſupra Lib. III, cap. 22. facto. Nondum enim omnia perſanata ſunt vulnera, graviſſimo huic ſcriptori & ab ævi obſcuritate, & ab librariorum imperitia aut alio caſu, inflicta, nec ſanabuntur omnia, ſine meliorum & pleniorum Codicum auxilio, quod dolendum.

Lib. III, Hiſtor. 58. de Vitellio ſibi de imperio & capite amittendo anxie metuente, atque a ſenatoribus equitibusque turpiter deſerto, hæc leguntur: *Dilabi paullatim Senatores equitesque, primo cunctanter, & ubi ipſe non aderat; mox contemtim & ſine diſcrimine.* Poſtrema hujus periodi ex emendatione Pichenæ ſunt, laudata Lipſio, Grutero & aliis, quia ingenioſa videbantur, quod facile largior. In MSto tamen Florentino ita exhibentur; *Contenti mæſtive diſcrimine*, ex quibus ego fecerim, *contente* vel *confertim, poſitoque diſcrimine*, h. e. acriter, & omni depoſito diſcrimine, vel, *conferti muſtique ſine diſcrimine*, vel denique ſic potius locum conſtituerim, *mox contemta majeſtate, ſine diſcrimine*, ſenſu ubique commodo & loco convenienti, quemcunque demum Lector ex his tribus elegerit.

Lib. V. Hiſtor. Cap. 1. de Tito Veſpaſiano jam & per patrias virtutes, & per proprias magis, ad imperium adſpirante, hunc in modum noſter loquitur Hiſtoricus: *Atque ipſe, ut ſupra fortunam crederetur, decorum ſe promptumque in armis oſtendebat.* Hic vero hoc *ſuper fortunam*, Lipſianum eſt εὕρημα, quo mire ille exſultat, aliis approbantibus, aliis, ut fit, rejicientibus, aliaque ſubſtituentibus, ut ex Variorum Notis, in Editione Gronoviorum patet. Budenſis enim Codex habebat *ut ſuperior unam crederetur;* Vaticanus vero, *ut ſuperiori unam crederetur:* unde mihi nunc legendum videtur, *ut ſuperior animo crederetur*, id eſt, ut publice oſtenderet Veſpaſianus, nihil quidquam tantam in eum valuiſſe fortunam, ad quam evectus erat, ut animum mutaret elatioresque ſpiritus gereret, quod vulgo fieri ſolet, mutata in melius altiusque fortuna, & hoc eſt id ipſum, quod in ipſo Veſpaſiano ſplendide laudat Plinius, in Dedicatione operis æterni: *Nec quidquam in te mutavit fortunæ amplitudo, niſi ut prodeſſe tantundem poſſes, ac velles.* Quemadmodum de Mario Metellus apud Salluſt. de Bell. Jugurth. Cap. 64. *neu ſuper fortunam animum gereret:* quin potius illud ſecum perpendens Publii Syri aut Laberii, *Fortuna jus in hominum mores non habet*, decorum ſe promtumque in armis oſtendebat Veſpaſianus, comitate & alloquio officia provocans, ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto ducis honore, ut in ſequentibus eleganter noſter loquitur Tacitus.

Quale

Quale fere etiam de Valerio Corvo commemorat Livius, Lib. VII, cap. 33. his quidem verbis, dignis omnino ob ſingularem venuſtatem, quæ & hic legantur: *Non alius militi familiarior dux fuit; omnia inter infimos militum haud gravate munia obeundo. In ludo præterea militari, quum velocitatis viriumque inter ſe æquales certamina ineunt, comiter facilis, vincere ac vinci vultu eodem; nec quenquam aſpernari parem, qui ſe offerret, factis benignus pro re, dictis haud minus, libertatis alienæ, quam ſuæ dignitatis, memor.* Simile huic de L. Sulla, habes etiam apud Salluſt. de Bell. Jug. cap. XCII. ſed nolo locum adſcribere, quia hæc obiter ſaltim, & ornamenti potius gratia, quam neceſſitatis cauſſa, a me hic adjiciuntur.

CAPUT III.

Corruptus Diogenis Laërtii locus contra Merici Caſauboni & Joach. Kühnii ſententiam, correctus. Hippocrates loco aliquo corruptiſſimo emendatus.

LOcus obſcuriſſimus & de gravi mendo ſuſpectus occurrit apud Diogenem Laërtium, in Vita Menedemi, Lib. II. Segm. 130. pag. 155. de importuna & inepta loquacitate Menedemi, in convivio ſolenni, adverſus Nicocreontem Tyrannum.

Verba ipſa hæc ſunt: ἔτι καὶ μᾶλλον ἀτειρότερον ἐνέκειτο (Μενέδημος) δειπνῶς ἐπὶ τῆς θυσίας. Ubi merito hærent & æſtuant Viri

U 5 docti

docti circa voces, ἐπὶ τῆς θυσίας. Mericus tamen Caſaubonus locum ſanum eſſe conjicit, & θυσίαν hic explicat per convivium vel epulum poſt ſacrificium ex more ſolenni apparatum. Sed hoc etiam conceſſo; (ita enim vox θυσία ſumi videtur apud Arrian. Lib. IV. de Exped. Alex. pag. 257. Edit. Blankard. ut alios jam taceam Auctores plures,) nullus tamen ſenſus commodus exinde emergit; quomodo nec ex Caſauboni patris conjectura altera, legentis, ὡς ἐπὶ τῆς θυσίας, quam tamen probat neſcio quare, Ægidius Menagius, in Commentario. Joachimus igitur Kühnius aliam inſiſtit viam, legendumque hic cenſet ἐπὶ τῆς παῤῥησίας, non inſcite prorſus, niſi violenta nimis eſſet medicina, voxque παῤῥησία hoc modo ad nauſeam uſque crebro nimis repetita eſſet. Mihi ergo legendum potius videtur, pro δεικνὺς ἐπὶ τῆς θυσίας, quod nihili hic eſt, δεικνὺς ἐπιθαρσήσας, nempe ab ἐπιθαρσέω, *ſupra modum audax & confidens ſum*, adeo ut ſenſus loci ſit: *oſtendens infanda audacia & effreni plane inſolentia impulſus, & in ſui perniciem agitatus.* Ita Arrianus Lib. IV. de Expedit. Alexandr. pag. 285. Ὀξυάρτης θαρσήσας ἀφίκετο πρὸς Ἀλέξανδρον, ſed ſenſu meliore & molliore, & Joſephus, Archæol. Lib. III. cap. 15. Μωυσῆς θαρσήσας πάρεισιν, & alibi ſæpius. Talis enim vis atque emphaſis eſt verbi ἐπιθαρσεῖν. Ceterum nemini mirum videri debet, quod duo hic participia ſic dicta unâ copulentur. Ita enim Græcos eleganter loqui ſolere, notum eſſe reor Linguæ peritis. Sic Hip-

Hippocrates noſter, Lib. de Vet. Med. §. XXIX. πυρετὸς διεξιὼν διὰ παντὸς, τελευτάων ἐς τοὺς πόδας μάλιστα, & Lib. VII. Epidem. extrem. Ἐυρὼν κρανίον ὄστεον ἔρημον ἰητρικῆς, ἀπηχήματα κρύφιμα οὐχ ὁρῶν ἐστῶτα, quemadmodum locum illum depravatiſſimum omnium legendum eſſe nunc cenſemus, cujus emendationis rationes ſatis liquidas plenius reddemus alibi, licet olim alia nobis mens fuerit in reſtituendo hoc loco deploratiſſimo, ceu patet ex Epiſtola noſtra Medico-Crit. pag. 15. prætereo ſtudio alia plura in Æliano, Plutarcho, Athenæo, Polybio & aliis crebro obvia. Sed & apud S. Matth. Cap. XI. idem loquendi modus occurrit: ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας τὰ ἔργα τοῦ χριστοῦ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, quomodo & alibi ſæpius in his Libris ſacris. Verum de his hactenus, quaſi in tranſitu, ut moneremus & confirmaremus dubitantes forte, de hac conſtructione Tirones. Jam redeamus ad Ælianum noſtrum. Erit igitur forſan qui legere hic malit, ἐπὶ δυστυχίας, *oſtendens* ſcilicet *in ſui perniciem & calamitatem*, æque bene; priorem tamen emendationem huic poſteriori jure prætulerim. Sed poſſet & legi ἐπὶ θυμηδίας, ex nimia *petulantia* & *joco*, de qua voce vid. Cl. Steph. Bergler ad Alciphron. Epiſt. 12. Lib. I. pag. 51. Succurrit quoque ex laudato Heſychio legendum, ἐπιθειάσας, h. e. *furore percitus*, vel *numine aliquo afflatus*, per τὸ Θεῖον enim δεξάμενος, vel Θεοφορηθεὶς, explicat allegatus modo Heſychius ut & Suidas. Forſan & haud abſurde legi

legi poſſet, δεικνὺς ἀπροσδιόνυσος, *valde intempeſtive & abſurde oſtendens*, vel ἐπὶ διθυμίας, aut ἐπὶ τῆς ἐκθυμίας, de quibus vid. iterum Heſychius. Sed licet hæc omnia aliquanto blandiantur; nolim tamen Lectori temere obtrudere. Ille ex his eligat ipſe, quidquid libuerit magis: nobis quidem ſuffecerit in præſenti, loci hujus & mendam indicaſſe certam, & medelam forſan incertam.

CAPUT IV.

Seneca Philoſophus ſemel emendatus, contra Cl. Gronovii mentem. Luctari, *Latinis*, & ἀγωνίζεσθαι, *Græcis, de moribundis, dicitur.*

Lepida ſane atque acuta Senecæ ſunt verba, Lib. III. Quæſt. Nat. cap. 18. de mullo piſce, ob jucundum oculorum guloſorum quaſi, ſpectaculum, lente necato:

Nihil eſt moriente mullo formoſius. Da mihi in manus vas vitreum, in quo exſultet, in quo trepidet: ubi multum diuque laudatus eſt, ex illo perlucido vivario extrahitur. In his cultiſſimis verbis illud *laudatus eſt*, minus mihi laudabile videtur, licet in alia opinione fuerit magnus Gronovius, avus, Lib. III. Obſſ. Cap. 14. pag. 556. neſcio quam ſingularem emphaſin & venuſtatem in illo quidem quærens; ſed haud facile credo, inventurus. Quare legendum potius mihi videbatur olim: *ubi multum diuque luctatus eſt*, ſcil. mullus exitio ſuo deſtinatus,

atque

atque hinc vitreo carceri & pellucido ergeſtulo incluſus. Non inepte vero me ſic conjeciſſe, antecedentia Capita evincunt clariſſime & prope modum ἀναντιλέκτως. Sic enim Cap. XVII. *Vitreis ollis incluſi offeruntur mulli, & obſervatur morientium color, quem in multas mutationes mors* luctante ſpiritu, *vertit*, videſne hic diſerte, *luctante ſpiritu?* ſed adhuc diſertius, hoc ipſo Cap. XVIII. *Nihil eſt*, inquit, *mullo expirante formoſius. Ipſa* colluctatione *animam agenti rubor primum, deinde pallor, ſuffunditur*, conf. & Plin. Lib. IX, cap. 17. & ibi Harduin. Nam ex illa ipſa mulli de vita periclitantis & in ſummas anguſtias redacti colluctatione & intenſiore niſu & anxietate, illam potiſſimum oriri colorum varietatem gulæ proceribus tantopere expetitam, aperte teſtatur Seneca in locis modo indicatis. *Luctari* vero & *cum morte luctari*, de moribundis dici, ex innumeris fere Veterum locis ſatis conſtat. Ipſe noſter de Conſolat. ad Marc. cap. X. *luctatus cum fluctibus*, dixit, & *cum anima luctatur*, in Apocolocyntoſi, quomodo & ſæpe Plinius aliique loquuti. Vide, que nos nuper admodum diximus ad Cæl. Aurel. in Appendice, ad Commentationem de Pleuritide, pag. 158. Sic & Græci ἀγωνίζεσθαι, dicunt frequentiſſime, quod S. Lucas, Cap. XXII. exprimit per γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, alia ut taceam. Sed quid quæſo plura in re adeo manifeſta? Res ipſa ſane clamat, nec opus eſt, ut multa verba incaſſum profundamus, ubi graviſſima rerum teſtimonia adſunt. Quare verbum amplius hic non adjicio.

CAPUT

Caput V.

Verſus quidam Comici græci veteris deploratiſſimus apud Apulejum, ex probabili conjectura reſtitutus.

Dignus inprimis vindice nodus occurrit in Apuleji Apologia, pag. 98. ubi præclare docetur, ruralem hymenæum lætiorem longe atque gratiorem eſſe oppidano, & villicationem nuptiis ex voto contrahendis magis convenire; quam ſpatioſas & populoſas urbes. En verba Apuleji ipſa adeo concinne per Deum! adeo lapide concepta, ut & hic & alibi legi mereantur: *Uxor ad prolem multo auſpicatius in villa, quam in oppido, ducitur: in ſolo uberi, quam in loco ſterili: in agri ceſpite, quam in fori ſilice: mater futura in ipſo materno ſinu, ac in ſegete adulta ſuper fœcundam glebam: vel enim ſub ulmo marita cubet in ipſo gremio Terræ matris, inter ſoboles herbarum & propagines vitium, & arborum germina. Ubi & ille celeberrimus in comœdiis verſus de proximo congruit* * *. Sed hic latet anguis in herba; hic nempe deficit celeberrimus ille in comœdiis verſus, ad quem provocavit Apulejus, quod appoſita infauſta, nec lucida ſidera, ſive aſteriſci, liquido teſtantur.

In Caſauboni quidem editione nihil deeſſe videtur, quum hæc lacuna ſequentem in modum expleta legatur:

- - - ἔςιν ἀρετῆς καὶ βίου διδάσκαλος
Ἐλευθέρου, τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγρός.

Nempe

Nempe ex Menandro, quam verſum etiam exhibet Editio Elmenhorſt. pag. 330. Scipio vero Gentilis, Vir cetera eruditiſſimus, hic nimis confidenter & inconſiderate ſequentem Philemonis verſum intrudit, eumque ab ipſo Apulejo hic olim inſertum fuiſſe, temere profecto aſſerit, en autem ipſa illa Philemonis verba:

Δικαιότατον κτῆμ᾽ ἐςὶν ἀνθρώποις ἀγρός.

Verum ſexcentas ejuſmodi ſententias Veterum in laudem ruſticationis & agriculturæ, ſimilem in modum inſeri hic poſſe, nemo credo, inficiabitur, qui Stobæum & Florilegium Grotianum, ſimilesque Anthologias vel obiter ſaltim perlegerit: hinc recte eo nomine caſtigatur Scipionis Gentilis facinus a doctiſſimo Pricæo, in Notis ad Apologiam, pag. 190. Immo, ſi veram fateri liceat, neuter horum verſuum ſatis apposite huc allatus fuit a ſummis iſtis viris; non enim probare volebat Apulejus, adducto hoc Comici teſtimonio, agrum juſtiſſimam & innocentiſſimam hominum eſſe poſſeſſionem, quæ ſane utriusque verſus eſt ſententia; quam potius, amœna rura ad placidum amorem molliaque Veneris gaudia potiſſimum invitare, magisque ad amplexus mutuos ſumendos apta & a natura quaſi deſtinata eſſe; quam quidem ambitioſas & tumultuoſas urbes, quod admodum perſpicue patet ex adjectis Apuleji verbis, *ibi & ille celeberrimus in Comœdiis verſus de proximo congruit.* Quomodo enim quæſo de proximo huc congruere

po-

potuiſſet, niſi ejus potiſſimum ſenſus & gnome fuiſſet, in amore placide & jucunde fruendo, agrum longe præferendum eſſe urbi continuo ſtrepitu agitatæ atque hinc moleſtæ & ingratæ? Sed condonandum merito inſigni huic virorum pari, quod locum, quem meliorum codicum defectu, vacuum atque mutilum crediderunt, ex conjectura ita explere ac reſarcire bona fide conati fuerunt.

Quodſi enim notum ipſis fuiſſet, illum ipſum, quem anxie quærebant, Comici verſum extare adhuc in membranis Apuleji Florentinis, ab hoc intempeſtivo emendandi & replendi pruritu ſibi omnino, credo, temperaturi fuiſſent. Iſtum igitur verſum ex laudato Codice Florentino primus, niſi fallor, produxit Cl. Elmenhorſtius in Notis, ad Apologiam Apuleji, pag. 355. & ex eo iterum Pricæus, in egregiis obſervationibus ad Apulej. Apol. pag. 190. Adeo vero fœde corruptus & male acceptus fuit a rudi & græcarum litterarum plane experte librario, ut pro Characteribus potius magicis & ſignis Epheſiis, quam litteris quidem græcis ea haberi poſſint, quæ exarata ibi leguntur, unde & factum, ut nec Elmenhorſtius, nec Pricæus horrendo illi monſtro manus admovere auſi ſint, quod deſperarent omnino, lucis aliquid ex ſpiſſis illis tenebris elici poſſe. Nobis tamen animus nondum plane deſpondendus videtur, licet enim binis his excellentiſſimis viris eruditione & ingenii acumine nos longe inferiores eſſe merito agnoſcamus; audacia tamen & intenſo locum hunc conclamatum

ſanan-

ſanandi ſtudio iisdem aliquanto ſuperiores eſſe, ultro fatemur.

Age igirur, producamus jam iſtum græcum verſum, prout nempe conceptus, aut depravatus potius eſt in laudato Codice Florentino, omnibus quidem apicibus ſervatis:

ΠωαωΝ CπαΡΟΓΟΗΙ ΗΙcΙΟΝe ΗΙcΝΟΡeΙ.

Jam vero addamus noſtram conjecturam iisdem majuſculis litteris exaratam, ut convenientia utriusque ſcripturæ eo luculentius appareat & in oculos incurrat:

ΠοαωΝ ЄΠ' ΑΓΡΩΙ Η ΗΔΟΝΗ CΚΗΝΟΠΟΙΕΙ.

Hoc eſt:

Ποάων ἐπ' ἀγρῷ ἡ ἡδονὴ σκηνοποιεῖ, vel σκῆνος ποιεῖ.

In agro herbarum ſeu *herboſo voluptas tabernaculum facit.*

Quemadmodum fere Cicero, Lib. III. de Oratore, cap. 20. *Qui in una philoſophia quaſi tabernaculum vitæ ſuæ collocarunt*; quo & inprimis pertinet illud Gregorii Nazianz. Orat. XXXVIII. pag. 614. Tom. II. Opp. σκηνοποιοῦντες τῇ γαστρὶ τὰ τῆς θρύψεως. *Ventri in delicias tabernaculum quaſi conſtruentes.* Nunc quæſo conſideret paullo attentius harum rerum apprime gnarus, & accuratam ductus litterarum convenientiam, & ſenſus præſertim huic loco proprii congruentiam; eam ſane utrinque magnam & ſingularem prorſus eſſe, ultro fateatur neceſſe

X eſt.

eſt. Sed objiciat hic forte aliquis, verſum allatum non integrum eſſe: Nec hoc nos inficiamur, quin potius candide & aperte confitemur. Interim tamen perſuaſi fere ſumus, ex his inquinatiſſimis & corruptiſſimis litterarum ductibus nec lectionem meliorem & faciliorem; nec ſenſum commodiorem & huic loco convenientiorem ullo modo elici & conſtitui poſſe. Quam male vero accepta, quam monſtruoſe diſtorta olim fuerint Græca ab imperitiſſimis Linguæ iſtius Librariis, abunde inter alia patet ex aliis hujus Apologiæ locis, item ex Juvenalis, Martialis, Bœthii, Fulgentii, Tertulliani, A. Gellii, Macrobii, ipſius Ciceronis & aliorum Libris, ut doctis notiſſimum. Vid. Reineſ. de Lingua Pun. Cap. XII. pag. 55. Fabricii Bibl. Gr. Lib. II. cap. 8. pag. 385. Elmenhorſt. ad Apulei. pag. 26. 82. 89. 102. & 340. & ibidem Pricæus, pag. 102. add. inprimis Iſ. Voſſii Obſ. ad Melæ L. II. cap. 2. pag. 436. ubi ſingulare exemplum Epitaphii illuſtris canis à Voſſio feliciſſime emendati & interpretati.

Ceterum emendato huic a nobis loco de amore in agris tabernaculum ſuum figente, apprime convenit illa invitatio & exclamatio paſtoralis, apud Virgil. Eclog. X.

Hic gelidi fontes! hic mollia prata, Lycori,
Hic nemus: hic ipſo tecum conſumerer ævo.

Sed & in Cantico Salomonis, & alibi, plura in hunc ſenſum occurrere, nemo eſt paullo humanior, qui neſciat. Inprimis autem huc maxime ſpectat Oariſtys Theocriti, ſive Idyllium

lium XXVII. ſuaviſſimum, de quo vid. Caſp. Barthius, Adverſarior. Lib. IV, cap. 8. pag. 170. ſeqq. De re ipſa legendus quoque Arnoldus, in Commentario ad Val. Catonis Diras, p. 265. 266. Interim nemo facile dixerit, niſi forte numine aliquo afflatus, ad quem proprie Comicum iſte verſiculus aut verſiculi umbra, pertineat, ad Menandrumne, Philemonem, Diphilum, Eubulum, Euphronem, Eriphum, Ephippum, an ad alium Comicorum olim celebratorum, ideo inprimis, quod nulla Nominis mentio fuerit adjecta. Sed ſatis jam de his; ne ipſa noſtra hæc commentatio tanto opere & ſudore concepta rus atque ſtivam juſto plus redolere non nemini videatur. Hinc hæc ſufficiant.

CAPUT VI.

Locus Trebellii Pollionis obſcuriſſimus & corruptiſſimus poſt varias Cl. Salmaſii & Dærvalii incertas plerumque conjecturas, denuo emendatus. Statua Argolica, *obſcurum quid.* Statuæ acrolithæ, *quid proprie?* Ἀκρία Ἀθηνᾶ, &c. & Ἐπάκριος Ζεὺς, *quid proprie? Veterum Statuæ plerumque* fictiles, luteæ, argillaceæ *aut* gypſeæ, *ſæpius tamen* auro, argento *aut* minio *abductæ. Græcis eædem ὀςρακίδες dictæ. Heſychius obiter bis emendatus.* Μαλλιεργὴ, *apud eundem quid? Alia varia interſperſa.*

SEquens inprimis locus Trebellii Pollionis, de triginta Tyrannis, Cap. XXX. eruditos Commentatores mirum in modum torſit, & immane quantum exercuit.

X 2 Ser-

Sermo ibi eſt de Calphurnia, ſancta & venerabili Titi ſcenici Imperatoris, uxore, ejusque ſtatua in Veneris templo collocata; qua de re ita loquitur noſter Trebellius Pollio: *Cujus ſtatuam in templo Veneris adhuc videmus* Argolicam; *ſed auratam.*

Hic neminem credo futurum Lectorum, quin ſtatim anceps dubiusque hæreat ad vocem *Argolicam*, ceu ad præruptum quendam & inacceſſum ſcopulum.

Caſaubonus ergo explicabat de Argivarum matronarum, ſive heroinarum habitu, vel de figura ſtatuariis Argivis frequentata. Sed hoc erat profecto obſcurum per æque obſcurum illuſtrare; quod pace tantiviri maniumdictum ſit! quis enim nunc intelligit, qualisnam habitus fuerit Argivis matronis, aut quemnam ſingularem in modum Argivi ſtatuarii figuras ſuarum ſtatuarum expreſſerint? Hinc Cl. Salmaſius, ſpreta ſummo jure, hac interpretatione, legere hic malebat, *acrolitham*, *ſed auratam*, inprimis, quum plerique Codd. MSSti *acrolicam*, exhiberent, unde unica ſaltim littera mutata, facile admodum exit, *acrolitam*, vel *acrolitham*, ἀκρόλιθον. Sic & columnæ erant *monolithæ*, μονόλιθοι, quarum & meminit Laberius Cophinô, apud Non. Marcell. Voce *Lenis*, pag. 539. ſed aliud nempe eſt *monolithum* & aliud *acrolithum*, quod obiter moneo. *Acrolitha* ergo *ſtatua* eſt ex Salmaſii aliorumque mente, ſtatua tota lapidea, & ex ſolido lapide formata. Verum gratis hæc aſſeruntur, nec ulla auctoritate, aut veritatis

ſpecie

ſpecie nituntur. Acrolithæ enim ſtatuæ eæ potius vocabantur, quæ in ſummo ædium ſive fanorum & delubrorum faſtigio collocabantur, ut eminerent ſcilicet & procul conſpici poſſent, unde Coloſſeæ plerumque magnitudinis erant, ut eo melius & diſtinctius proſpectui paterent, atque ſic vocabantur ἀπὸ τῆς ἄκρας, vel ἀπὸ τῦ ἄκρυ, quod in ſummitate ædium eſſent expoſitæ, vel ἀπὸ τῦ ἄκρυ λίθυ, quod ſuprema quaſi moles lapidea eſſent, quæ ædificio aut delubro fuiſſet impoſita.

Confirmat hæc non obſcure neque invalide Vitruvius, Lib. II. Cap. 8. *In ſumma arce media Martis fanum habens ſtatuam Coloſſi, quam ἀκρόλιθον dicunt*, ubi vid. Commentatores; quem Vitruvii locum in animo habuiſſe Salmaſium, quum ſcriberet, *ſtatuæ ἀκρολίθυ mentionem etiam apud Plinium extare ſcio; ſed nunc locus non ſuccurrit*, admodum credibile eſt; Verum memoriæ lapſu, Plinium ſcripſit pro Vitruvio; nam apud Plinium ne verbum quidem de ejusmodi ſtatuis ἀκρολίθοις legitur, Ex eadem vero ratione iſtiusmodi ſtatuas ἀκρολίθυς, Ἀκρίας quoque fuiſſe appellatas, clariſſime patet ex Heſychio, ita ſcribente: Ἀκρία, ἡ Ἀθηνᾶ ἐν Ἄργει, ἐπὶ τινος ἄκρας ἱδρυμένη, ἀφ᾽ ἧς καὶ Ἀκρίσιος ὠνομάσθη, ἐςι δὲ καὶ ἡ Ἥρα, καὶ Ἄρτεμις, καὶ Ἀφροδίτη προσαγορευομένη ἐν Ἄργει κατὰ τὸ ὅμοιον ἐπ᾽ ἄκρῳ ἱδρυμέναι: idem rurſus alibi: ἐπάκριος Ζεὺς, ὁ ἐπὶ τῶν ἄκρων τῶν ὀρῶν ἱδρυμένος. ἐπὶ γὰρ τῶν ὀρῶν τὺς βωμὺς αὐτῷ ἵδρυον ὡς ἐπι-

X 3 πολὺ,

πολὺ, plura hac de re apud Seldenum de Djs Syris, Voſſ. de Idololatria, Claſſen. & alios.

Si igitur acrolithæ eæ tantum ſtatuæ vocabantur, quæ in ſummitate templorum, arcuum, ædium, aut montium denique, nude omnium conſpectui eſſent expoſitæ, ut clare hactenus demonſtratum; quomodo quæſo hæc Calphurniæ ſtatua in medio Veneris templo collocata & profanorum oculis ſic ſubtracta, commode appellari potuit acrolitha? Liquet ergo ex his affatim, ingenioſam potius hanc eſſe Salmaſii conjecturam; quam veram & plauſu doctorum dignam. Quare non fuit, quod nimis forte confidenter ſcriberet: *Non poterat felicius hic locus emendari;* immo non poterat infelicius, inquam ego, pace quidem ipſius, ut ex hactenus dictis luce meridiana propemodum clarius patet.

Quæ quum pariter animadverteret doctiſſimus Gallus, Baudelot de Dairval, in eleganti ſatis libello, de l'utilité des Voyages, ſive de utilitate ex peregrinationibus capienda, Tom. I. pag. 174. ſqq. multa quoque variaque de controverſo hoc Trebell. Pollionis loco diſſeruit, eumque diverſis modis explicare conatus eſt. Putat nimirum primum, ſtatuam Argolicam idem eſſe, ac ſtatuam lugubri habitu indutam, & tamen ſimul, quod jure mireris, auratam: poſt hæc longam fabulam de ludis Nemæis, de coronis ex apio, de lugubri judicum & brabevtarum habitu, aliiſque rebus, nec ignotis, nec ad hunc locum vel hilum facientibus, pertexit. Deinde miſſa hac, levi ſane, conjectura,

jectura, exiſtimat, Argolicam ſtatuam idem eſſe poſſe, ac Junoni Argivæ ſimilem, idque ex Pauſania probare conatur, pariter infeliciter & coacte, quum nec hoc quidquam faciat ad explicationem loci Trebelliani. Denique legendum ſuſpicatur, *argolitham ſtatuam*, nempe ἀργόλιθον, ab ἀργὸς & λίθος, quaſi *ex albo lapide fabricatam.* Sed hoc ſane inconvenientiſſimum.

Græci enim non formant ἀργόλιθον, ſed potius λίθαργον: ſic κνήμαργος, λέϖαργος, Νίφαργος, χήλαργος, πύγαργος, πόδαργος, & ſimilia apud Lexicographos obvia; non autem vice verſa, ἀργοκνήμος, ἀργόλεπος, ἀργόνιφος, ἀρχόχηλος, ἀργόϖυγος, ἀργόϖες; Heſychius tamen ἀργιόδοντος, explicat per λευκὲς ὀδόντας ἔχοντος, ſed hoc rarius omnino, quamvis occurrant σύες ἀργιόδοντες, apud Manethon. Lib. IV. Apoteleſmat. v. 616. ex Homero ſcilicet, Odyſſ. Lib. XI, & alibi, quomodo pariter Hebræis eſt, לבן־שנים ſed hoc obiter. Verum licet & nihil vitii ineſſet huic compoſitioni ἀργόλιθον; minus tamen probabile videtur, Trebellium, ſcriptorem ſatis rudem & incomtum, vocem græcam præter neceſſitatem, hic adhibuiſſe; quum dicere commodius longe planiusque potuiſſet, ſtatuam ex candido aut niveo lapide; & quid quæſo opus erat adjicere, ex albo lapide illam fuiſſe ſtatuam efformatam, quum mox ſequitur, quod aurata fuerit?

Omnes igitur, ut verbo dicam, hæ conjecturæ Dærvalianæ loco huic Trebelliano ſcite illuſtrando parum aut nihil potius, inſerviunt, quare nulla earum habenda eſt ratio, quod tamen inviti & coacti fatemur, qui doctrinam, diligentiam & inprimis modeſtiam Viri nobiliſſimi plurimum ex merito æſtimamus & veneramur. Hoc interim certum, latere hic ſub voce *Argolicam*, materiam illam, ex qua elaborata fuerit iſta Calphurniæ ſtatua, quum illud adjectum *auratam*, ad externam ſaltim formam atque ornatum unice ſpectet.

Miſſis igitur aliorum hariolationibus, mihi hic legendum videtur: *Cujus ſtatuam in Templo Veneris adhuc videmus*, argillaceam, *ſeu* argilloſam; *ſed auratam.* Quid ergo nunc planius, quid ſimplicius, quid obſecro huic loco accommodatius?

Nempe ex argilla, ſive luto & terra fictili olim deorum heroumque ſtatuas frequentius formatas & effigiatas fuiſſe, quum colerentur adhuc religiones pie magis, quam magnifice, ut Livius ait, Lib. III, cap. 58. vid. inprimis Dionyſius Hal. Lib. II. pag. 93. quis eſt, qui neſciat, aut negare auſit? inde enim Artemidorus in Oneirocrit. Lib. II. cap. 44. pag. 140. inter alia refert, ἀγάλματα ὀςράκινα καὶ πήλινα, *ſtatuas teſtaceas & fictiles*, ſive ſtilo Lactantii in Epit. Inſtitut. cap. 25. *fictilia ſimulacra:* qui & alibi *deorum fictilium* meminit, ut *ſignorum fictilium*, ipſe Vitruvius, Lib. III, cap. 2. pag. 81. πηλίνυς εἰκόνας, habet etiam Dio Chryſoſt. Orat. XXXI. p. 356. Si quis tamen ſit, qui

qui ea de re adhuc dubitet, is audiat quæſo Plinium, Lib. XXXV, cap. 12. his quidem verbis: *Ejusdem opere terræ fingere ex argilla ſimilitudines Dibutades Sicyonius figulus primus invenit Corinthi, filiæ opera, quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam, in pariete lineis circumſcripſit: quibus pater ejus impreſſa argilla typum fecit, & cum ceteris fictilibus induratum igni propoſuit*, &c. ubi & plura hanc in rem, quam & enarrat Athenagoras, in Legatione pro Chriſtianis, pag. 59. ubi filia illa Κόρη vocatur, & redditur in verſione *Core*, quaſi eſſet nomen proprium, quum tamen ſi Plinio fides habenda, vertendum potius eſſet *puella*, nempe illa Dibutadis filia. Vid. & Fred. Morelli Notas ad Dionis Chryſoſt. Orat. XXXI. pag. 96. Ibidem Plinius, paucis interjectis: *Fictilem Jovem fuiſſe, & ideo miniari ſolitum: fictiles in faſtigio templi ejus quadrigas. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in urbe tenet.* (ſcilicet *Hercules fictilis*, aut *argillaceus*, vid. Martial. Epigr. 178. Lib. XIV.) *Hæ enim* (nempe fictiles aut argillaceæ,) *tum effigies Deûm erant laudatiſſimæ. Nec pœnitet nos illorum, qui tales deos coluere. Aurum enim & argentum ne diis quidem conficiebant*, ubi vid. in Notis Harduinum. Idem Hiſtoriæ naturalis conditor, Lib. XXXIV, cap. 7. *Cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, lignea potius aut fictilia Deorum ſimulacra in delubris dicata, uſque ad devictam Aſiam, unde luxuria*, & iterum Libro XXXVI, cap. 2. *Tacuere tantas moles in privatam domum*

X 5 *trahi*,

trahi, præter fictilia Deorum faſtigia; ſed ſatis jam de Plinio, apud quem plura hanc in rem paſſim. Vid. & Liv. Lib. XXXIV, cap. 4. Accinat his Juvenalis, Sat. XI, 115. ſqq.

Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis, *& nullo violatus Juppiter auro.*

Ubi vid. Grangæus in Notis, & alii Commentatores; ſic & Propertius, Eleg. I. Lib. IV.

Fictilibus *crevere* Deis *hæc aurea templa.*

Ubi vid. varias Doctorum virorum Obſervationes, ut & Caſp. Barthii Adverſ. Lib. XLII, cap. 28. pag. 1923. Huc & Seneca, Epiſt. XXXI. *Cogita Deos, quum propitii eſſent*, fictiles *fuiſſe*, & de Conſolat. ad Helviam, Cap. X. *Itaque tunc per* fictiles Deos *religioſe jurabatur.* Omitto plura hunc in ſenſum crebro paſſim occurrentia, vid. IV. Verrinam Cic. & alibi, item Ovid. I. Faſt. 202. & ibi Commentatores, huc forte etiam alluſerit Cicero in Piſonem: *Quid ceſſat homulus ex argilla & luto factus Epicureo*, etſi me non fugit, aliter quoque id accipi poſſe & ſolere. Quis enim quæſo Veterum neſcit querelam de qua & vid. Rittershuſ. Sacr. Lect. Lib. VIII. cap. 9. pag. 601. aureos tum fuiſſe homines, quum fictiles eſſent dii; fictiles contra & nullius pretii homines, quum aurei eſſent dii? Sed & Græci ejusmodi deorum & ſtatuarum fictilium & argillacearum ſæpius faciunt mentionem, ſive *πηλίνων ὁμοιωμάτων καὶ κοροκοσμίων*, ut Clemens Alexand. loquitur in protrept. pag. m. 29, Pauſanias in Atti-

Atticis pag. m. 38. Edit. Fr. Sylburgii Francof. apud Wechel. τῷ δὲ ἀγάλματι τοῦ Διὸς πρόσωπον ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ, τὰ δὲ λοιπὰ πηλοῦ τέ ἐστι καὶ γύψου, *ſtatuæ vero Jovis facies eſt ex ebore, & auro, reliqua vero ex argilla ſunt atque gypſo*; quemadmodum nempe illa imaginaria ſtatua, Nabachodonoſori quondam per quietem oblata, ut legitur apud Danielem. Sed plura ſimilia huc facientia occurrunt paſſim apud laudatum modo Pauſaniam, quæ tamen omnia exſcribere jam nec vacat, nec opus eſt. Sic mox ab initio Atticor. pag. 2. ἐστὶν οἴκημα ἀγάλματα ἔχον ἐκ πηλοῦ, βασιλεὺς Ἀθηναίων Ἀμφικτύων, ἄλλους τὲ Θεοὺς ἑστιῶν, καὶ Διόνυσον, & paucis interjectis, pag. 3. ἀγάλματα ὀπτῆς γῆς, ἀφιεὶς Θησεὺς εἰς θάλασσαν Σκίρωνα, καὶ Φέρουσα Ἡμέρα Κέφαλον, κ. λ. Ita & Minervæ Sciraclos ſtatuam fuiſſe tradunt quidam, quia ex terra ſive argilla alba formata fuerit, ὁ σκίρος enim ſeu ἡ σκίρα, Suida, Ariſtophanis ſcholiaſte & Euſtathio teſtibus, ἐστὶ γῆ λευκὴ, ὥσπερ γύψος, vel γῆ γυψώδης, vid. Caſtellan. Syntagm. de Feſt. Græcor. pag. 227. *Apollinis* quoque e *gypſo* meminit Prudentius in Apotheoſi, v. 450. & *Liberi e gypſo, plaſtico opere perfecti*, Julius Firmicus, de Errore prof. Relig. pag. 14.

Nuncupabantur vero ejusmodi ſtatuæ argillaceæ vel fictiles & luto fictæ iisdem ὀστρακίδες, ſcil. ἀπὸ τοῦ ὀστράκου, Heſychius appoſite prorſus hanc in ſententiam; ὀστρακὶς, ἀγαλμάτιον τὶ Ἀφροδίτης. Sed cur quæſo unius

unius Veneris, & nullius alius Dei Deæve? quaſi vero ſolius Veneris ſimulacra ex argilla olim formata fuerint! Nam & *Minervæ fictilis*, meminit Prudentius loco modo laudato. v. 456. Putem ergo locum non uſque quaque ſanum eſſe atque hinc forte ſcribendum: *ἀγαλμάτιον τί ἀργιλῶδες*, vel *ἀπ᾽ ἀργῆς γῆς*, vel *ἀπὸ κεραμίδος*, h. e. *ſignum*, *aut parva ſtatua ex argilla vel alba terra*, ſive *fictili*: Argilla enim idem ac terra alba & fictilis, ut notum. Iterum Heſychius alibi: Ἄργιλλος, ἡ σμηκτὴ γῆ, ἡ λευκόγειος: ſed hic forſan legendum λευκόχροος, *albido colore conſpicua*, videtur enim quædam eſſe tavtologia in verbis γῆ & λευκόγειος, nam unum idemque bis dicitur, apud Euſtathium tamen ad Dionyſii Perieget. pag. 77. pariter eſt, *ἀργιλώδεις*, ἤγουν λευκόγειοι, atque ideo nihil certi hic definio. Λευκόχροος vero recte dicitur argilla, ab albo colore, ut dixi, uti infra de calce: Τιτανωτὴ, χώρα γυψωτὴ ἢ λευκόχροος. Forte & in eodem Heſychii loco legendum fuerit, ἡ σμηκτὶς vel σμηκτρὶς γῆ, quod apud Hippocratem legitur, de quo vid. Erotian. in Gloſſario, & ibi Euſtach. pag. 108. adde Foëſ. in Oeconomia, nam vox σμηκτὴ, quæ apud Heſych. occurrit, adeo obvia & nota non eſt, ut eam Grammaticum uſurpaſſe credibile ſit. Sed & argilla ab albo colore vocabatur Μαλλιεργὴ, idem Heſychius infra, Μαλλιεργὴ, κιμωλία, ita enim legendum, nam μαλλὸς, *albus* eſt, inde μαλλουρὶς, & μάλλουρος, & μαλλοπάρειος, h. e. *qui Caudam albam & candidas*

didas genas habet, apud eundem Heſychium, ut alia plura taceam; ſed hæc obiter.

Ex his igitur late hactenus diſputatis, patere nunc ſatis liquido, niſi fallor, arbitror, non adeo male me conjeciſſe, quando legendum propoſui in laudato Trebellii Pollionis loco, *ſtatuam argillaceam, ſed auratam.* Quid enim hoc convenientius, aut aptius hic ſubſtitui poſſit, ego certe non reperio. Illa ergo argillacea ſtatua aurata erat, ut ſcilicet eo major honos Calphurniæ haberetur atque ſic materiæ vilitas velaretur; quemadmodum ſupra ex Plinio obſervavimus, fictilem Jovem fuiſſe & ideo miniari ſolitum, ex eadem nempe ratione, ut ſcilicet miniato colore vilitas materiæ tegeretur, ſicuti hic auro obducta fuit. Huc vero vel maxime facit ſequens Clementis Alex. locus, in Admonit. ad gent. pag. 34. de Antiocho Cyziceno pecuniæ indigo, ὅς προσέταξε ἀναθεῖναι πάλιν τῆς ἄλλης τῆς ἀτιμοτέρας ὕλης ἄγαλμα Διὸς παραπλήσιον ἐκείνῳ χρυσείῳ πετάλοις κεχρυσωμένον, *qui rurſus reponi juſſit ex alia viliori materia Jovis ſtatuam, priori aureæ ablatæ ſimilem quidem, aſt laminis tantum aureis obductam.* Sic & ligneæ erant ſtatuæ, quæ auro argentove obducerentur; vocabantur eæ ὑπόξυλα: Scholiaſtes Hermogenis ineditus, apud Iſ. Voſſium, ad Catull. pag. 308. ὑπόξυλα κυρίως καλεῖται τὰ ἀγάλματα, οἷς ἐκ ξύλων κατεσκευασμένοις ἐπιπολῆς ἐπελήλατο ἄργυρος ἢ χρυσὸς, *ſublignea proprie vocantur ſimulacra, quibus e ligno fabricatis in ſuperficie inductum eſt*

argen-

argentum & aurum. Conf. Jo. Clerici Not. ad Menandri Fragment. p. 148. & Lexicon ineditum apud illuſtr. Montfaucon. in Biblioth. Coislin. Part. II. cap. 6. pag. 468. Ita Tullii εἰκὼν ξυλίνη καταχρυσος *ſtatua lignea inaurata* in Templo Fortunæ ab ipſo collocata, commemoratur a Dionyſio Halicarn. Lib. IV. pag. 243. Imo ipſe Vitruvius Lib. III, cap. 2. *ſignorum fictilium aut æreorum inauratorum* mentionem facit, quod huc vel maxime ſpectat. Conf. Wouweren, ad Petron. Cap. CII. pag. 477. Edit. Burm. De auratis vero ſtatuis multa hic Salmaſius, & Figrelius inprimis de ſtatuis illuſtrium virorum, peculiari Libro, quare hic nihil amplius addo. Plura enim me jamjam dixiſſe video, ac primum quidem animo deſtinaveram.

Caput VII.

Corruptiſſimus Æliani de Nat. Animal. locus ex Plinio emendatus. Templum κεχηνότος Διονύσου, *quid? Hermol. Barbari & Pintiani infelices conjecturæ rejectæ. Additus adhuc unus locus ex eodem Æliano emendatus.*

IN Æliani de Natura Animal. Lib. VII. cap. 48. extremo, ſequentia leguntur: καὶ συνῳδὸν τοῖς προειρημένοις. καὶ ἐς τὸ αὐτὸ δ' ἐστὶν εὐδοντος ἐν τῇ Σάμῳ ἐπὶ τοῦ κεχηνότος Διονύσου νομίζοιτο ἂν καὶ τὸ Φωλεὸν εἰδέναι, καὶ τοῦτο ἀκουέτω Ἐρατοσθένους τε καὶ Εὐφορίωνος καὶ ἄλλων περιηγουμένων αὐτό. Quæ verba

verba non ſolum in verſione ſine interpretatione omittit Geſnerus; ſed ſequentem etiam notam tanto ſane viro indignam, apponit: *Quæ ſequuntur in Græco de Baccho in Samo biante*, &c. *nobis obſcura ſunt.* Nobis vero, licet iſto Varrone ſui ſæculi longe inferioribus, inquam, non item, qui ex Plinii Lib. VIII, cap. 16. probe perſpectum habemus, quamnam hic Ælianus potiſſimum intelligat hiſtoriam, quam hic ex eodem accipe Lector, ſed in compendium miſſam, reſectis nempe iis circumſtantiis, quæ huc parum facerent, & ſervatis tantum, quæ obſcuro huic Æliani loco facem præferrent lucidam. *Elpis Samius natione*, inquit ergo Plinius, *in Africam delatus nave, juxta littus conſpecto Leone biatu minaci, arborem fuga petit, Libero patre invocato. Neque profugienti, quum potuiſſet, fera inſtiterat: & procumbens ad arborem, biatu, quo terruerat, miſerationem quærebat. Os morſu avidiore inhæſerat dentibus, cruciabatque inedia, tum pœna in ipſis ejus telis, ſuſpectantem, ac velut mutis precibus orantem: Digreſſus tandem evellit præbenti, & quam maxime opus eſſet, accommodanti. Qua de cauſſa Libero patri templum in Samo Elpis ſacravit, quod ab eo facto Græci* κεχηνότος Διονύσυ, *appellavere.*

Ex hoc igitur Plinii loco Ælianus noſter facili admodum negotio reſtitui poteſt, qui non ſolum graviſſimo mendo, ſed & prava inſuper diſtinctione, laborat; non vero mutilus hac parte eſt, ut falſo ſuſpicatur ad Plinium, Harduinus. Sic enim nunc lego atque diſtinguo:

guo: Καὶ συνῳδὸν τοῖς προειρημένοις καὶ ἐς τὸ αὐτὸ δ' ἐςὶν λέοντος ἐν τῇ Σάμῳ ἐπὶ τῦ κεχηνότος Διονύσυ. νομίζοιτο ἂν τις καὶ τὸ Φωλεὸν εἰδέναι, καὶ τῦτο ἀκυέτω, Ἐρατοσθένυς τε καὶ Εὐφοριῶνος, καὶ ἄλλων περιηγυμένων αὐτό. Quæ hunc in modum commode Latine reddi poſſunt: *His modo commemoratis comitem addere liceat illam, quæ ad idem fere reſpicit, hiſtoriam de Leone in Samo in templo* τῦ κεχηνότος Διονύσυ, *ſive Bacchi cum hiatu cognominato. Si quis vero & hujus narrationis ſedem ſcire dignum reputet; & illam audiat: Eratoſthenes, Euphorion aliique hujus facti mentionem faciunt.* Nunc omnia adeo liquida & manifeſta ſunt, ut Geſnerus, ſi ad ſuperos quidem rediret, de nimia hujus loci obſcuritate juſtam conquerendi rationem, credo, haberet amplius nullam. Pauca vero in contextu ipſo immutavi, & accuratiore interpunctione immedicabilem, ut videbatur, locum ſanavi. Pro Εὔδοντος ſcilicet legendum eſſe λέοντος, manifeſtum eſt, inprimis ſi quis conſideret, quanta confuſio ſit in majuſculis Λ. & Δ. de quo Clericus in Arte Critica, Salmaſius, Cappellus in Crit. ſacra, aliique, & nos ipſi alibi. Ita confuſa Δέρυ & Λέρυ, apud Thucydid. Lib. VIII. vid. Palmer. Exercit. Crit. pag. 56. item ΚύΔων, & ΚύΛων, apud Pauſan. vid. ibi Sylburg. pag. 432. & Δάσα, pro Λάσα, apud LXX. Interpp. Geneſ. X, 19. & πασιμήΔυσα, pro πασιμέΛυσα, in vetuſto Cod. Strabonis MSto, teſte illuſtriſſimo Montfaucono, in Bibliotheca Bibliothecarum MSStorum

nova

nova, Tom. II. pag. 1030. ut alia taceam, conf. Lamb. Bos, Obſerv. Crit. Cap. XXXIV. pag. 145. poſt. Rutgerſium, Var. Lect. Lib. II, cap. 1. &c. Porro articulum τις, qui exciderat, in ſuum locum ad ſenſum juvandum, repoſui: Τὸ φωλεὸν vero, quia ſenſum ſatis commodum habet, ut inter alia patet ex Suidæ & Heſychii Lexico, ſede ſua movere nolui, licet maluiſſem ſubſtituere φώριον, h. e. *indicium, probatio*, quomodo ſæpe hæc vox apud Joſephum ſumitur. Ceterum ex hoc Æliani loco patet nunc perſpicue ſatis, quam male tractarint olim ſive potius vexarint ſupra laudatum Plinii locum Hermolaus Barbarus atque Pintianus, quorum ille pro κεχηνότος Διονύσου, Σωτῆρος νέως Διονύσου; hic vero ἀρχενόςου Διονύσου, infeliciſſime ſubſtituerunt, ut & recte obſervavit Jo. Harduinus ad illum Plinii locum, pag. 489. Tom. I. ubi & ſimul opportune monet, etiam apud Clementem Alexandrinum in Protrept. pag. 24. occurrere ἄγαλμα κεχηνότος Ἀπόλλωνος in Elide quondam cultum & ſacratum, unde noſtro Æliani loco lux haud obſcura etiam affulget. Sed de his hactenus. Unum vero adhuc his adjicere liceat locum ex ejuſdem Æliani Lib. IV, cap. 42. extremo, ubi de famoſiſſimis Græcorum & Romanorum lurconibus & heluonibus ſermo eſt. Verba ipſa hæc ſunt: οὐ Καλλίαν, οὐ Κτήσιππον τοὺς Ἀθηναίους, οὐκ Ἄκολον, οὐχ Ὀρτήσιον τοὺς Ῥωμαίους. Hic vero quis obſecro ille Ἄκολος eſt? certe nemo inter Romanos vixit unquam luxurioſus, qui ſic vocatus fuiſſet.

Geſnerus ergo legere hic malebat Ἀπίκιον, qui ſane notus nimis eſt ob indomitæ gulæ furorem; ſed nulla plane eſt convenientia Ἀπίκιον, inter atque Ἄκολον. Quare lege potius mecum Λεύκελλον, *Lucullum*, omnium nempe Romanorum nepotum altiſſimum gurgitem.

Caput VIII.

Julii Capitolini locus depravatiſſimus varie tentatus. Phallovitroboli, *ſeu* phandovitroboli, *vox monſtroſa & inaudita. Cl. Salmaſii ingenua confeſſio de inexplicabili hujus loci difficultate.* Belus, *Palæſtinæ amnis, arenis vitriferis nobilis.* Phialæ e vitro Beli. Βαλανειόμφαλοι, *quid?* Chutra ſ. Chytra, *item* Tryblium, *etiam apud Latinos.* Alvei vitrei belli, *de Tabulis latruncularis. Alia nonnulla notatu digna.*

In Hiſtoriæ ſic dictæ Auguſtæ Scriptoribus junctim editis, quam plurimi adhuc ſuperſunt loci depravati atque obſcuri, quibus perfecte ſanandis & plene illuſtrandis ne ſumma quidem Salmaſii atque Caſauboni aliorumque ingenia ex omni parte ſuffecerunt, de quibus nos alias plura. Inter illos vero, quos dixi, locos corruptos & depravatos, omnium confeſſione, facile eminet & corruptiſſimus habetur ſequens Julii Capitolini, in Vita Pertinacis, Cap. VIII. pag. 553. ubi pretioſiſſima & ſumtuoſiſſima Imperatoris Commodi ſupellex hunc in modum exacte recenſetur: *Vaſaque eluto auro, ebore, argento, citroque compoſita,*

poſita, *atque etiam* Phallovitroboli *ex materia eadem & vaſa Samnitica*, *&c.*

Quibus vel leviter ſaltim inſpectis, primo mox intuitu attonitos quaſi atque ſtupefactos omnes puto hæſuros lectores ad in auditum atque inviſum vocis monſtrum *Phallovitroboli*: quis enim quæſo ſimile quid vel viderit unquam, vel fando perceperit, vel per quietem ſaltim ſibi oblatum meminerit?

Eſt enim, ut quivis deprehendit ſtatim facillimo quidem negotio, vox hæc ſemigræca & ſemilatina; tota vero barbara, inficeta, & ut dixi jam, monſtroſiſſima. Neque Codices manu exarati hic quidquam juvant, nam monſtrum mutant in novum, non tollunt vetus, quando Grutero atque Salmaſio teſtibus, ſcriptum exhibent *Phandovitrobuli.* Quare non mirum, hunc locum pro deplorato & inſanabili prorſus relictum & intactum fuiſſe tantum non ab omnibus. Ipſe Salmaſius, Vir maximus, qui alioqui deſperatiſſima & depravatiſſima quæque in Veteribus Auctoribus obvia majore ſæpe cum audacia, quam felicitate, adgreditur, impellens, quidquid ſibi ſumma petenti Obſtaret, gaudenſque viam feciſſe ruina, ut quondam de Cæſare poetarum ſummus, Lucanus; hic tamen animum plane deſpondet, unguesque criticos a fœdiſſimo hoc ulcere caute dicam, an timide? abſtinet, ac ſuam, quod mirum de Salmaſio & inauditum, ſuam inquam ignorantiam ita publice confiteri haud erubeſcit: *Quam vocem* (Phallovitroboli,) *quomodo explicem, neſcio:*

corruptam enim cenſeo, nec rationem emendandi nunc video: quam præſtat intactam ſic relinquere, quam inepta vocabula heic comminiſci biformia, quæ nec Græca ſunt, nec Latina; ſed ex utroque compoſita, mera monſtra potiùs, quam voces. Satius eſt igitur inſcitiam fateri, quam acumen ingenii velle oſtendere in fingendis novis vocibus, aut corrigendis, quæ citra ſpem correctionis, ſunt depravata. Hæc quidem ille veriſſime & modeſtiſſime ſimul.

Interim tamen hæc me non deterrebunt, quo minus conjecturam aliquam veriſimilem circa hunc depoſitum locum proponere audeam, conjecturam dico veriſimilem; non vero veritatem indubitatam & nullis contradictionibus opportunam.

Ne igitur per longiores ambages Lectores diutius teneam, locum ita legendum & emendandum arbitror:

Atque etiam Phialæ è vitro Beli, ex materia eadem & vaſa Samnitica. &c. Singula nunc paucis explicanda: *Belus* nimirum eſt amnis Syriæ vel Palæſtinæ, ex palude Cendevia ortus, & in mare judaicum profluens, ex cujus arenis fluctibus volutatis, atque hinc niteſcentibus, admixto nitro, puriſſima olim atque præſtantiſſima vitra conflabantur. Clare hanc in rem Cornelius Tacitus, Lib. V. Hiſtor. Cap. 7. *Belus amnis judaico mari illabitur: circa cujus os collectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur.* Sed clarius adhuc Plinius, Lib. XXXVI, Cap. 36. *Pars eſt Syriæ, quæ Phœnice vocatur, finitima Judææ, intra montis Carmeli radices*

radices paludem habens, quæ vocatur Cendevia. Ex ea creditur naſci Belus amnis, quinque M. Paſſ. ſpatio in mare profluens, juxta Ptolemaïdem coloniam. Lentus hic currit, inſalubris potu, ſed cærimoniis ſacer, limoſus, vado profundus. Nonniſi refuſo mari arenas fatetur: fluctibus enim volutatæ niteſcunt detritis ſordibus. Quingentorum eſt paſſuum non amplius litoris ſpatium, idque tantum multa per ſæcula gignendo fuit vitro. &c. Vid. & ibi ſequentia, ubi de fortuita vitri origine ſingularis hiſtoria narratur. Idem alibi, Lib. V, Cap. 19, *Belus vitri fertiles arenas parvo litori miſcens*, ubi vid. Harduinum.

Sed eadem fere de vitriferis Beli arenis referunt Strabo, Lib. XVI, Joſephus, Lib. II. de Bello Jud. cap. 9. Iſidorus, Lib. XVI. Orig. Cap. 15, aliique, quos cum his laudavit Hadrianus Relandus, in Palæſtina, Capite de Palæſtinæ Fluviis, pag. 290. & 267. ubi de hoc ſingularis prorſus naturæ amne Belo, plura ex inſtituto, quibus addendæ doctorum Virorum Notæ ad ſupra laudatum Taciti locum, in Editione Gronoviorum ſimul exhibitæ, nec non adjiciendus Harduinus, in Obſervationibus ad allegatum Plinii locum: nos quoque ipſi plura olim hac de re diximus in Exercitationibus noſtris Grotianis, ad ejusdem Chriſtum patientem, Tragœdiam, quæ ſi tanti, inſpiciantur, pag. 217. ſqq.

Ex his vero late jam diſputatis clariſſime patere arbitror, quid proprie apud Capitolinum ſint *Phialæ e vitro Beli* ſcil. paratæ. Nempe e tribus hiſce vocibus clare diſtinctis, vitio

& negligentia ſtupidorum Librariorum, horrendum illud portentum in ultimas terras exportandum, (ut cum Cicerone loquar,) *Phallovitroboli*, fœdiſſime coaluiſſe & infauſto partu in unum concreviſſe videtur, quod omnes poſtea occupavit Libros cum ſcriptos, tum impreſſos, omnibusque Eruditis in hunc usque diem inexpugnabile viſum fuit. Si quis tamen legere hic malit minore cum licentia, *Phalli e Vitro Beli*, equidem haud magnopere repugnabo. Nota enim ſunt illa Juvenalis, Sat. II. *Vitreo bibit ille Priapo*, h. e. Phallo Vitreo, inde Græcis δριλλοπόται, & δριλλοποσίαι, & id ipſum eſt *per obſcenitates bibere*, ut acute Plinius, Lib. XXXIII procem. ubi vid. Harduinus, inprimis Salmaſius ad hunc ipſum Capitolini locum, pag. 553. Jan. Rutgerſ. Var. Lect. Lib. VI. cap. 18. Scaliger ad Priap. Carm. & Commentatores ad dictum Juvenalis locum.

Ne quid vero Lectorem meum celem, fuit etiam, quum legere mallem aliquando, cum Amico quodam doctiſſimo & celeberrimo, *atque etiam flando vitro tubuli*, quod nempe proxime abeſt a Codd. Lectione, *Phandovitrobuli*, ſuperius jam annotata. Verum, quum nulla prorſus ratio appareat, quomodo inter ſupellectilem imperatoriam apte atque concinne referri poſſint *tubuli flando vitro parati*, neque conſtet omnino, Imperatorem Commodum artis vitriariæ unquam fuiſſe ſtudioſum; hanc conjecturam, licet non usque quaque ineptam aut coactam, merito nunc miſſam faci-

facimus præ altera illa modo propoſita & uberius interpretata.

Quod vero poſt noſtram illam Emendationem, *Phialæ e Vitro Beli*, diſtinctionem poſuimus, atque verba, *ex materia eadem*, ad ſequentia, *& vaſa Samnitica*, retulimus, ideo factum a nobis, quia Phialæ illæ e vitro Beli conflatæ dici commode haud poterant ex eadem materia, nempe auro, argento, ebore atque citro, quod præceſſit, compoſitæ. Poterant vero ex altera parte vaſa Samnitica ex eodem Beli vitro longe commodius eſſe præparata, ita ut ob formam quidem & originem, ut & uſum, vocarentur Samnitica, nempe a natali ſolo, vid. hic Adr. Junius, in Animadverſ. Lib. II. cap. 10. pag. 95. non vero ob materiam, veluti *Ollulæ Rhodiacæ* apud Athen. Lib. XI, cap. 3. pag. 464. de quo nos alibi. Sic & ſimilem fere in modum *pocula* ſic dicta *Thericlea* proprie fictilia erant; poſtea tamen etiam terebinthina, argentea, aurea, vitreaque ad iſtam formam elaborata, ita vocata eſſe conſtat, de quo vid. Salmaſ. Exercit. Plin. pag. 734. & ex hoc Græv. ad Cic. Lib. IV. in Verr. cap 18. item Caſaub. ad Athen. Lib. XI, cap. 6. pag. 791. inprimis vero ill. Bentlej. in Diſſert. de Epiſtol. Phalarid. Sect. III. item Bergler. ad Alciphron. Ep. 3. Lib. II. pag. 229. Vulcanius, ad Agathiæ Hiſtoriam, pag. 9. & Sam. Petit. Miſcell. Lib. VII. cap. 4. ut alios plures taceam, ita & *pyxis aurea* & *charta plumbea* dicitur, quo de vid. Gronov. ad Senec. Lib. II. de Benef. cap. 13. inprimis illuſtriſſ. &

Rev. Bernard. de Montfaucon, in æterno Opere, de Palæographia Græca, Lib. I. cap. 2. item Herm. Hugo, de prima ſcribendi Orig. Cap. XI. & Guilandin. de Papyro, pag. 94. ſqq. ſed hæc obiter tantum.

Sic ipſe Seneca, Lib. V. de Benef. cap. 13. *pyxidem & argenteam & auream dicimus*, quæ tamen ſcil. a buxo nomen proprie ſortita, ut ibi in Notis monet Lipſius, poſt alios. Ceterum vox *Phiala* frequentius in his Scriptoribus Hiſtor. Aug. occurrit, vid. infr. Lamprid. in Alexandr. Sev. Cap. XLII. & alibi ſæpius, adde Juvenal. Sat. V. Verum hæc jam ſufficiant.

Ex hoc vero Capitolini loco ſimul diſci poteſt, & ex vitro factas olim fuiſſe phialas, quæ alias ex argento, auro, cupro, atque electro confici ſolerent, qua de re plura Athenæus, Lib. XI, Cap. 14. & Commentatores ad dictam Juvenalis Satyram V. ut alios taceam. Immo notiſſima eſt ex Petronii Cap. LI. phiala illa vitrea ex vitro ductili & tenaci ſummo artificio fabricata, quam ingenioſiſſimus quidam Faber Cæſari Tiberio (ut creditur) porrexiſſe dicitur, ſed ingenio ſuo miſer & meliore fato dignus, decollatus enim fuit immerito artifex iſte, & tenacius ipſi fuit vitrum, quam caput.

Sed nunc & coronidis loco, alias adhuc ſuſpiciones adjiciam, quæ mihi quondam circa deſperatum hunc locum in mentem venerunt, Scilicet putabam aliquando, ex voce græca, Βαλανιόμφαλοι, *Balaniomphali*, a ſcribis litera-

terarum græcarum plane expertibus, nec lecta bene, nec intellecta ſatis, enatum demum fuiſſe portentoſum illud *Phallovitroboli*. Erant vero Βαλανειόμφαλοι phialæ quædam ita potiſſimum denominatæ, ὅτι οἱ ὄμφαλοι αὐτῶν καὶ τῶν βαλανείων οἱ θόλοι ὅμοιοί εἰσιν, *quod eorum umbilici & balneorum teſtudines conſimiles inter ſeſe eſſent*, quemadmodum ex Cratino atque Aſclepiade Myrleano, aliisque ſolerter & copioſe ſatis oſtendit laudatus modo Athenæus, Lib. XI, cap. 14. pag. 501. add. & Heſych. & Suidas, voce Βαλανειομφάλους. Nec inconveniens ſane huic loco vox a balneorum ſimilitudine petita, quod mox in contextu ſequitur: *& vaſa Samnitica, calefaciendæ reſinæ ac pici devellendis hominibus ac levigandis*, quæ vaſa etiam ad balneorum uſum inprimis pertinuiſſe nemo neſcit, & ex ipſa eorum deſcriptione liquide ſatis colligitur.

Sed miſſa hac quidem conjectura, alio tempore, pro deteſtando illo *Phallovitroboli*, legendum ſtatuebam potius, *Phialæ*, *Chytræ*, *tryblia*, quæ male intellecta, quia græca & Librariis hinc ignota, illud demum horrendum monſtrum a parte corporis inhoneſta denominatum infando partu edidiſſe videntur. Sunt vero *Phialæ*, *Chytræ* ſeu *Chutræ* & *Tryblia*, vaſa ad rem culinariam & coquinariam proprie pertinentia, ut nemini non conſtare arbitror, quæ etſi origine, ut dixi, græca; Latinis tamen non faſtidita fuere. *Chytram* enim ſive *Chutram*, ipſe dixit Cato, Romanorum diſertiſſimus, Lib. de Re Ruſt. Cap. CLVII.

 ut

ut recte ibi legendum cenſent eruditi quidam viri, licet varia admodum & diverſa ſit lectio. *Tryblium* vero adhibere nihil veritus eſt ipſe Latinarum facetiarum pater & promus condus, Plautus, quando in Comœdia Sticho, Act. V. Sc. 4. ait: *Olea in tryblio.* De tryblio vero vide Salmaſ. Exercit. Plin. p. 265. & Commentatores ad Matth. XXVI. inprimis vero Lakemacher. in Obſſ. Sacr. Part. V, Obſ. 5. p. 247. ſqq.

Satis vero exacte quadrare videtur hæc noſtra conjectura ad locum præſentem, nam in antecedentibus, de vaſis luxurioſi Commodi in genere dixerat Capitolinus, quod ea ex auro, argento, ebore, &c. fuerint parata: nunc majus adhuc dicturus & vehementiorem admirationem apud Lectores excitaturus, ſubjungit, & ipſa adeo culinaria & coquinaria ejusdem vaſa, vilia alias & nullius pæne pretii, ex iisdem pretioſis metallis & materiis rarioribus fuiſſe confecta, quale & infra de illo generis humani propudio, & beſtia potius peſteque, quam homine, Antonino Heliogabalo, adnotavit Æl. Lampridius, Cap. XIX. ubi videndi utique ſummi Viri Caſaubonus atque Salmaſius, item & Meurſius de Luxu Romanorum. Sed vaſa coquinaria ex argento fieri, jam ſua ætate Calvus Orator quiritabat, teſte Plinio, Lib. XXXIII, cap. 11. Conf. Jac. Cujacii Obſervat. Lib. II, cap. 6. pag. m. 45. immo argentea vaſa ad uſum culinæ Antiochum comparaſſe, quum in bellum proficiſceretur, notat Juſtinus, Lib. XXXVIII, cap. ult. Livius, Lib. LIX, & Valer. Maximus, Lib. IX, cap. 1. extern. 4.

Ecquis

Ecquis igitur paullo ingenioſior & judicandi arte peritior ex his nunc non intelligat liquido, quam pronus facilisque lapſus eſſe potuerit inter *Phallo* atque *phialæ*, inter *vitro*, & *Chytræ*, & inter *boli* denique atque *tryblia?* inprimis ſi poſtremam vocis *vitro*, vel *chytræ*, ſyllabam temere repetitam & bis lectam fuiſſe ſtatuamus, ex qua inſulſa vocum repetitione innumera vitiorum agmina in optimos veteres Auctores ſæpiſſime irrupiſſe, non ſine acerba querimonia, ubique teſtantur Salmaſii, Caſauboni, Reineſii, Rutgerſii, Meurſii, Lipſii, Clerici, aliique præſtantiſſimi Critici, ceu ex ipſorum ſcriptis paſſim clariſſime patet.

Verum licet hæc noſtra conjectura a veritate proxime abeſſe videatur; nobis tamen, ut ingenue fateamur, illa *Beli vitra* ſuperius expoſita, pellucidiora atque longe amœniora videntur; quam obſcura hæc atque vilia vaſa coquinaria, *phialæ* inquam, *chytræ* ac *tryblia*: quare me quidem ſuaſore, ſerventur iſta, ne diffringantur ſcilicet; hæc vero ſordidis & olentibus cocis potius relinquantur, ad quos proprie pertinent.

Tandem quoque haud incommode legi hic poſſet: *Alvei* ſive *alveoli vitrei belli.* Nempe *alvei* ſeu *alveoli* ſunt tabulæ luſoriæ, ſpeciatim tabulæ latruncularię; *vitreum* vero *bellum* ipſe latrunculorum luſus: *vitrei* enim *milites* eleganter vocabantur ipſi latrunculi ex vitro ſcilicet formati. Teſtis Lucanus, ut creditur quidem, ad Piſonem:

Calli-

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella.

Ubi vid. reliqua: Inprimis vero huc confer Souterium in Palamede, ſeu de Tabula luſoria Vet. Lib. I, capp. 2. 4. 10. & ſqq. nec non Thom. Hyde, in Hiſtoria Nerdiludii, pag. 49. ſqq. Non mirum vero hic videri debet, tabulas luſorias Imp. Commodi ex auro, ebore & argento paratas fuiſſe, quando ipſe Pompejus M. de piratis triumphans, alveum luſorium e gemmis duabus ingentibus formatum prædæ loco, obtinuiſſe memoratur apud Plin. Lib. XXXVII, cap. 2. de quo vid. iterum Souter. l. c. Lib. I, cap. 2. Sed licet nec hæc conjectura inepta prorſus aut ingenio deſtituta videatur; tamen & hic magis placent *phialæ e vitro Beli*, præ illis alveis vitrei belli. Noluimus tamen Lectores noſtros quidquam celare eorum, quæ nobis ſuper hoc deſperatiſſimo Julii Capitolini loco in mentem olim inciderunt, licet ea ſatis levia eſſe ipſi candide fateamur.

CAPUT IX.

Ælianus in Variis Hiſtoriis, poſt Geſnerum Perizonium, Jenſium, Schefferum, atque Gronovios, bis emendatus.

APud Ælianum Lib. III. Var. Hiſt. cap. 26. de Pindaro Tyranno, aſpero quidem ac implacabili in ſumendis ſuppliciis; ſed miti tamen

men ſimul & officioſo erga amicos & cives ſuos, hæc leguntur: Τάγε μὴν ἄλλα ἐδόκει φιλόπαις εἶναι καὶ σώφρων. In his autem merito eruditos offendit vox φιλόπαις, *filii amans*, quæ locum hic commode habere nequit. Celeberrimus ergo Perizonius legere malebat, φιλόκαλος, & φιλόπατρις; Jenſius vero vel poſtremum, vel φιλάνθρωπος, bene uterque ad ſenſum; male vero ad Veteris ſcripturæ veſtigia: poſſet & legi φιλόπολις, quomodo ita de Marcio Coriolano Dionyſius Halic. Lib. VIII. pag. 513. γενναῖος ἦν καὶ φιλόπολις, *generoſus & Patriæ amans*: & Plato Lib. III. de Legg. Cyrum vocat ϛρατηγὸν ἀγαθὸν καὶ φιλόπολιν.

Interim & J. Fr. Gronovius φιλόπατρις, legendum cenſebat, obſervante optimo Nepote Abrahamo Gronovio. Cl. J. Corn. de Pauw denique emendandum putabat, πᾶσι φίλος εἶναι, καὶ σώφρων, ceu idem notat Gronovius, & probat, nec male quidem. Mihi tamen legendum potius videbatur, φίλος πραῢς εἶναι καὶ σώφρων, ubi πραῢς, *mitis*, juſte opponitur τῷ antecedenti πικρὸς καὶ ἀπαραίτητος, *aſper & inexorabilis*. Sic pariter Pindarus dixit, βασιλεὺς πραῢς ἀϛοῖς, οὐ φθονέων ἀγαθοῖς, ξείνοις δὲ θαυμαϛὸς ἀνὴρ, quem locum laudat Cl. Gronovius, Lib. III. Obſſ. cap. 7. pag. 485. non autem indicavit, extat vero ille in Pyth. Od. III. Stroph. 4. ita & Dionyſius Halicarn. Lib. X. pag. 645. Quintium vocat εὐπρόσοδον καὶ πρᾶον καὶ φιλάνθρωπον, & Plato Lib. V. de Legg. pag. 731. χρὴ

πάντα

πάντα ἄνδρα εἶναι πρᾶον δὲ ὅτι μάλιϛα, unde Mauricius, in Strateg. pag. 199. Δεινὸς ὁ ἡγεμὼν ἐξετάζων πταίσματα, πρᾶος δὲ συϛέλλων τὰς κολάσεις. & Ariſtidi Æſculapius vocatur Θεῶν ὁ πρᾳότατος τε καὶ Φιλανθρωπότατος, Orat. in Puteum Æſculapii, Tom. I. Opp. pag. 253. per Cl. Sam. Jebb. πράως καὶ φιλανθρώπως, conjungit etiam Julianus, in Epiſt. pag. 307. qui & alibi πρᾳότητα καὶ σωφροσύνην, æque ac hic, ſcite copulat. Vid. etiam Dionyſii Areopagit. Epiſt. VIII. aliquoties. Immo ipſe noſter Servator vocatur βασιλεὺς πραῢς, apud Matth. XXI, 5.

Sed gravius adhuc mendum reſidet in eodem Capite, ubi Epheſios a Crœſo obſidione cinctos, vafro quodam ſtrategemate excogitato, & Crœſi gratiam & ſui libertatem obtinuiſſe narratur. Verba hæc inprimis ſunt: γελάσαντα φασι τὸν Κροῖσον, καὶ δεξάμενον πράως τὸ ϛρατηγηθὲν, τοῖς Ἐφεσίοις συγχωρῆσαι τὴν μετ' ἐλευθερίας φυγήν. Sed quæritur hic merito, quid ſit φυγὴ μετ' ἐλευθερίας, *fuga cum libertate?* cui enim permittitur fuga, non denegatur libertas; φυγὴν ergo hoc quidem loco fugandum eſſe palam liquet: ſed quomodo hoc commode fiat, adhuc ſub judice lis eſt. Schefferus conjiciebat φιλίαν, nimis remote: Perizonius vero malebat, vel πόλιν, vel ἔφεσον, vel ἑϛίαν, male profecto & incommode ubique, ſi fateri quidem liceat, neque augurium melius ceſſit, quando vero proximam, ut ille quidem ait,

lectio

lectionem μονὴν, exſculpebat. Jac. porro Gronovius ἐυχὴν, ſcribendum ſuſpicabatur; ſed precario, & ſine commodo ſenſu; quando vero φειδὼ, ſubſtituere jubebat pro φυγὴν, minus adhuc perſuadet; licet optimus ejus Filius hanc patris conjecturam certiſſimam eſſe pronunciet.

Denique, quod primum erat monendum, Geſnerus legendum eſſe cenſebat vel ζωὴν, vel σωτηρίαν, quæ longius quidem, quam par eſt, a vulgata lectione diſcedere videntur, ut bene notat Perizonius; interim tamen quoad ſenſum juvandum, optime excogitata ſunt. Servemus igitur eandem ſententiam; ſed verbis ad priſcam ſcripturam propius accedentibus: Legendum nimirum facillimo negotio mihi videtur, συγχωρῆσαι τὴν μετ' ἐλευθερίας ψυχὴν, vel τύχην, h. e. *conceſſiſſe ipſis cum libertate vitam vel fortunam.* Quemadmodum ſic fere etiam loquutus Iſocrates Orat. de Laudib. Helenæ, pag. 420. μετὰ δὲ ταῦτα κοινὴν τὴν πατρίδα, καὶ τὰς ψυχὰς τῶν πολιτευομένων ἐλευθερώσας, ἐξ ἴσου τὴν ἅμιλλαν αὐτοῖς περὶ τὴν ἀρχὴν ἐποίησε, ita & χαρίζεσθαι τὰς ψυχὰς τῶν μειρακίων τῷ πατρὶ, dixit Dionyſius Halicarn. Lib. V. pag. 283. item χαρίσαι μοι τὴν ἐμαυτοῦ ζωὴν, Nicephorus Gregor. Hiſt. Rom. Lib. IX. p. 296. & Chriſtophorus Alexandrin. in Homilia de Vita humana, apud B. Fabricium, Bibl. Græc. Lib. VI, cap. 7. p. 669. & 671. Nempe ψυχὴν idem eſſe ac ζωὴν, ſive *vitam*, me interprete non eget, & ut Herodotum, Euripidem, Hippocra-

crarem & mille alios taceam, vel ex plurimis ipſius Æliani locis clariſſime colligi poteſt, ceu ex Indice ejusdem apparet. Τύχην porro idem eſſe ac εὐτύχημα vel ὑσίαν & περιυσίαν, *felicitatem*, *opes & facultates*, notius quoque eſt, quam ut multis hic a me incaſſum doceri debeat, inprimis, quum nec Lexicographis ignotus ſit iſte ſignificatus, prout præter alios plures, conſtat ex Heſychio, Suida & aliis Lexicis adhuc ineditis apud illuſtriſſimum Montfauconum in Bibliotheca Coisliniana ingenti munere exhibitis. Quid igitur nunc magis ad conjecturam Geſnerianam quæſo, accedat, quam noſtrum ψυχὴν, vel τύχην, illud enim ζωὴν, hoc vero σωτηρίαν denotare palam liquet? & quid denique vulgatam, eamque corruptam ſcripturam, φυγὴν, propius attingat, quam modo laudatum τύχην, aut ψυχὴν? quod mirum, nemini in mentem veniſſe, quum tamen valde ſit obvium. Dum vero Kühnius antiquum illud φυγὴν, defendere allaborat; antiquum obtinet, & obſoleta magis propugnat; quam nova admittit, Vir alias præſtantiſſimus nec ſine laude nominandus.

CAPUT X.

Difficillimus Senecæ Philoſophi locus poſt varias Eruditorum conjecturas, denuo tentatus & emendatus. Mortis arbitrium permiſſum habere *aut* perdere, *quid? nonnulla Taciti & Suetonii loca illuſtrata.*

SEneca de Conſolat. ad Marc. XXII. de Cordo voluntariam mortem inedia arceſſente, ita loqui-

loquitur: *Magna res erat in quæſtione, an morte rei perderentur.* Quæ valde obſcura ſunt, atque hinc Interpretes diu multumque exercitos habuerunt; inprimis quum Libri veteres plurimum hic inter ſe diſcrepent. Quidam enim habent, *an mortis rei perderentur*, vel *proderentur*, vel *an mortis rei reum perderent*, vel *an mortis rei perderent*, quæ ſollicite annotarunt Lipſius, Gruterus & Gronovius. Inde Lipſius cum Mureto, olim formabat: *an morte rei probiberentur*, vel *an mortis rei rem perderent:* Mercerus vero, *an mortis rei proderentur*, Pincianus porro, *an Majeſtatis reo perire daretur*; Gronovius denique, *an mortem rei perderent.* Sed ex his conjecturis nulla ſeſe mihi approbat tota: Pinciani enim & Merceri coactæ nimis ſunt & juſto obſcuriores; Gronovii vero ſubtilis nimis & calamiſtrata: Lipſii atque Mureti non diſplicerent penitus, niſi nimium abirent a vulgata lectione, nam ad ſenſum omnium optima illa, *an morte rei probiberentur.* Quare miſſis his omnibus, unice inhærendum cenſeo ego lectioni Cod. Lipſiani ſuperius propoſitæ, *an mortis rei reum perderent*; hac enim duce, probabilem loci depoſiti alias ſenſum me eruere poſſe confido. Scilicet legendum mihi videtur: *an mortis rei arbitrium perderent*, hoc eſt, an mori juſſis mortem arbitrariam proprio motu auſuque ſumere liceret, non expectata de ultimi ſupplicii genere deſtinata ſententia, quod alias nefas cenſebatur, vid. præter alios, Joſ. Scaliger, in Animadverſ. ad Euſebii & aliorum Theſaurum Temporum, pag. 193. Nempe ex

eraſis forte prioribus ſyllabis vocis *arbitrium*, remanſiſſe videtur, *rium*, unde Librarius, qui neſciebat, quid eſſet, feciſſe poſtea videtur *reum*, ipſe ſupinitatis & ſtuporis reus, ſi ita dicere liceat.

Notiſſimum nimirum eſt, ſpecialem olim Tyrannorum gratiam etſi crudelem, ſævitiamque benignam fuiſſe, ſi morti damnatis liberum mortis eligendæ & ſumendæ arbitrium permitteretur. Sic Tacitus XI. Annal. 3. de Claudio: *Liberum Aſiatico mortis arbitrium permiſit* & XVI. Annal. 33. de Nerone: *Thraſeæ Soranoque, & Serviliæ datur mortis arbitrium*, ibidem de eodem monſtro, cap. 11. *mortem ſine arbitrio remittens*, ut legit & explicat Gronovius, Lib. IV. Obſſ. Cap. 2. pag. 25. De Domitiano quoque Suetonius, Cap. XI. *Permittite, Patres conſcripti, a pietate veſtra impetrari, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis.* Sed talia infinita fere paſſim occurrunt. conf. Vertranius, ad Lib. XV. Annal. Taciti, cap. 61. pag. 1088. ubi plura. Duriſſima contra ſors & triſtiſſimum erat fatum, alieno potius, quam ſuo, arbitrio perire, atque ſævo immiſſi Centurionis vel carnificis imperio brachia, vel cervicem præbere, atque ſic alienum magis negotium agere, quam ſuum, ut acute Scribonia ad Druſum Libonem mortis moras nectentem, apud noſtrum Senecam, Epiſt. LXX. Nam plurimum utique intereſt, utrum ad mortem juſſi eamus, an ultronei? ut iterum cum Seneca loquar, Lib. II. Nat. Quæſt. fin. ſed verbis ſenſuque paullo im-

mu-

mutatis. Huc vero iterumTacitus,XV.Annal.60. *Proximam necem Plautii Laterani Coſ. deſignati, Nero adjungit, adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret.* Simile de cæde Subrii Flavii legendum ibid. cap. 67. & de nece Silani, XVI, Annal. 9. ut alia plura taceam, ſatis enim nota hæc ſunt.

Ea igitur res, ut ad Senecam noſtrum revertar, in quæſtione hic erat, an mortis rei arbitrium perderent, ſive potius vel poſt condemnationem, jus plenum adhuc haberent de vita ſua ſtatuendi, quo modo vellent, idque ideo, quod per ejuſmodi promtas mortes, non expectata decretoria ſententia, & prævento Carnificis officio, & ſepulturæ honores lucrarentur, & Teſtamenti valorem, *ceu pretium feſtinandi*, ut loquitur Tacitus, VI. Annal. 29. ubi ſimul narrat, Labeonem ejuſmodi mortem voluntariam, qualem hic ſumſit Cordus, ſubiiſſe, quale & legitur infra Annal. XVI, 3. de Baſſo, item de Petronio Arbitro, ibidem cap. 19. & de Antejo, ibidem cap. 14. quo & illud pertinet potiſſimum XV. Annal. 35. *Et cum damnatio inſtaret, brachiorum venas Torquatus interſcidit.* Sed ſatis de his. *Perdere* vero *arbitrium*, idem fere hic eſſe videtur, ac *perdere ſui jura.* Lucanus Lib. VIII. Pharſal. de Pompejo:

- - - phariam ablatus in alnum
Perdiderat jam jura ſui.

& ibidem de ejuſdem mœſtiſſima uxore:

Vivis adhuc conjux, & jam Cornelia non eſt
Juris, Magne, ſui.

Sed paucis adhuc ſub finem moneo, me aliquando etiam hic maluiſſe legere: *An mori reis permitteretur*, vel, *an morti rei permitterentur*, eodem ſcilicet ſenſu, quem hactenus huic loco aſſeruimus. Ita *agmina permiſit vitæ*, contraria phraſi dixit Lucanus, Lib. VII. ut alia taceam paſſim obvia. Verum nunc altera magis placet ſententia ſuperius propoſita, & abunde ſatis explicata & multis teſtimoniis idoneis, puto, corroborata, cui ipſe jam æquus Lector juſtum ſuum ſtatuat, quæſo, pretium.

Caput XI.

Diogenes Laërtius ſemel emendatus, rejecta M. Meibomii incommoda conjectura.

Diogenes Laërtius, in Diogene Cynico, Lib. VI. Segm. 30. ita ſcripſiſſe creditur: οὐκ ἐπέτρεπε τῷ παιδοτρίβῃ ἀθλητικῶς ἄγειν, ἀλλ' αὐτὸς ἐρυθήματος χάριν καὶ εὐεξίας. Hic in voce αὐτὸς, mendum aliquod latere omnino videtur. Facillima quidem opera illud ſanat atque eluit Vir alias doctiſſimus, Marc. Meibomius: *pro* αὐτὸς, graviter pronunciat ille *prorſus ſcribendum* χρωτός. Quis ergo nunc dubitet amplius, ita omnino legendum eſſe, quum tanta litterarum utriusque ſcripturæ convenientia manifeſto & ſine contradictione, appareat, ut nemo forſan ſit futurus, qui non ſtatim

ſtatim deprehendat, easdem litteras eſſe in χρωτὸς, & ἀυτὸς? nempe ἀυ. & χρω, idem ſonat, & de fine vocis ne inquirendum quidem eſt, quum per ſe jam clariſſime pateat. Sed ſatis de his, neque enim Satyram ſcribere hic aut lubet, aut fas eſt. Joachimus igitur Kühnius, Meibomio hac in parte & prudentior fuit, & felicior; legit enim ἀυτὸ, ut quidam Codd. præferunt, idque per μόνον, ſcite exponit. Sed Henr. Stephanus, dum vocem hanc expungendam cenſet, nodum non ſolvit; ſed ſecat. Mihi interim, ne plane hic ἀσύμβολος diſcedam, legendum aliquando videbatur, vel ἁπαλῶς, *molliter*, *leniter*, quod nempe juſte opponitur τῷ antecedenti ἀθλητικῶς, vel ἁπλῶς ſive ἀφελῶς, *ſimpliciter*, *nude*, *tantum*, vel denique ἀνέτως, *remiſſe*, *laxe*, *leniter*, aut λιτῶς, h. e. Heſychio interprete, ἀσθενῶς, aut ἁπαλῶς, adeo, ut nunc ſenſus clarus admodum evadat: *Non permittebat pædotribæ, juvenes in morem athletarum exercere; ſed ſimpliciter floridi coloris & boni corporis habitus gratia.* Qui ſenſus huic loco vel maxime convenire videtur. Sed de his quidem hactenus ſatis. Non enim ſunt tanti, quibus diutius immoremur: Hinc jam ad alia, & forſan meliora, potius tranſeamus.

Caput XII.

Cornelius Tacitus ſemel emendatus, improbatis aliorum & Salinerii inprimis, conjecturis. Proclus in laudatione funebri B. Jo. Chryſoſtomi inſigni loco emendatus, & à dura Cl. Cuperi interpretatione vindicatus.

APud Cornelium Tacitum, in Vita Agricolæ, Cap. XXXI. Caledonius quidam virtute & genere præſtans, nomine Galgacus, vel Galaucus, ut Cambdenus quidem volebat, apud contractam multitudinem prælium poſcentem, in hunc modum loquutus fertur: *Nos integri & indomiti, & in libertatem, non in præſentiam laturi, primo ſtatim congreſſu non oſtendemus, quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit?* vitioſa eſſe hic verba, *in libertatem, non in præſentiam laturi,* ecquis quæſo futurus, qui non perſpiciat ſtatim & fateatur ultro? Innumera ergo fere excogitata hic ſunt à viris doctis, quibus loco male affecto ſuppetias ferrent, quæ legi a quovis poſſunt in Edit. Gronoviorum; nos enim moleſtus deſcribendi labor merito deterret, inprimis quum tædio potius futurus ſit Lectori, quam uſui, aut oblectamento. Unus tamen Salinerius, Vir alias nec indoctus, nec inelegans, hic ſilentio præteriri non debet, quippe qui tantam de ſe fiduciam capit, adeoque uſque ſibi domi plaudit, (ſi dicere fas ſit) ut ita ſcribere nihil vereatur: *Niſi erunt omnia ſole clariora, nunquam poſthac duarum rerum mihi credas:*

das: ita vero interpungenda cenſet verba controverſa: *Libertatem non in præſentia laturi primo ſtatim congreſſu? unde oſtendamus, quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit?*

Sed quid quæſo præſtiterit his, aut juverit multum locum hunc obſcurum & fœdo mendo obſitum?. Nempe magna & præclara minatus, extricat nihil prorſus. Paucis vero ut memet expediam, ita mihi legendum videtur: *Et libertatem non in præſenti lucraturi*, vel alio modo, *& in libertatem non in præſenti viam ſtraturi*, vel *ſtructuri*, quomodo nempe Lib. III. Hiſtor. cap. 49. de Primo Antonio dixerat Noſter, *dictis factisque viam ſibi ad potentiam ſtruere*: ita enim legendum omnino videtur, licet quidam Codd. habeant *vim ſtruere*, quod præferunt quidem Lipſius, & Gronovius, Lib. I. Obſſ. cap. 14. ſed perperam, ut mihi quidem videtur. Nam *viam ſtruere*, Latine dici ſcio; *vim* contra *ſtruere*, illectum mihi omnino & inauditum; utinam vero Lipſius, atque Gronovius, Viri ſummi, exempla quædam hanc in rem produxiſſent, & ignaros mecum docuiſſent! De eleganti autem vocis *ſtruere*, apud Latinos uſu, vid. Cl. Bünemann. ad Lactantii Inſtitut. I 1. Sed hæc obiter. Vel ſimpliciſſime & minima cum mutatione legendum: *in libertatem non in præſenti nos laturi*. Sed alio ſenſu, ac voluit laudatus modo Gronovius, in Elencho Antidiatribes Statian. Cap. VIII. pag. 196. Quancunque igitur ex his conjecturis noſtris Lector elegerit, ſenſum ubique commodum & perſpicuum ſtatim perſpecturus erit.

Hoc enim innuiſſe hic videtur Galgaecus ille, quaſi dicat: non ii ſumus nos Caledonii, qui nunc primum libertatem lucraturi, aut armis obtenturi ſimus, vel nunc demum viam nobis aperiamus ad eam adquirendam & in noſmet transferendam; quin potius eum præſertim in finem hic congregati ſumus, armaque cepimus, ut veterem illam, illibatam & nunquam adhuc ſub jugum miſſam, libertatem, intemeratam ſervemus, & contra hoſtes noſtros ſtrenue defendamus, ne nobis eripi, vel infringi aut diminui poſſit. Hunc enim verum ac genuinum hujus loci ſenſum eſſe, nemo credo, negaverit, cui antecedentia cum ſubſequentibus accurate atque ſollicite componere & comparare placuerit. Interim ego modeſte conjecturas exhibui, non veritates, aut oracula, quod abſonum in his foret atque ridiculum, ut ſæpius jam monui.

Sed paullo certiorem conjecturam nunc propoſiturus ſum circa locum quendam in Procli Archiepiſcopi CPolitani laudatione funebri in B. Jo. Chryſoſtomum, ubi inter alia hæc leguntur: *Omnem locum omni liberavit errore* (Chryſoſtomus,) *in Epheſo* artem Midæ *nudavit* (aut *fugavit*) *in Phrygia Matrem deorum ſine filiis fecit.* &c. Hic vero artis eſt ſummæ, illam *Midæ artem* ſcite interpretari. Cl. Cuperus in Inſcript. & marmoribus ant. explicat. p. 269. ſqq. hanc *artem Midæ* de arte magica immo & arcana illa & fumoſa χρυσοποιητικῇ, accipit, male omnino & infeliciter. Quid multa? mirum profecto, mirum, tantum Virum haud vidiſſe,

vidiſſe, legendum hic eſſe: *In Epheſo* Artemida *nudavit*, h. e. Ἀρτέμιδα, *Artemida*, ſive *Dianam*, Epheſi ſuperſtitioſiſſime olim cultam, ut nec pueris latet; ideo nihil amplius addo. Hanc autem conjecturam haud plane degenerem, quia eruditis ſemel jam valde placuiſſe intelleximus; hic denuo repetere nihil cunctari ſumus. Vid. la Bibliotheq; German. An. 1721. Tom. III. p. 302.

Caput XIII.

Petronius Arbiter viginti Locis tentatus, emendatus, aut illuſtratus: interjectis paſſim obſervationibus nonnullis, notatu dignis, & lectu forſan jucundis.

Supervacuum profecto videri poterat, poſt tot tantasque clariſſimorum virorum curas & vigilias Petronio Arbitro illuſtrando & emendando, certatim quaſi impenſas, in eundem denuo aliquid moliri, & novas obſervationes conſcribere.

Inprimis quum Commentariis jam adeo usque ornatus, immo rectius, oneratus ſit, ut ſub eorum nimia mole anxie potius gemat, quam liberius reſpiret.

Interim tamen, quum nulla tam læta & fœcunda in his ſtudiis philologicis & criticis reperiatur meſſis, quin ſemper aliquod haud aridum prorſus atque ſterile relictum ſit poſteris ſpicilegium: age! jam noſtras quoque ingenii vires periclitemur, videamusque, an noſtra etiam qualicunque opera & ope non-

nihil melior comtiorque reddi poſſit iſte elegantiæ arbiter erudito luxu quondam nobilis, & propter voluptatum ſcientiam, ipſi adeo Neroni chariſſimus & acceptiſſimus. Utinam vero tam caſtus moribus atque materia eſſet hic Scriptor, quam caſtus eſt ſtili nitore & ſermonis elegantia! utinam puriſſimam ſuam Latinitatem cœnoſa quaſi libidinum Latrina haud commaculaſſet, orationisque emendatiſſimæ lepores fœdiſſima obſcenarum narrationum lepra non contaminaſſet! ſed inanes atque vanæ jam ſunt iſtæ, etſi juſtæ, querelæ, poſt Gronovium, Lib. IV. Obſ. cap. 13. & alios. Igitur nunc ſine ambage ad ipſum accedamus Petronium.

Cap. XXI. *Intraverunt Palæſtritæ, & nos* lecythino *perfuſos oleo refecerunt.) Lecythino*, male hic quidam ſubſtituerunt pro *Legitimo*, quod vulgo legitur. Crediderim vero *Oleum legitimum* hic idem eſſe, ac oleum purum, incorruptum, nec adulteratum, quomodo *Nardum purum*, dixit Pomponius, l. 21. §. 1. ff. de aur. & arg. Leg. *Nardus piſtica*, in Evangelio Marci & Joannis, de qua tot lites & diſceptationes apud Veteres & recentiores commentatores, ut notum, quam Theophylactus ſcite παραφράζει per ἄδολον μετὰ πίςεως κατασκευασθεῖσαν, & Gloſſæ Veteres reddunt per *Balſamum ſine impoſtura*, vid. Gothofred. ad dictam Legem & inprimis Octav. Ferrarii Elect. Lib. II. cap. 3. pag. 100. ſqq. item Caſaub. contra Baron. Exercitat. XIV. 13. pag. 299. Sic *olus legitimum*, apud Plinium, Lib. XXII, cap. 38. vide-

uidetur eſſe olus verum & bonum, non ſubleſtum, aut legitimo doloſe ſubſtitutum.

Sed forſan hic apud Petronium legendum fuerit, *Selgitico oleo*, quod facillime per litterarum metatheſin, degenerare potuit in *legitimo*: de quo laudatus modo Plinius Lib. XV, cap. 7. *Suis herbis componunt inter Cappadociam & Galatiam oleum, quod* Selgiticum *vocant, nervis admodum utile.* Hoc vero Oleo nervino *Selgitico* in hac Palæſtra Venerea eo magis opus fuiſſe videtur, ut tanto nempe citius robur rediret nervis flaccidis & præmortuis, fruſtra hactenus manu officioſa ſollicitatis, ut rem turpiſſimam verbis molliſſimis & quantum pote, caſtiſſimis, Lectorum in commodum, ſic exprimere liceat. Nihil tamen de hac conjectura temere affirmo; ipſe judicet Lector, conferatque, ſi lubet, copioſas Eruditorum in hunc locum obſervationes in ſplendida Editione Burmanniana conjunctim exhibitas.

Cap. XXXV. *Ægyptius puer teterrima voce, de* Laſerpitiario mimo *canticum extorſit, vel extorquet.*) Locus hic valde depravatus atque hinc varie ab Interpretibus tentatus, ut videre eſt apud Celeb. Burmannum.

Neſcio vero, quid ſit *Laſerpitiarius mimus*, aliique neſciunt, ideo hanc mimicam quaſi conjecturam minime aliis præferendam eſſe arbitror. In unico veteri Codice Traguriensi ſcriptum deprehenditur: *de Laſerpitiari omino*, unde Schefferus faciebat, *de Laſerpitiario Vino*; non male quidem. Interim mallem tamen

ego

ego legere, *de Laſerpitiari Opo.* Ὀπὸς ſcilicet κατ' ἐξοχὴν vocabatur pretioſus ille & Medicis & Coquis tantopere expetitus ſuccus, *magnificus in uſu medicamentisque*, ut bene ait Plinius, ex Silphii vel Laſerpitii caulibus, potiſſimum autem radice, depromtus & expreſſus, unde ὀπὸς Σιλφίε, item ὀπὸς κυρηναϊκὸς, ſæpiſſime apud Hippocratem, Galenum, Theophraſtum, Dioſcoridem, Aëtium, & alios, occurrit.

Vel ſi hoc non ſatis placuerit, forſan non minus commode legendum fuerit, *de laſerpitiari germine.* Nempe pro pretioſiſſimo & Regibus ſolis digno germine Laſerpicium apud Cyrenaicos habitum olim fuiſſe, atque hinc cantilenam ἐγκωμιαςικὴν bene promeruiſſe, notiſſimum eſt. Unde & Βάττε Σίλφιον, adeo in proverbium abiit, ut videre eſt apud Zenobium, Michaël. Apoſtolium & Eraſmum. Vid. & vel maxime Lexicon MS. hiſtoricum in Biblioth. Coiſlin. Reverendiſſimi Montfauconi, Part. III. cap. 5. pag. 607. De hoc Laſerpicio vero, ſive ſilphio, copioſe tractarunt præter Spanhemium in immortali de uſu & præſtantia Numiſmat. Opere, Salmaſius ad Solinum, Scaliger in Animadverſ. contra Rob. Tit. Bodæus à Stapel ad Theophraſtum, Commentatores ad Ariſtophanem, Plautum, & Plinium, item Caſaubonus ad Athenæi Lib. III. Cl. Hemſterhuis ad Polluc. Lib. IX, cap. 6. Segm. 60. & noviſſime Cl. Haymius in Theſauro Numiſmatum Britannico, ut plures Medicos jam taceam, qui de Veteris illius & hodierni Silphii dif-

differentia, natura & viribus, diu multumque, ſed inani plerumque opera, diſputarunt. vid. præter Stapelium ſupra laudatum, Dan. Clericum, & alios, Jo. Langii Epiſt. Med. LXII. Lib. I. per totum, & qui ibi allegantur Autores plures.

Sed en novam adhuc de hoc loco Petroniano conjecturam, præcedentibus nihilo forſan deteriorem! Videlicet noſtra quidem opinione, legi hic æque commode & probabiliter poſſet: *de Laſerpiciari Ammone*, hoc eſt, de Jove Ammone, in fœcundis Silphio ſeu Laſerpitio Cyrenis culto & adorato, ut ſcilicet ex antiquitate cuivis notiſſimum, quo inprimis ſpectat illud Catulli, Carm. VII.

Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpiciferis jacet Cyrenis,
Oraculum Jovis inter æſtuoſi,
Et Batti Veteris ſacrum Sepulchrum.

Verum de hujus *Laſerpiciaris Jovis Ammonis* nomine, origine & cultu, poſt ſummos Viros, Bochart. Voſſium, Seldenum & Cudworthum, Syſtem. intellect. Cap. IV. pag. 393. ſqq. Editionis Moshemianæ ſplendidiſſimæ & locupletiſſimæ, plura ſcitu haud plane indigna, nos olim diximus in Exercitationibus Grotianis, pag. 260. ſeqq. nec non de Silphio ipſo aliqua ibidem, pag. 257. plura autem in Epiſtola noſtra Medico-Critica, pag. 79. Sed de his hactenus.

Cap.

Cap. XXXVIII. *Phantaſma, non homo,)* In MS. Tragur. hic extat *fantaſia.* Neſcio vero, quid ſpectrum, idolum aut ſimulacrum, ſive vana viſio & inanis pictura, (id enim *Phantaſia* & *phantaſma* proprie denotant, qua de re doctiſſime & copioſiſſime diſſerit Vir maximus & omni encomio major, Moshemius, ad Cudworth. ſyſtem. intellect. Cap. V. Sect. 3. pag. 1040. ſqq. ſed hæc obiter.) huc facere potiſſimum poſſit ad lautiſſimum epulonem & altiſſimum nepotum gurgitem, qualis hic præſertim deſcribitur. Inprimis, quum ſpectra vel ipſo Homero teſte, οὐ σῖτον ἔδουσ' οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον, *nec cibum capiunt, nec vina rubentia potant.* Quare miſſis hic aliorum in hunc locum hariolationibus, legendum hoc loco potius arbitror, *Pandæſia, non homo,* hoc eſt, *voracitas, ingluvies & epulum exquiſitiſſimis omnis generis cupediis inſtructum, non homo,* ſenſu ſi quid videam, elegantiſſimo, & ad præſentem Locum accommodatiſſimo.

Eſt enim Πανδαισία proprie πολυτελὴς τράπεζα, καὶ παντοδαπὰ ἔχουσα ἐδέσματα, ſive ἡ πάσαις ταῖς αἰσθήσεσιν ἡδονὰς παρέχουσα εὐωχία, καὶ τὸ πάντα ἔχειν ἄφθονα καὶ μηδὲν ἐλλείπειν ἐν τῇ δαιτὶ, Egregie ſic hanc vocem exponentibus, Heſychio, Suida, Harpocratione, Scholiaſte Ariſtophanis ad pacem, aliisque, qua de re vid. omnino Caſaubonus ad Athen. Lib. V. Cap. I. *Pandæſiam* ergo huc multo magis quadrare, ac vulgatum *phantaſiam*, ecquis quæſo dubitaverit?

Pan-

Pandaſia autem, *non homo*, eadem hic figura ac elegantia, dictum videtur, ac mox, *Diſcordia*, *non homo*, *Piper*, *non homo*, *Codex*, *non mulier*, *Mentula*, *non homo*, apud Catullum, *Littus & ſolitudo mera*, *non homo*, apud Ciceronem, & κάμινος, ὐκ ἄνθρωπος, apud Athen. Lib. I. ut alia id genus plura paſſim obvia, taceam; qualia jam ad hunc ipſum locum liberali manu congeſſit Celeb. Burmannus, quem vide.

Cap. XLI. *Tamen calda potio Veſtiarius eſt.*) Similem fere in modum Galenus Theriacam vocat τῶν σπλάγχνων ἔνδυμα, *viſcerum indumentum* ſive *veſtem.* En ipſa ejus verba, Lib. de Theriaca, ad Piſon. Cap. XVI. pag. 935. Edit. Charter. Tom. XIII. Opp. Μάλιστα δὲ ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις συμβουλεύω σοι τῆς ἀντιδότου λαμβάνειν, ὁπότε ψυχροῦ ὄντος τοῦ ἀέρος χειμῶνος ὁδεύῃς, ἔσται γὰρ, ὥσπερ τι τῶν σπλάγχνων ἔνδυμα, καὶ πολλὴν τὴν θερμότητα αὐτοῖς παρέχειν δυνάμενον. *Maxime vero in Peregrinationibus Antidoti potionem conſuluerim, quum in frigido aëre per hiemem iter adgrederis. Erit enim ceu ſalubre quoddam* viſcerum indumentum, *& multum calorem ipſis præbere idoneum.* Quæ ſane perquam appoſite huc Petronio illuſtrando inſerviunt, qui nempe eodem acumine, *caldam potionem* ſcilicet Vini, vocavit *Veſtiarium.* Quare minime opus, ut *lotio* hic legatur, pro *potio*, idque ad antecedens *balneum*, trahatur, ut quibusdam viſum; reclamant enim & præcedentia, & ſubſequen-

ſequentia. Nimirum adeo mundum & aſperum fuiſſe frigus hic conqueritur conviva, ut ſeſe ſolo balneo fervido extrinſecus calfacere haud potuerit, niſi & caldam vini generoſi potionem in ſubſidium quaſi, ſubinde ingeſſiſſet, atque ſe ſic contra externum frigus intrinſecus quoque præmuniviſſet, & quaſi veſtimento quodam cooperuiſſet. Hanc enim genuinam eſſe loci Petroniani ſententiam, nemo, credo, facile dubitaverit, qui omnem contextum inter ſe comparare animum induxerit. Ad id enim ipſum aperte adhuc reſpiciunt ſequentia, continuata nempe de re Veſtiaria, allegoria: *Staminarias duxi*, *& plane matæus vel madidus ſum*: *Vinum mihi in Cerebrum abiit*, h. e. primas tantum veluti lineas ebrietatis, primaque quaſi ſtamina compotationis, (*στήμονας καὶ ἤτρια ἰστῶ*, ut ait Theocritus,) duxi, *καὶ ὑποβεβρεγμένος εἰμί*, ut Græci ſcite loquuntur; & tamen jam pæne ebrius ſum, initio vix facto, quia Vinum mihi ſpe & opinione citius, in cerebrum abiit, idque anathymiaſi ſua cerebarica jamjam replevit. Hic enim verus hujus loci ſenſus eſſe videtur, quem & unice bene perſpexit Thomas Munkerus. Eadem ceterum eſt ſententia in ſuperioribus Petronianis hactenus illuſtratis, ac in iſtis Luciani, in Lexiphane, pag. 833. Opp. Tom. I. *Ἐγὼ δὲ ἦ δ᾽ ὡς ὁ Εὔδημος, κρύος γάρ ἐστιν, ἥδιον ἂν εὐζωροτέρῳ ὑποπυκνάζοιμι*, *Ego vero*, *inquit Eudemus*, *frigus enim eſt*, *meraciore vino malim intus ſtipari*, vel *contegi* & *cooperiri*, id enim proprie eſt *ὑποπυκνάζοιμι*. Niſi malis

vertere

vertere per *obduci:* quomodo mox apud Noſtrum ſequitur: *Cum Mulſi pultarium obduxi, frigori Hecas! indico*, ut nos quidem legendum hic cenſemus, pro vulgo corruptiſſimis: *frigori Læcaſim dico*, quod multis conjecturis vexarunt hic Eruditi. Reſpexiſſe ſcilicet putem argutulum Libertum ad ſolennem ſub auſpicio ſacrorum formulam, ἑκὰς, ἑκὰς ἐστε βέβηλοι, *procul! procul eſte profani!* de qua multa Briſſonius, Lib. I. de Formul. Caſtellan. de Feſtis, Pfeiffer. in Antiq. Græc. Caſaubon. ad Perſium, Commentatores ad Virg. Æn. VI. & ſexcenti alii, res enim nota. Sed de his hactenus.

Cap. XLII. *Heu! utres inflati ambulamus, minores, quam muſcæ, ſumus, tamen aliquam virtutem habent.*) Senſum in his deficere, nemo non, opinor, ſtatim videt. In Veteri Cod. extabat pro *ſumus*, *ſinitis*, vel *ſin is*, aut *ſuus*, unde Schefferus *fumus*, aut *fimus*, legebat; Reineſius autem malebat *Cinis*, ſatis quidem acute, ut fere ſemper alias; rarius tamen in Petronianis, ſenio nempe jam confectus, modo id non tam de cinere muſcarum, quam generatim potius de quovis cinere intellexiſſet, quia id nimis hic reconditum & eruditum videtur in ore præſertim plebeji ſervi & indocti mancipii, ut & recte obſervavit hic Schefferus.

Quare legendum mihi potius hic videtur: *Utres inflati ambulamus, minores, quam muſcæ: Cinis tamen aliquam virtutem habet*, ſcilicet eas muſcas a mortuis reſuſcitandi. *Muſcis enim*

humore exanimatis, ſi cinere condantur, redit vita, major inquit Plinius, Lib. XI, cap. 36. ubi vid. Harduin. & Lucianus in Muſcæ Encomio, pag. 375. Ἀποθανοῦσα γὰρ μυῖα, τέφρας ἐπιχυθείσης, ἀνίσταται, καὶ παλιγγενεσία τις αὐτῇ, καὶ βίος ἄλλος ἐξ ὑπαρχῆς γίγνεται, *Mortua namque Muſca ſuperfuſo cinere reviviſcit, & nova quædam generatio, atque ab integro alia ei fit vita*: apes quoque mortuas calido cinere ficulneo reſperſas, ſpiritum reſumere, poſt Varronem, Hyginum & alios, annotavit Columella, Lib. IX. de Re Ruſt. cap. 13. ſed hoc obiter. Hic ergo Seleucus, nequam & Epicuri de grege porcus, homines muſcis minores & viliores eſſe cenſet, quibus quippe frigore exanimatis, calido aſperſo cinere, vita redeat; quum hominibus contra, ubi ſemel occiderit brevis lux, nox ſit perpetua dormienda, nec ulla reſurgendi ſpes refulgeat, ut dicebat quondam ipſo nihilo melior Catullus. Sed de his jam ſatis.

Cap. XLIV. *Jovem aquam exorabant, itaque ſtatim urceatim plovebat, aut tunc, aut nunquam: & omnes ridebant*, ut Dii *tanquam mures.*) Et in his nullus commodus ſenſus, ut quivis deprehendit. Hinc varia excogitarunt doctiſſimi commentatores, ut locum depravatum reſtituerent, quos inter Nicol. Heinſius potiſſimum legebat: *Omnes rodebant avidi, tanquam mures*, majore profecto ingenio, quam probabilitate, omitto nunc alias conjecturas in Editione Burmanniana obvias. Mihi ſimpliciſſime hic potius legendum videtur, *& omnes ride-*

ridebant, udi, *tanquam mures.* Nempe pluvia urceatim quaſi effuſa udi & madidi, tanquam mures, ridebant gaudentes boni iſti atque pii mortales, qui unicus loci ſenſus videtur, ut ex antecedentibus patet. Ita nos pari lepore de iis, qui pluvia probe permaduerunt, vulgo dicimus: *ſie ſind ſo naß, wie die gebadten Mäuße*, & infra Cap. LVIII. apud Noſtrum occurrit, *tanquam mus in matella*, item *volpes uda*, (niſi forſan ibi legendum ſit, *verſuta*) quod & aliquo modo huc facere videtur. Ceterum facillimus eſt lapſus inter *ut dii*, & *udi*, ut quivis videt. Sic pari fere errore, *ſed Diis*, pro *ſed iis*, in Cicerone legi, ex Henr. Stephano obſervat Lud. Cappellus, Crit. Sacr. Lib. VI, cap. 12. pag. 438.

Cap. XLV. *Glyco Glyco dedit* ſuos: *itaque, quam diu vixerit, habebit ſtigmam, nec illam niſi Orcus delebit.*) Mutila hæc eſſe ſenſuque pleno carere manifeſtum, & a doctis quoque viris in hunc locum recte obſervatum.

Legendum igitur cenſeo, leviſſima quidem mutatione, aut licentia: *Glyco, Glyco dedit ſuum Os.* Scilicet *ſuum Os dare, præbere* & *offerre*, ii dicebantur, qui vel ſordida mercede, vel unctioris menſæ ſpe inducti, ſponte faciem ſuam alaparum & ſputorum contumeliis objicerent, vel in hoſtium poteſtatem redacti, vel ad mortem denique damnati, quibusvis injuriis os ſuum præbere inviti cogerentur. Huc Tacitus, Lib. III. Hiſtor. cap. 31. *Ut* præberi Ora *contumeliis & cuncta victi patiebantur*, & Cap. 85. de perituro Vitellio:

Modo erigere os & offerre contumeliis, Livius quoque Lib. IV, cap. 35. *Deſiiſſe poſtremo præbere ad contumeliam Os*, item Tertullianus, cap. XXIII. de Spectac. *Faciem ſuam contumeliis alaparum objiciunt*, & ita paſſim. Vid. imprimis Gellius, Lib. XX. Cap. 1. & Iſ. Voſſius ad Catull. pag. 118. pluresque alii, res enim ſatis nota.

Inde ergo *Os ſuum dare* vel *præbere*, generatim dicebantur, qui aliorum ſannis & ludibriis ſeſe incaute exponerent, ipſamque ſuam turpitudinem nudarent & in vulgus efferrent, ut a quovis merito deriderentur & traducerentur.

Quale hic imprudens commiſerat Glyco, dum diſpenſatorem ſuum ad beſtias dando, omnibus palam faceret, uxorem ſuam adulteram eſſe, ipſum vero currucam aut cornigerum, ut vulgo loquuntur, hincque ſe turpiter traduceret ipſum, ut in antecedentibus legitur; item mox in ſequentibus: *quam diu vixerit, habebit ſtigmam, nec illam niſi Orcus delebit.* Clariſſime huc Cicero Epiſt. 18. ad Atticum, Lib. I. *Auli filius, quam dignus, qui Palicano Os ad male audiendum quotidie præbeat?* ubi vide Grævium & alios; item Lib. I. In Verrem, initio: *Os ſuum populo Romano oſtendere auderet*; & Lib. III. cap. 16. *Os tuum præbere malueris*, quale quid & apud Terentium, Plautum & alios frequenter obvium. Ceterum *os dare* vel *præbere*, Græcis eodem ſenſu dicitur: Παρέχειν πρόσωπον, aut στόμα, item δοῦναι σιαγόνας, κόρρας, πρόσωπα, παρειάς, & ſimilia. Athenæus Lib. VI. Cap. 13. pag.

pag. 249. ubi ſic dictos *Διονυσιοκόλακας* graphice deſcribit, *παρεῖχον τὰ πρόσωπα καταπτύεσθαι*, *dabant os conſpuendum.* Verum & ipſi Hebræi pari ſententia & elegantia, dicunt: נתן לחיי אל כלמות *Dedit genas* vel *ora in ignominiam*, vel *ad contumeliam*, vid. inter alia Jeſ. Cap. L, 6. ubi bene LXX. Interpretes græce reddiderunt: *Ἔδωκα τὰς σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα.* Conf. Jac. Lydii Flor. Sparſio ad Paſſ. J. Chr. pag. 102. ſeqq. Sed hæc ſunt omnino alterius loci: hinc taceamus jam, ne ipſi os noſtrum Calumniatoribus & Vitilitigatoribus imprudenter dediſſe videamur.

Ibidem, de peſſimis & viliſſimis Gladiatoribus: *De magna turba ac hebete acceſſerant, plane fugæ meræ.*) In ipſo Codice MSto Traguriano hæc ipſa ſic ſcripta leguntur; *De magna turba adhebete:* unde Reineſius faciebat *Athletæ*, Heinſius autem *Andabatæ*, neuter quidem male: Mea tamen opinione, rectius forſan ſcribendum hic fuerit: *De mangonica turba redhibita*, ita nempe, ut viliſſimi ſervi hic denotentur, ideo mangonibus ab emtoribus redditi, quod ob immedicabile corporis vitium, præſtandis rite miniſteriis inhabiles eſſent deprehenſi, ſenſu ſane, ſi quid videam, elegantiſſimo. Scilicet ut JCtis ex principio l. 21. ff. de ædilit. Edict. conſtat, *Redhibere eſt facere, ut rurſus habeat Venditor, quod habuerat, inde Redhibitum*, teſte Feſto, *id proprie dicitur, quod redditum eſt improbatumque; & qui dedit, idemque rurſus coactus eſt habere id, quod ante habuit.* Conf. Gellius, Lib. IV. cap. 2. item

Cujacius, Briſſonius, Gothofredus, Calvinus & alii Jurisconſulti fere innumeri, vid. & Ægid. Menagii Amœnit. Jur. Civ. Cap. XXXIX. p. 339. res enim notiſſima. Græcis autem, ut id obiter hic adjiciam, Redhibitio eſt Ἀναγωγή. Heſychius: *ἀναγωγή, ἡ τῶν πραθέντων ἀνδραπόδων ἀνάδοσις ἐχόντων αἰτίαν τινα.* ubi *αἰτία* ipſum eſt *corporis vitium* ſive *Morbus*, quomodo hæc vox ſumitur Hippocrati in præcept. & alibi, Galeno, Ægineta ceterisque Medicis Græcis: ſicuti & Latinis, ut Livio, Senecæ, Vegetio, Palladio, & aliis, *Cauſſa*, *Cauſſatio*, & *Cauſſarium*, pro Morbo & Morboſo, de quo multa Caſaub. & Salmaſ. ad Spartiani Adrian. pag. 80. ſq. Gronov. Obſ. Lib. III. cap. 14. item ad Senec. pag. 30. 63. & pag. 235. & ad Liv. 38. 52. vid. & Not. ad Palladium aliosque, ſed hæc obiter. Noſtri ergo Gladiatores, de quibus hic ſermo, ejusmodi vitioſa mancipia redhibita fuiſſe omnino videntur. Pertinere enim vel maxime *loripedem* & *Bardybadiſtam* aut *Bardubadiſtam*, βαρδυβαδιστὴν, (ut nos quidem in antecedentibus legendum putamus, pro corruptiſſima voce *Burdubaſta*, de quo alibi) hoc eſt *tardigradum* & *agili pedum uſu deſtitutum*, ad eos vitioſos ſervos, propter quos actio redhibitoria contra Venditores & Venalitios jure inſtitui poſſit; JCtis ſatis notum eſt ex laudato Pandectarum Titulo de ædilitio. Edicto, & ipſa ſana ratio valide imperat. Utrumque enim eſt vitium, quod uſum miniſteriumque hominis impedit, inde merito Redhibitioni locus. *Turba* vero *man-*

mangonica, noſter eodem modo hic dixiſſe videtur, ac *mangonici Venalitii*, Plinius, Lib. XXI, cap. 26. ubi vid. Harduinus, pag. 260. Tom. II. nec non Jo. Britannicus, ad Juvenal. Satyr. XI, 147. pag. 622. apud Henninium.

Ceterum illud *plane fugæ meræ*, eleganter more Græcorum, hic idem eſt, ac *fugitivi meri.* Ita ſæpe σόφισμα, pro σοφιστὴς, γειτόνημα, pro γείτων, πάλαισμα, pro παλαιστὴς, ὠφέλημα, pro ὠφελὴς, ἱεράτευμα, pro ἱερεὺς, & alia in hunc modum plura, de quibus vid. Iſ. Caſaubonus ad Athen. Lib. I, cap. 9. pag. 30. & Scipio Gentilis, in Originibus ad Pandect. pag. 308. Lud. quoque Cappellus in Critica Sacra, Lib. IV. cap. 18. pag. 315. ita & ἔλεγχος, pro ἐλεγχὴς, apud Hippocrat. in præcept. & apud Heſiodum, in Theogonia, λυμεὼν καὶ ὄλεθρος, pro λυμαντὴς καὶ ὀλέθριος, apud Dionyſium Halicarn. Lib. XI. pag. 723. & λοιμὸς, pro λοιμώδης, Act. Apoſt. XXIV, 5. ubi plura id genus obſervat Pricæus, cum aliis. Vid. & Lexicon Græc. MS. in Bibl. Coislin. Rev. Montfaucon. Part. II. cap. 6. pag. 483. add. & Photium, ibidem. pag. 372. Pari modo *peſtis reipublicæ*, ſæpius apud Ciceronem, Livium, Senecam, Apulejum & alios, pro peſtilente & perdito nequam, *ſcelus*, pro ſceleſto, apud Plautum, & Terentium, *Crux*, *Carcer* & *Barathrus*, pro iſtis ſuppliciis digno nebulone apud eosdem, Lucilium & alios; atque ita etiam hic apud noſtrum Petronium *fugæ meræ*, pro fugitivis meris, ut ſupra jam monui. Malebam quidem

pro iſtis, *plane fugæ meræ*, aliquando legere, *plani, fungi meri*, ſenſu ſatis commodo & eleganti, niſi fallor: nunc tamen nihil mutare audeo, dictis modo ex Cauſſis, quod ſcilicet *fugæ meræ*, ſenſu acutiſſimo & Græciſmo lepidiſſimo, dictum hic ſit, ut abunde hactenus probavimus. Sed ohe! jam ſatis.

Ibidem, prope finem Capitis XLV. *Tibi plus do, quam accepi.*) proverbium hæc mihi ſapere videntur, quomodo & ſequentia plura: quo & illud inprimis pertinet Cap. XLVI. *plus docet, quam ſcit*, quod parem fere ſenſum habere videtur, ac hoc, *plus do, quam accepi*: quod miror proinde, intactum plane hic præteritum fuiſſe a doctiſſimis Commentatoribus. Quum tamen ſatis ſcite illud illuſtrari poſſit ex Anthologiæ Græcæ Lib. VI, cap. 14. Epigramm. 3. Δὸς πλέον, ὧν ἔλαβες, *Da plus, quam acceperis*, item ex ipſo noſtro Hippocrate, Lib. II. de Diæta, pag. 232. Δίδωσι μᾶλλον, ἢ λαμβάνει, *plus dat, quam accipit*, & ex Senecæ denique Epiſtola XXXVIII. *plus reddet, quam acceperit.* Sed de his hactenus! Tranſeamus ad alia.

Cap. XLVI. *Diſcipulus Cicaro meus ingenioſus eſt, & bono filo, etiamſi* in naves *morboſus eſt.*) Vera haud dubie hic Lectio eſt, *in aves morboſus eſt*, ſequitur enim mox: *Ego jam illi tres Cardueles occidi, & dixi, quod muſtela comedit.* Mirum ergo omnino eſt, Viros doctiſſimos alieniſſima, immo & obſceniſſima, ſectari hic maluiſſe, quam facilem illam, obviam & unice veram Lectionem, quam modo lau-

laudavi, amplecti, excepto uno Scheffero. *In aves* autem *morboſus*, Græcis eleganter dicitur Ὀρνιθομανὴς. Athenæus Lib. XI, cap. 3. pag. 464. τινὲς καλῦσι τὺς φιλόρνιθας Ὀρνιθομανεῖς, inde ipſum inſanum in aves ſtudium Ὀρνιθομανία, ut notum. *Morbum* enim, Græcis Νόσον, & Hebræis מחלה corruptum & inſanum alicujus rei ſtudium & depravatos animi affectus, ſignificare,. conſtat ſatis ex Stoicorum & Platonicorum philoſophia, *omnes enim Animi perturbationes morbos philoſophi appellant*, inquit Cicero, Lib. IV. Quæſt. Tuſc. ubi plura, qua de re vid. Lipſ. in phyſiol. Stoic. Caſaubon. ad Athen. pag. 868. & ad Perſium, Gataker. ad Marc. Antonin. Heinſium ad Max. Tyr. & alibi, aliosque plures. Inde igitur *ægrotare in aliquo*, ſive *morboſum eſſe in aliquid*, νοσεῖν περὶ τι, ſive εἰς τι, eſt inſano illo ſtudio & indomita cupidine in aliquam rem teneri & inquietari. *Nam ægrotare morbo dicuntur, qui habent aliquam cupiditatem*, ut recte obſervat Vetus Horatii interpres, ad Sat. I. annotante Pricæo, pariter Νοσῦν Heſychius ſcite exponit per ςασιάζειν. Ita πόλιν οἰκείῳ πολέμῳ νόσῦσαν, dixit Dionyſ. Halicarn. Lib. VI. pag. 359. & B. Apoſtolus Paullus, I. ad Timoth. Epiſt. cap. VI, 4. νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας, ubi vide omnino Pricæum, pag. 812. ſq. Elſnerum, pag. 307. Wolf. pag. 487. Grotium, Clericum & alios. Sic & νοσῶν εἰς ἀφροδίτην, dixit Pollux VI, 42. νοσῶν περὶ κενοσπουδίαν, Clemens Alexand. Pædagog. III, 3. περὶ σφραγίδια

πολυτελῆ νοσῦντες, Plutarchus, Lib. de Cohibenda Ira, τὰ περὶ Θεὺς πάνυ νοσῶν, Lucianus in pſeudomante, νοσεῖν περὶ τὴν δόξαν, πολυπραγμοσύνην, τὰ θεατρικὰ, εἰς ὕβριν, μέθην, ἄῤῥενας, vel περὶ παιδικὰ, κύνας, ἵππυς, κήπυς, οἰκήματα, μύρα, ἐπιδορπίσματα, & talia longe plura, iterum Plutarchus, Ælianus, Athenæus, Suidas, Xenophon aliique plures, ut Chryſoſtomum, Baſilium, Juſtin. Mart. aliosque patres Græcos, item Philonem Judæum jam ſileam, apud quos nihil hac allegoria frequentius, & ſexcenta alia prætercam. Et ſic ſæpiſſime quoque Latini, inprimis Cicero atque Seneca, quorum loca cum his modo laudatis ſedulo, ut ſolet, congeſſit Pricæus ad dictum Apoſtoli locum. Notum quoque illud eſt Horatii Sat. 3. Lib. II, *Maxima pars hominum morbo jactatur eodem*, ubi vid. Interpretes: quin & ipſe noſter Petronius, infra cap. XC. *quid tibi vis cum iſto morbo?* id eſt cum inſano iſto ſtudio verſus ineptos & ridiculos condendi? ubi vide Commentatores veteres & recentiores, præſertim vero ſummum Virum, Jo. Fr. Gronovium, in doctiſſimis Notis ad Senecæ Lib. I. de Benef. cap. 14. pag. 142. ſqq. ubi plura, quæ huc egregie prorſus faciunt, add. & Grangæum, ad Juvenal. Sat. VII, 52. ut alios plures jam taceam. v. g. Menag. ad Diog. Laërt. Lib. VII. pag. 305. Vechner. in Hellenolex. Lib. II, cap. 4. pag. 472. Auſon. Popmam, de Different. Verbor. Lib. I. pag. 26. 27. &c. quo & illud pertinet Euſebii de libidinoſis & atheis paganis,

in

in Orat. de Laudibus Conſtantin. pag. 648. τῆς παλαιᾶς νόσȣ, τῆς δὴ τὸ πᾶν τῶν ἀνθρώπων γένος κεκρατηκυίας, & alia in hunc ſenſum plura paſſim apud eundem, de quibus jam ſupra cum aliis.

In aves igitur *morboſus*, hoc loco, apud Noſtrum, idem omnino eſt, ac qui inſano prorſus ſtudio & flagrantiſſima cupiditate in aves capiendas, aut coëmendas alendasque perpetuo fertur, neglectis interea turpiter melioribus potioris officii rationibus, νοσῶν περὶ vel εἰς ὄρνιθας, ſive ὀρνιθομανὴς, ut ſuperius paullo jam monui. Quare nihil quidquam hic in Petronio mutandum, multo minus de obſceno aliquo ſenſu cogitandum, ut hactenus quidem ſatis liquido, prout ſpes eſt, demonſtravimus.

Ibidem mox, de eodem Cicarone in aves morboſo: *Nec uno loco conſiſtit, ſed* venit, dem *literas; ſed non vult laborare.*) Mutila hæc atque depravata eſſe, recte jam viderunt omnes Commentatores, & vario modo emendare & ſupplere conati ſunt, ut videre eſt apud Celeb. Burmannum. Mihi tamen ipſorum pace, ita legendum potius videtur: *Et petit quidem litteras; ſed non vult laborare*, niſi magis illud placuerit: *Et deperit quidem literas; ſed non vult laborare*, h. e. amat quidem ſtudia, ſed non multum temporis & operæ in iſtis rite excolendis & pertractandis conſumere vult. *Er mægte wohl gern gelehrt ſeyn; will aber den Kopf nicht dran ſtrecken*; ut nos pari ſenſu vulgo loqui ſolemus.

Eodem

Eodem Capite XLVI. fere extremo, hæc ſemibarbara leguntur: *Emi ego puero aliquot Libra rubricata, quia volo illum, ad domus* Jonem, *aliquid de jure guſtare.*) Hic nihil prorſus ſignificare vocem illam *Jonem*, ſuique Capite miſere eſſe truncatam, oppido manifeſtum. Quare quidam legere maluerunt, *rationem*; Nicol. autem Heinſius ſcribebat potius, *tuitionem*. Nullus quidem male: interim tamen minore adhuc licentia, & majore forſan probabilitate, ego legere malim: *ad domus uſionem*, abſorpta nempe priore ſyllaba *us*, a ſimili poſtrema præcedentis vocis *domus*, in quo in Veteribus Libris millies peccatum fuiſſe, eruditis ſatis notum eſt. *Ad domus* vero *uſionem*, idem eſt, ac *ad domus uſum*, *uſuram* aut *utilitatem*; qua quippe eleganti voce hoc ſenſu ſæpius uſus eſt Cato de Re Ruſtica, ut annotavit in Lexico Ruſtico Cl. Geſnerus, item Varro apud Nonium, Scævola, apud Gellium Lib. IV, cap. 1. Ulpianus JCtus, l. 27. §. 4. ff. de aur. arg. & mund. leg. aliique Veterum, ut & ex Lexicis notum. Occurrit & apud Plinium, Lib. XVIII. cap. 25. ex feliciſſima quidem & veriſſima emendatione Jo. Harduini, quem vid. ibi in Notis, pag. 152. ut & inprimis Victorium ad Catonem de Re Ruſt. Cap. XXXVIII. in fine, maxime vero Celeb. Dukerum, de Latinitate JCtorum Veterum, pag. 360. in Not. Vix ergo dubitem, & hic Petronio reddendam eſſe hanc paullo ignotiorem vocem *uſionem*, inprimis quum tam crebro Veteres Librarios in ea exaranda lapſos eſſe animadverterim,

Ce-

Ceterum dictum illud, *Ad domus uſionem aliquid de jure guſtare*, eodem fere modo, nos vulgo exprimere ſolemus: *Etwas weniges fürs Hauß lernen.* Sed hæc nota jam ſunt: ideo ad alia potiora transeamus. Ipſe enim jam prodit venerabilis Trimalchio, elato faſtu duroque ventre juxta prætumidus: illum igitur jam quæſo, audiamus loquentem; ſi ſalvo tamen pudore noſtro, fieri id quidem ſatis commode poſſit.

Cap. XLVII. *Ignoſcite mihi, Amici, multis jam diebus venter mihi non reſpondit: nec Medici ſe inveniunt. Profuit mihi tamen* Maleicorium *ex tæda & aceto.*) Quum hæc omnia, nempe Cortex mali punici, id enim eſt *Malicorium*, item *Tæda* & *acetum*, ventrem potius ſiſtant & adſtringant; quam ſolvant & relaxent, ut Medici ſciunt omnes, & in vulgus ſatis notum: mirum utique videtur, qui Trimalchio hæc eadem ſibi ad contumaciam alvi expugnandam profuiſſe aſſerere hic potuerit.

Niſi affirmare malimus, eum per ſolitam ſuam ἀκυρολογίαν & ſtultiloquentiam, omnia hæc præpoſtere & perverſe deblateraſſe, ut infra de Sibylla, Origine Vaſorum Corinthiorum, de Diomede & Ganymede aliisque id genus deliramentis paſſim obviis. Sed veri tamen non ſit ſimile, ignoraſſe hic Trimalchionem, quid ſibimet ipſi profuerit; quum tamen inanis loquacitatis & infructuoſæ operæ Medicorum pertæſus, ſuo auſu atque conſilio (more nempe ſolito & ridiculo magnatum & aulicorum,) Remedium aliquod domeſticum

cum

cum adſumſerit. Quare locum hunc mendoſum eſſe, atque æque, ac Trimalchionem ipſum, remedio indigere; probabiliter conjicimus. Facillima vero ipſi fiet Medicina, me quidem judice, legendo nimirum: *Malacterium*, vel, quod idem, *Malthacterium ex beta & aceto*; ſenſu ſane commodiſſimo. Μαλακτήριον ſcilicet, vel Μαλθακτήριον, quod frequentius occurrit, proprie eſt Remedium, quo alvus adſtricta emollitur & lubrica redditur, ſæpiusque legitur apud Hippocratem, Lib. de Superfœtat. de Morb. Mul. & alibi: Inde & φαρμακον μαλακὸν, & μαλακώτερον, quod idem, apud eundem, Lib. de Purgantibus, & Locis aliis quam plurimis; item κοιλία μαλαχθεῖσα, *Venter ejusmodi Malacterio emollitus*, eidem Lib. IV. Epidem. & alibi: ſic & Dioſcorides, Lib. I, cap. 161. τὰ μελίμηλα κοιλίαν μαλάσσει, qualia plura ibidem paſſim, & apud Athenæum, Plutarchum, Galenum, Theophraſtum aliosque Veterum.

Quemadmodum pari ſenſu *Mollire ventrem*, dixit Plinius, Lib. XX. cap. 5. & alibi. *Betam* vero inprimis ejusmodi Ventris eſſe *Malacterium*, præter Hippocratem, ceterosque Medicos Veteres, expertus nimium teſtatur ipſe Cicero, Epiſt. 26. ad Famil. Lib. VII. *Tanta me διάῤῥοια arripuit, a* Beta *etiam & a* Malva *deceptus ſum.* Præſertim vero alvum ducere Betam, ubi cum aceto cocta fuerit, clariſſime patet ex Plinio, Lib. XX, cap. 8. *Coquitur* Beta *& cum lenticula, addito* Aceto, *ut ventrem Molliat*, ubi videatur maxime Harduinus. Sed ſatis

ſatis jam de his ad conjecturam noſtram apprime, ſpero, confirmandam.

Antequam autem mihi hæc ſubnata eſſet Emendatio, forſan haud pœnitenda; locum depravatum ſic ſanandum cenſebam: *Malva, Cichoreum, & Beta ex Aceto.* Non ita male, niſi fallor. Eſſe enim omnes has plantas διαχωρητικὰς καὶ μαλακτικὰς, hoc eſt, *ventrem exoneraturas*, ut cum Martiale loquar, aut quæ alvum facile ſolvant, fluxamque reddant, præter Hippocratem, Lib. II. de Diæta, Dioſcoridem, Galenum, Plinium, pluresque alios, teſtatur ipſe Horatius, Lib. I. Od. 31. & Epod. 2. &c. item Martialis, Lib. X. Epigr. 48. Lib. III. Epigr. 89. & alibi, Athenæus, Lib. XIV, cap. 17. Cicero, loco ſupra laudato, aliique Veteres plures, de Malva inprimis vid. Menag. in Amœnit. Jur. Civ. Cap. II. p. 22. *Beta* vero loco τῦ *Tæda*, in noſtro hoc loco legendum eſſe, pervidit jam optime ſagaciſſimus Heinſius, ut poſtea animadvertimus. Ceterum, verbo *Profuit*, eodem, ac hic, modo, uſus quoque eſt Serenus Samonicus, Cap. II. *Profuit & hedera ex oleo contrita vetuſto*, qui & alibi ſæpius ſic loquutus eſt, ut & Plinius, Celſus, Cælius Aurelianus & alii. Eligat nunc ex his Lector ipſe, quidquid horum probabilius ſibi viſum fuerit: Nobis interim priorem conjecturam, utpote modeſtiorem & faciliorem, magis placere, candide profitemur.

Cap. LXIII. *Subito ſtriges cæperunt.*) Malim hic legere *Crepuerunt*: Strigas enim dictas eſſe ait

ait Ovidius, Lib. VI. Faſt. *quod horrenda ſtridere nocte ſolent:* Vel potius a Græco στρίζειν, ſenſu eodem, Feſto teſte, vid. Baxter ad Horat. Epod. V. pag. 200. item Voſſ. Becmann. Martin. & alios Etymologos, item doctorum Virorum Notas ad Heſych. voce Στρίγλος, apud Schrevel. & Celeb. Dav. Millii Diſſertat. Select. VI. pag. 109. ſeqq. item Nicol. Fulleri Miſcellan. Sacr. Lib. VI. cap. 7. pag. 126. De obſcenis quoque Harpyjis Virgilius pariter cecinit. Lib. III. Æneid.

At ſubitæ horrifico lapſu de montibus adſunt
Harpyjæ, & magnis quatiunt clangoribus alas.

Ibidem: Videt Manuciolum *de ſtramentis factum.*) Scribendum forte, *Maniolam de ſtramentis factam.* Feſtus: *Manias Ælius Stilo dici ait ficta quædam ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii* Maniolas *appellant.* Quæ huic loco non male conveniunt, etſi hic *Maniola* de ſtramento facta fuit, quæ alias fieri ſolebat de farina. Mox apud Noſtrum ſequitur:

Strigæ puerum involaverant, & ſuppoſuerant Stramentitium Vavatonem.) Sed quid hoc Monſtri? quis obſecro dixerit, quid ſit hic *Vavatonem?* Multum ergo hic ſudarunt Interpretes; ſed fruſtra, nec extricarunt quidquam. Forſan Trimalchio pro conſueta inſolentia, ſuopte ingenio & lubitu finxerit *ſtramentitiam Larvationem*, eodem ſcilicet ſenſu, quo Apulejus Lib. I. Met. pag. 104. dixit *larvale ſimulacrum*, & *Larva umbratilis*, Plautus, in Adject. ad Amphitr.

phitr. in cujus Fragmentis & hoc legitur: *pro Larvatore circumferam*; quemadmodum *Macies larvalis*, in Priapej. Carm. XXXII. Sed hæc incerta. Fortaſſis nonnihil certius hic potius legendum: *Stramentitium Plangonem.* Nimirum *Plangon*, ſive πλαγγὼν, Græcis eſt icuncula ſive pupa, ex gypſo, cera, vel luto formata, teſtibus Heſychio, Suida & aliis, unde *planguncula*, apud Cic. Lib. VI. ad Att. Ep. I. ut docti ibi recte reſtituunt: de qua voce plura egregie notavit Caſaubonus in aureis Commentariis, ad Perſ. Sat. II. pag. 107. & ad Athen. Lib. IX, cap. 13. pag. 699. item Deſ. Heraldus, Lib. I. Adverſar. cap. 8. pag. 41. ut alios taceam. *Plangonem* ergo *Stramentitium*, ſive *Maniolam de ſtramentis factam* hic veri pueri loco, ſuppoſuiſſe dicuntur ſævæ & ſcævæ ſtriges, ſenſu claro magis, quam vero.

Cap. LXVI. *Catillum concagatum.*) Hoc quid ſit, difficile dictu, nec convenit de eo inter Interpretes. Forté legendum, *Catillum Ornatum*, quo nomine apud Romanos vocabantur Lagana quædam e ſucco lactucarum, ſiligine, adipe ſuillo, pipere atque oleo parata, ut teſtatur Chryſippus Tyan. apud Athen. Lib. XIV, cap. 15. pag. 647. his claris verbis: Κατιλλος δὲ ὀρνᾶτος ὁ λεγόμενος παρὰ Ῥωμαίοις, ὕτω γίνεται, κ. λ. ubi vid. Caſaub. in Animadverſ. pag. 921. Sed deliberent quæſo, de hac noſtra conjectura doctiores & acutiores critici.

Cap. CXIV. *Peragit Tempeſtas mandata fatorum, omneſque Reliquias navis Expugnat.*) Si-

gnificanter admodum & magno cum pondere hoc dictum. *Expugnatur enim Navis, cum ſpoliatur, aut mergitur, aut diſſolvitur, aut pertunditur, aut funes ejus præciduntur, aut vela conſcinduntur, aut anchoræ involantur de Mari:* quemadmodum verbum *Expugnare*, ſcite & nervoſe ſic explicatur, l. 6. ff. de incend. ruin. &c. unde nunc ſatis liquido, opinor, apparet, ſingulari cum delectu hic hoc verbo uſum eſſe noſtrum Petronium.

Verum ſufficiant jam paucula hæcce de Petronio, ex læta atque ingenti obſervationum Petronianarum ſilva, prout ſors vaga tulit, ſine longa deliberatione, obiter decerpta, & huc translata: quæ ſi forſan guſtui fuerint Lectoribus haud prorſus faſtidioſis; nos lautiores nonnihil & inſtructiores dapes ipſis alibi data opera appoſituros eſſe, hic interea pollicemur.

Caput XIV.

Julius Pollux ſemel, Heſychius autem pluries emendatus & illuſtratus. Ælianus obiter ſemel emendatus. Aliqua Etymologica interjecta.

In Julii Pollucis Onomaſtico doctiſſimo & optimæ frugis pleniſſimo ſplendide illuſtrando & acute emendando, præclaram omnino operam & olim & hodie poſuiſſe præſtantiſſimos Viros Salmaſium, Valeſium, Seberum, Jungermannum, Kühnium, Lederlinum & in-

inprimis celeberrimum Tiberium Hemſterhuiſium, abunde conſtat inter Eruditos, qui tantorum virorum liberaliter congeſtis opibus operisque læti gratique hodie fruuntur, & fruentur in poſterum, ſæculis futuris.

Interim illum ipſum Pollucem in quamplurimis adhuc locis fœde eſſe pollutum, & ex ipſa ſedula ipſius Libri inſpectione liquido pateſcit, & ingenua Virorum modo laudatorum confeſſio inſuper affatim confirmat.

Inter hos autem depravatiſſimos locos facile eminet ſequens, qui Lib II, cap. 4. Segm. 110. pag. 210. legitur, & de ſaporum diverſitate agit, quem jam pace Lectorum, ſum producturus, & quantum alma Critice faverit, emendaturus. Sed en ipſa illa verba: Χυμοὺς, δυσχερεῖς, ἀηδεῖς, γλυκεῖς, ἡδεῖς, εὐμενεῖς, ἐκλυσῶντας, h. e. *ſapores moleſtos, inſuaves, dulces, ſuaves, mites* & *diſſolutos*, ut quidem reddiderunt interpretes; Verum quid eſt hic, obſecro, illud ἐκλυσῶντας, & quis unquam χυμοὺς ἐκλυσῶντας, ſeſe legiſſe meminerit? Hic ergo, ut quivis deprehendit,

- - - medio de fonte ſaporum,
Surgit amari aliquid, quod in ipſis faucibus angat,

Verbo, locus contaminatiſſimus eſt, & græcarum litterarum rudes & expertes ſcribæ Pollucis, cœnam hic Lectoribus haud ſplendide & pollucibiliter ſatis inſtruxerunt, ſi ita quidem ludere liceat, ut vel ex variis doctorum virorum hariolationibus & conjecturis huic

loco largiter ſubjectis, perſpicue ſatis patet. Seberus enim legebat ἐκκλύζοντας, *diluentes*, *abluentes*, Salmaſius autem ἐκλυσσῶντας, *inſaniam furoremque creantes*, vel ἐκλύσαντας, *reſolventes*, Joach. denique Kühnius malebat ἐκλυζῶντας, quod quid ſibi velit, ipſe non addidit, nam *ſingultientes ſapores* quid ſint, nemo facile dixerit, multo minus, quid ſint *furorem creantes*, liceat μέλι μαινόμενον hoc fere ſenſu occurrat apud Strabonem, Lib. XII. & Xenophont. Lib. IV. de Expedit. Cyri, de quo vid. Petr. Moll, ad Longi Paſtoral. pag. 22. ut reliquas conjecturas taceam his non meliores, quibus refellendis diutius immorari, nec operæ pretium, nec noſtri candoris eſt. Noſtram ergo potius conjecturam circa hunc conclamatum Pollucis locum modeſte proponere liceat.

Nimirum nobis loco τοῦ corrupti ἐκλυσῶντας, leviſſima quidem mutatione, diviſim legendum videtur, ἐκ δισσῶν ὄντας, h. e. *ſuccos ex duplici ſapore conſtantes*, nempe ἐκ δισσῶν ſcil. γευμάτων vel γεύσεων ὄντας ſcilicet χυμοὺς, quæ nempe præceſſerant.

Quæ ſane, me quidem judice, huc optime convenire videntur. Recenſuerat quippe Pollux hactenus ſapores *ſimplices*, veluti dulces, ſalſos, amaros, auſteros & alios; nunc vero & addit *duplices*, verbi gratia, γλυκυπίκρους, ſeu *dulcamaros*, *ſalinacidos*, *oleoſodulces*, & ſimiles plures, quales poſt Plinium, Lib. XV. cap. 27. late recenſet & doctiſſime explicat Claud. Salmaſius, in magno Opere Exercitat.

Pli-

Plinianarum, pag. 905. ſeqq. Ceterum facillimum eſſe lapſum inter τὸ ἐκλυσῶντας, & ἐκ δισσῶν ὄντας, nemo, credo, valde dubitaverit, modo paullo attentius conſideret æquales & pæne eosdem ductus, in majuſculis præſertim litteris, nempe inter ΕΚΛΥΣΩΝΤΑΣ, & rurſus inter ΕΚΔΙΣΣΩΝΟΝΤΑΣ, ut ſcilicet ad oculum patet.

Verum fuit &, quum legendum arbitrarer, ἐκπλήτσοντας, ſcilicet χυμοὺς, hoc eſt, *ſapores acres, vellicantes, morſicantes, pungentes*, quemadmodum nempe Galli eodem ſenſu dicunt, *un goût piquant*; ſicque juſta ſatis atque concinna eſſet oppoſitio inter χυμοὺς εὐμενεῖς, quod præceſſit, & inter χυμοὺς ἐκπλήσσοντας, ſive inter *ſapores mites* & inter *ſapores pungentes & quaſi lancinantes.*

Sed eligat nunc ipſe Lector ex his emendatis, ut putem quidem, ſaporibus, qui ipſi magis ad palatum fuerit. Nos jam ad Heſychium properamus, in quo longe plures ſapores corrupti & rancidæ reliquiæ de heſterna cœna ubique occurrunt, ut doctis quidem mecum, notiſſimum.

Pag. 78. Ἀμφαγαπαζόμενος, πάνυ φιλοφονούμενος.] Legendum omnino videtur, φιλοφρονούμενος, ut quivis intelligit. Ita paullo ſuperius dixerat, ἀμφαγαπαζόμενος, ὑπερβαλλόντως περιαγαπώμενος. Sed hoc leve.

Pag. 92. Ἀναρεῖτα, κύουσα, & mox, Ἀναρεῖν, ἀμέλγεσθαι, κυΐσκεσθαι.] Guietus hic conjicit, has voces ex ἀνὰ & ῥέω, *abundo*, compoſi-

poſitas, & ἀναρῦσα, hinc idem eſſe, ac ἀναῤῥέυσα, *abundans*. Verum pace doctiſſimi illius Viri, mihi ſecus videtur. Idem enim hic verbum ἀναρεῖν eſſe crediderim, ac ſuperius Ἀναιρεῖν, pag. 88. quod Noſter, æque ac hic, explicat per ἐν γαςρί συλλαβεῖν, τὸ τεχθὲν ἀνατρέφειν, καὶ κυΐσκειν, καὶ ἀμέλγεσθαι. Nunc ipſe quæſo, Lector judicet.

Ceterum Græco Ἀναρεῖν, reſpondet ex parte Hebræum נער *Nahar, fœtum excuſſit*, quod de parturientibus dicitur, unde & ut notum, נער *Nahar, puer, infans*, & נער *Nohar, pueritia, infantia*, qua de re plenius infra iterum ad Heſychium, Cap. ultimo hujus noſtri Libri. Sed hæc obiter.

Pag. 101. Ἀνεςάλησαν, ἐκρύβησαν.] Forte legendum hic ἐκροίβδησαν, præcedit enim Ἀνεςάλη, ἐσείσθη, μετεκλονήθη, ad quæ τὸ ἐκροίβδησαν, perquam appoſite facit. Judicet tamen Lector, an ſatis bene conjecerimus.

Pag. 110. Ἀντίτομον, φάρμακον ἀντιπαθὲς, ὅπερ ὁ ποιῶν ἐ βλάπτεται ὑπὸ τινός, ἀλεξιφάρμακον.] Hic ipſe locus dum de antidoto, ſive Remedio contra venena, agit, antidoto quaſi opus habet, contra venenatas, ut ſic dicam, maculas, quibus totus inquinatus fuit. Adeo enim fœde corruptus eſt, ut ne quidem græca, prout nunc concepta ſunt, latine reddere liceat.

Ita igitur ille mihi conſtituendus videtur: Ἀντιτοξικὸν, φάρμακον ἀντιπαθὲς, ὅπερ ὁ πιὼν

πιὼν ἐ βλάπτεται ὑπ' ἰȣ͂ τινός, Ἀλεξιφάρμακον. Hoc eſt, *Antitoxicon eſt Remedium Venenis oppoſitum, quod ſi quis bibit, non læditur ab ullo veneno, verbo, Alexipharmacum.* Quo facto, omnia nunc ſcite cohærere, nemo non, opinor, ſtatim animadvertet.

Nempe primo pro Ἀντίτομον, quod nihil hic ſignificare videtur, licet occurrant apud Hippocratem, Lib. de decenti ornatu, ποτήματα τέμνειν δυνάμενα, ſi locus quidem ſanus plane fuerit, reſcripſimus, facili mutatione, Ἀντιτοξικὸν, nempe ἀπὸ τȣ͂ τοξικȣ͂, ſive *veneno*, (de quo vid. Barthii Adverſar. Lib. I, cap. 2. & Lib. XXXV, cap. 6. pag. 1643. ita τοξικὸν βαρὺ καὶ βρωμῶδες, legitur apud Ælian. Lib. VII. de Nat. Animal. cap. 5. ex noſtra quidem emendatione, vulgo enim corruptiſſime exhibetur ibi ἀξιοβαρὲς, vel ὀξειοβαρὲς, ſed hoc obiter.) Quod ἀντιτοξικὸν longe melius eſſe opinor, ac Guieti ἀντίτονον, παρὰ τὸ ἀντιτείνειν, rem enim, de qua agitur hic, non ſatis explicat, ut quivis videt.

Longe majore autem probabilitate legere potuiſſet, Ἀντιθρόνιον, quod eſt *remedium Venenis reſiſtens*, nempe ἀπὸ τȣ͂ θρονίȣ, *veneno*, de quod vid. Noſter in πελεθρόνιος, & quæ ad illum locum notavimus in Calce harum Obſervationum Criticarum.

Secundo pro ποιῶν, legendum cenſui πιὼν, quod multis hic defendendum & illuſtrandum eſſe vix neceſſarium duxerim, quia emendationis ratio & neceſſitas cuivis, credo, affatim per ſe conſtabit.

Denique ad deficiendum ſenſum plenius ſupplendum, interpoſui vocem ἰὸς, quæ abſorpta videri poſſit ab antecedente vocula ὑπὸ. Si vero forſan audax nimium facinus nonnullis hoc fuerit viſum, quod tamen vix putemus; faciliore adhuc negotio pro ὑπὸ τινός, reſcribi poterit, ὑπὸ κινδύνε, *a periculo nullo læditur:* ſenſu profecto concinno admodum atque perſpicuo. Sed ſatis jam de his. Tu ipſe mi Lector, pro æquitate & doctrina Tua, de his judica, & juſtum ipſis ſtatue pretium.

Pag. 114. Ἄωτον, ἀνήκοον, ἄτρωτον.] Forte rectius hic legendum fuerit ἄτρητον, τυτέςι μὴ ἔχον τρήματα, ἢ ὦτα. Nihil tamen Lectori obtrudere velim.

Pag. 116. Ἀπαρὲς, ὑγιὲς, ἀπλήρωτον.] Putem hic paullo melius ſcribendum eſſe, ἀπήρωτον, *integrum, haud mutilum*, quod magis facit ad τὸ ὑγιές. Sic autem Noſter, paucis interjectis, pag. 121. Ἀπηρεῖς, ἀπήρωτοι, ἀπεπηρωμένοι, unde noſtra conjectura confirmatur.

Pag. 137. Ἀργινόεντα, λευκὸν, λευκόγειον, αἰγιαλῶδη.] Quid hic faciat τὸ αἰγιαλῶδη, equidem haud ſatis perſpicio, inprimis ſi antecedentia probe conſiderem. Igitur mihi potius ſcribendum videtur, ἀργιλλῶδη, ſenſu liquido & perſpicuo. Ipſe mox Noſter, Ἄργιλλος, λευκόγειος, ſed magis huc appoſite adhuc Suidas, Ἀργιλλώδης, γῆ λευκὴ καὶ καθαρά. Sed hac de re plura nos ſupra diximus, Cap. VI. quæ hic repetere nec vacat, nec placet.

cet. Ipſe Lector ad iſta recurrat, ſi operæ quidem pretium ſe facturum putaverit.

Pag. 139. Ἀρδανίαι, ταῦτα δὲ πρὸ τῆς αὐλείου θύρας ἐτίθεσαν ὕδατος πλήρη, ἵνα, ὁπότε τὶς τελευτήσειεν, οἱ πρὸς ἐμφανισμὸν ἐξιόντες, περιῤῥαίνονται.] Hic omnia ipſa aqua clariora, præter illud ἐμφανισμὸν, quod valde obſcurum & caliginoſum eſt, licet clarum quid ac perſpicuum, prima fronte, ſignificet. Sopingius ergo illud mutabat in ἐναγισμὸν, haud prorſus male.

Florens vero Chriſtianus malebat ἀφαγνισμὸν, vid. Anecdota Græca per Summe Reverendum Wolfium, heu quondam noſtrum! edita, Tom. IV. pag. 228. Joſephus denique Scaliger legere jubebat, ἐνταφιασμὸν, ingenioſe ut ſolet, & acute, de qua voce vid. Nicol. Fulleri Miſcell. ſacr. Lib. VI, cap. 18. pag. 162. Atque ita nobis quoque legendum videbatur, priusquam nobis quid de Scaligeri conjectura innotuiſſet. Nunc vero alia nobis mens; perquam enim probabile videtur, ſcripſiſſe Heſychium, οἱ πρὸς ἐπιφημισμὸν ἐξιόντες, h. e. *quum egrederentur, qui ad lugendum & lamentandum, in mortui cujusdam domum convenerant.*

Nempe ἐπιφημισμὸς, idem eſt interdum, ac *lamentatio*, *luctus*, *ejulatus*: Noſter hinc infra, ἐπιφημισμοῖς, ὀδυρμοῖς. Conf. eruditam Lud. Kuſteri Epiſtolam ad B. & illuſtrem Fabricium, in Vita ejus, per Cl. generum, Reimarum, edita, pag. 289. Scite vero hunc Heſychii locum illuſtrat noſtramque conjecturam

 egre-

egregie confirmat Jul. Pollux, in Onomaſt. Lib. VIII, cap. 7. pag. 894. καὶ οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι, ἐξιόντες ἐκαθαίροντο, ὕδατι περιῤῥαινόμενοι, *qui lugentis domum intraverant, aqua adſperſa luſtrabantur, quum egrederentur.* Scilicet, quod Noſter brevius dixerat, οἱ πρὸς ἐπιφημισμὸν ἐξιόντες, uberius explicat Pollux, per ἐπὶ τὴν οἰκίαν πενθοῦντος ἀφικνούμενοι, ἐξιόντες, quare non opus eſſe videtur cum Scaligero legere, εἰσιόντες, loco τοῦ ἐξιόντες, inprimis, quum non tam ii, qui lugentis domum ingrederentur; quam potius, qui eadem egrederentur, aqua luſtrali conſpergerentur, ut clare teſtatur Pollux, loco modo allegato, licet contrarium ſtatuat Suidas, voce Ἀρδάνιον, quo de more uberius tractant Kirchmannus, de Funer. Rom. cap. 9. Lib. II. Pfeifferus in Antiquit. Græc. Potterus in Archæologia Græca, & inprimis Lomeier, Lib. de Luſtratione Vett. Gentil. Cap. XVI. extremo, aliique, quibus adde Virum maximum & omni præconio longe ſuperiorem Moshemium, ad Cudworthi Syſtem. intellect. Cap. V. Sect. 3. pag. 1048. ſqq. ubi doctiſſime & acutiſſime de Luſtrationum origine diſquiritur, item Cl. Zellerum in Comment. ad Maimonidis Tract. de Vacca rufa, Lib. III. cap. 3. pag. 473. ſqq.

Immo vid. ipſe noſter Heſychius, infra, in πηγαῖον ὕδωρ, ubi tamen pro verbis, πρὸς τῆς οἰκίας, legendum potius, πρὸ τῆς οἰκίας, ut ſupra, πρὸ τῆς αὐλείου θύρας. Conf. eundem etiam in voce ὄστρακον, ubi pariter, ac hic,

πρὸ

πρὸ τῶν θυρῶν ἐτίθεσαν, legitur. Sed de his hactenus.

Iterum pag. 376. Ἐριννὺς, δαίμων καταχθόνιος, ἢ Ἀφροδίτης εἴδωλον.] Quid novi? adeone blandiſſima Dearum inter ſævas & horrendas furias locum nunc inveniat ſuum? abſit malum omen! Scribendum enim forſan: ἢ ἱεροφοῖτις, εἴδωλον. Ipſe Noſter infra: Ἱεροφοῖτις, ἐριννύς. Quid ergo nunc clarius? Facilem vero admodum eſſe lapſum Ἀφροδίτης, inter atque ἱεροφοῖτις, ecquis eſt quæſo, qui non deprehendat ſtatim ſua ſponte?

Porro pag. 468. hæc leguntur: Ἶπες, θηρίδια σκληροειδῆ,] quid vero hoc? Guietus igitur emendabat σκωληκοειδῆ, perperam omnino, idem enim per idem. Forte hic legendum, σκνιποειδῆ, σκνίπες enim ſ. κνίπες ſunt *vermiculi arbores & fructus terebrantes & perforantes*, vid. infra, in σκνίψ. Immo potius emendandum videtur, σκληρόσιτα, *quæ duris victitant*, ſequitur enim mox apud Noſtrum, ἃ κατεσθίει τὰ κέρατα καὶ τὰ ξύλα, ut adeo hæc noſtra conjectura nonnihil veriſimilis videatur. Niſi forſan e Theophraſto, Dioſcoride & Suida legendum fuerit, κωνωποειδῆ. Vid. Sam. Bochart. Hieroz. Part. II. Lib. IV, cap. 17. pag. 570. Sed nihil definio.

Denique pag. 657. Μώλωψ, ἔναιμον ἄλγος.] Mendoſe. Gronovius ergo legebat ἕλκος; haud prorſus male. Legendum tamen mihi videtur potius, ἔναιμον ἄγος. Noſter ſupra, Ἄγος, κλάσμα, τραῦμα. Quid quæſo clarius? Apud Suidam idem mendum; ſed & eodem modo emendandum. Sed

Sed hæc jam de Heſychio ſufficiant: plura enim & his forte meliora daturi ſumus cum Deo, in ſequentibus: eſt namque vere Heſychius fons inexhauſtus, ſed vitiorum & monſtrorum; non elegantiarum aut verborum correctorum & perſpicuorum; ut Doctis ſatis quidem eſt notum.

Caput XV.

Corruptus Ulpiani JCti in Digeſtis, locus poſt ingenioſas Jac. Cujacii & Hug. Grotii emendationes, denuo quater tentatus & emendatus. Commotriæ *&* Coſmetriæ *Comarum ornatrices apud Veteres.* Stili *idem ac calamiſtri.* Spiræ *de Coma, quid?* Stibi *ac* Stibium *Coſmeticum ad dilatandos oculos & ad palpebras denigrandas olim frequenter adhibitum, quod multis probatur. Tertia Jobi filia pulcherrima* Kerenhapuch, *ſ. cornu ſtibii vocata, quare?* φῦκος *&* fucus, *ex Hebr.* פוך. *Suidas & Heſychius obiter emendati.* Ornatriccs ſtibiariæ *in Veteri Inſcriptione, quid?* στίβη χρῶμα, στιβίζεσθαι *&* στίμμισμα, *quid?* ὑπογράμματα *idem ac* στιμμίσματα. *Salmaſii conjectura rejecta.* Chroma (χρῶμα) *pro colore, etiam Latinis in uſu. Nonnulla alia notatu digna paſſim interſperſa.*

JAm vero ipſa almæ Themidos adyta non initiatis alias inacceſſa, irrumpere audemus, & indigeſtum quendam Digeſtorum locum melius digerere conamur: adeo nihil fere ſibi negatum, nihil abſtruſum atque impervium putat ars

ars ſic dicta Critica. Tanto facilius vero veniam nobis largituros confidimus æquos Lectores & ſacræ juſtitiæ ſacerdotes, quanto certius iis conſtare debet, nos non ingenioli vane oſtentandi gratia; ſed bono potius atque pio locum corruptum pro virili juvandi, animo atque conſilio, laborem hunc non injucundum ſuſcepiſſe. Sed ad rem!

Locus, de quo nobis ſermo futurus, legitur in Leg. 49. ff. de Legat. & Fideicommiſſ. 3. his equidem verbis: *Item mancipia alia, puellæ fortaſſis, quas ſibi comatas mulieres exornant.* Quo in loco nec ſenſum ſibi conſtare, nec ſyntaxin; ſed omnia potius incomta atque horrida eſſe, palam liquet, nec ut multis quidem edoceatur, opus eſt. Unicus ergo juris antiqui ſoſpitator ac vindex, Jac. Cujacius, enorme hoc mendum acute perſpiciens, Lib. XI. Obſervat. cap. 16. pag. m. 501. ita legendum conjiciebat: *Puellæ fortaſſis, queis ſibi comas mulieres exornant.* Ingenioſe profecto, & minima cum violentia. Hugo vero Grotius, alterum illud præluſtre lumen & columen eruditi orbis, in amœniſſima ſua Florum ſparſione ad jus Juſtinian. pag. 177. ſcribendum potius cenſebat: *Puellæ fortaſſis, ſive Coſmetæ, qui mulieres exornant*; æque quidem ingenioſe & acute; ſed ut ingenue fatear, majore aliquanto cum licentia & violentiore paullo vocum transpoſitione: quum longe faciliore opera legere potuiſſet, *puellæ, quas ſibi comatæ mulieres exornant*, vel *puellæ, quæ ſibe comatas mulieres exornant. Sibus* enim eſt callidus vel acutus, teſte

Feſto,

Feſto, unde *Perſibus* & *Perſibe* apud Varronem, ubi vid. Scaliger, in Conjectan. pag. 160. *Sibe* igitur & *perſibe* eſt callide, perite, niſi *ſibæ* legere malis, eodem ſenſu. Sed hæc obiter tantum, & veluti in tranſitu. Hactenus de aliorum conjecturis: nunc quæ mihi circa hunc male affectum locum in mentem venerint, haud paucis expromere animus eſt.

Quatuor vero diverſis modis ſanari illum commode poſſe, ex mox dicendis illico patebit. Nempe vel legendum arbitror: *Puellæ fortaſſis, quaſi commotriæ, mulieres exornantes.* Scilicet Κομμώτρια Heſychio eſt ἡ κοσμοῦσα τὰς τρίχας καὶ ψιλοῦσα, κουρίσασα, item ἐμπλέκτρια vel πλέκτρια. Vid. & Pollux, Feſtus & Suidas, aliique, quibus adde Nicol. Rigalt. ad Artemidor. pag. 8. verbo, puella ſeu femina, quæ comas ornat, criſpat, in gradus frangit, & lege in orbes componit, vel Pſecas aut Sarachero Ornatrix, (forſan a זרק *Sarak*, *Sarach*, *conſperſit*, *inſperſit*, quemadmodum *Pſecas* a ψεκάζειν, *conſpergere*, *irrorare*, ut notum, conf. modo laudatus Rigalt. pag. 45. l.c. ſed hæc obiter.) quæ

Extendit, pectitque (vel *plectitque*) *comas, & volvit in orbem.*

Ut ſcite Juvenalis loquitur, Sat. VI, 496. ubi vid. Variorum Eruditorum Obſervationes in Editione Henninii junctim obviæ, item Commentatores ad Petron. Cap. XXI. & inprimis Wouweren ad ejusdem Cap. CXXVIII. apud Burmann. nec non Rader. ut & Deſid. Heraldus,

ad

ad Martial. Epigr. *66.* Lib. II. ipſe Cel. Burmann. ad Ovid. Metamorph. Lib. III. & ad I. Amor. XIV. & alibi, item Barth. ad Claudian. in Nupt. Honor. & Mar. etiam Petr. Moll. in Not. ad Longi Paſtoral. pag. 21. & ill. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Pallad. Lavacr. pag. 547. & Muſambert. contra Ramireſ. ad Martial. pag. 109. ſqq. item Rigalt. ad Artemidor. pag. 59. & Wagenſeil. ad Sota, pag. 137. 138. inprimis vero, ut alios taceam, quos citat Sam. Pitiſcus in Lexico Antiquit. Rom. Hadr. Junius in Commentario doctiſſimo de Coma, & Pignor. de Servis. Sed hæc ſtrictim de prima noſtra conjectura.

In altera vero eo inclinat animus, ut emendandum cenſeamus: *Puellæ fortaſſis, quæ ſpiris comatas mulieres exornant:* ſenſu, ſi quid videam quidem, liquidiſſimo & planiſſimo. Sunt enim ſpiræ, ut notum, cincinni calamiſtro ſcite in orbes convoluti & in annulos belle contorti, vid. Plin. Lib. IX, cap. 35. ubi de ſpiris Lolliæ Paulinæ, Smaragdis margaritisque exornatis & mire fulgentibus, quædam non ſine ſtili naſo commemorat. Conf. hic Yvon. Villiomari ſeu Joſ. Scaligeri, Animadverſ. in Loc. controverſ. Rob. Titii, Lib IV, 7. pag. 80. Ecquid igitur nunc magis appoſite ad hunc locum dici quæſo potuerit, quam puellas eſſe, quæ comatas mulieres ſpiris; h. e. cincinnis conſpiratis exornent, id eſt, longam & extenſam libereque fluctuantem earum comam calamiſtris ſcite rotent, atque ſecundum artis comatoriæ

toriæ leges rigidiſſimas, in elegantes & venuſtulos orbiculos ſpirulasque contorqueant?

Neque tertia ſane conjectura inepta videri poſſit, qua legendum putamus: *Puellæ, quæ ſtilis comatas mulieres exornant.* Nempe *ſtili* idem ſunt ac calamiſtri, teſte Varrone, Lib. IV. de L. L. add. Caſp. Bartholin. de Inauribus Vett. Cap. 2. pag. 42.

Sed quartam denique conjecturam tribus hiſce nihilo fore deteriorem, perſuaſi fere ſumus; cujus quippe ductu & miniſterio, ſequens nobis lectio ſubnata eſt: *Puellæ fortaſſis, quæ ſtibii chromate mulieres exornant.*

Stibium nimirum præſtantiſſimum olim erat coſmeticum, ſive faciei medicamen, quo ad oculos dilatandos, & ad palpebras denigrandas earumque fines latius proferendos, & circumducendos, utebantur quondam frequentius delicatiores & venuſtioris formæ ſtudioſiores mulieres, unde ex utriusque effectus ratione, nunc πλατυόφθαλμον, nunc καλλιβλέφαρον, nuncupatum fuiſſe conſtat. Clariſſime hanc in rem Plinius, Lib. XXXIII, Cap. 6. *Principalis ſtibii vis circa oculos, namque ideo plerique platyophthalmon id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatat oculos*, &c. Ubi vid. Harduin. in Notis. Inprimis huc facit locus Varronis, Papiapap. apud Non. Marcell. in Palpebrum, p. m. 215.

Quos Calliblepharo *naturali palpebræ*
Tinctæ, vallato mobiles ſepto tenent.

Similia his habet Dioſcorides, Lib. V. cap. 99.

&

& alibi. De Troglodytis quoque notat Strabo: Lib. XVI. pag. 902. στιβίζονται δ' ἐπιμελῶς αἱ γυναῖκες: hinc & στίμμι, ſ. Stibium ὀμματογράφον, *quod oculos pingat & circumſcribat*, ſcite vocavit Jon in Omphale Tragœdia, ſequenti verſu:

Καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον.

quorſum & illud Naumachii, apud Stobæum Tit. LXXIV. pag. 319.

Μηδ' ἐ μέλαινε τεοῖσιν ὑπὸ βλεφάροισιν ὀπωπάς.

hoc eſt interprete H. Grotio:

Aut oculos nigrore, genas aut pingere fuco.

Xenophon vero in Oeconom. Cap. X. pag. 106. voce generali ἀνδρείκελῳ, *ſtibium* quoque comprehendiſſe videtur, quando ſcribit: τὰς ὀφθαλμὰς ὑπαλειφόμενος ἀνδρείκελῳ, ubi & ſequentia videantur. Qua de voce hæc adnotavit Suidas, ἀνδρείκελον σημαίνει τὸ μίγμα τῶν ζωγράφων, ὃ καλεῖται χρωμάτων κρίσις, ubi legendum potius videtur, χρωμάτων κρᾶσις, ut ex antecedenti μίγμα patet, quod neſcio an obſervatum fuerit Küſtero; Portus enim intactum prætermiſit. Sed hæc obiter.

Inde & Jobum tertiam ſuam filiam, ipſi poſt feliciter ſuperatas aerumnas, fauſto ſidere ſubnatam, ob inſignis formæ excellentiam קרן הפוך, *Keren-Hapuch*, ſeu *cornu ſtibii*, h. e. *alabaſtrum ſtibii coſmetici plenum*, ſignificanter admodum appellaſſe, notant Hebræi Interpretes, & ipſe Grotius, ad Job. XLII. in Com-

mentario. פוך enim, item כוחל eſt *ſtibium*, unde utrumque per στίβι & στίμμι redditur a LXX. Interpretibus in Verſione græca.

Nempe, ut id obiter hic inſerere liceat, קרן *Keren, Cornu* eſt, unde ipſum Latinorum *Cornu*, & Græcorum κέρας, item Veterum Gallorum Deus cornutus, *Cernunnus*, & Germanorum *Horn*, & Menſis Nomen *Hornung*, de quo vid. ill. Fabricii Bibliographia Antiq. Cap. VIII. pag. 255. & Summe Rev. Deylingii Obſervat. Sacr. 8. Part. III. pag. 67. Sed hæc obiter. פוך *Puch* vero vel *Phuch*, *ſtibium* eſt, unde forſan Græcorum φῦκος & Latinorum *fucus*, non incommode poſſit derivari. φῦκος vel φύκιον, inquit Heſychius, εἶδος κομμωτικὸν γυναικεῖον, ita enim ſcribendum; non φύκει, ut in vulgatis eſt Libris. Sic & alibi in "Αφυκα, φυκάριον, ὃ βάλλουσιν αἱ γυναῖκες πρὸς φιλοκαλίαν, quod quidam mutant in καλλοῦσιν, ſed temere & infeliciter. Verum multa alia de fuco & Coſmeticis Veterum magnus Salmaſius, loco mox laudando, & Spanhemius, ad Callimach. pag. 446.

Sed plura omnino, ut revertar, unde digreſſus fui, de hoc ſtibii in Calliblepharis & Coſmeticis Veterum uſu eximio, in medium afferre, nec difficile foret, nec forſan injucundum: niſi omnem jamjam dicendi copiam mihi pæne præripuiſſet, omniaque funditus pro vaſto ſuo ingenio & more conſueto exhauſiſſet Vir immortalis memoriæ & incomparabilis doctrinæ, Ezech. Spanhemius, in ſtupendæ eruditionis Theſauro, de Uſu & Præſtantia

Nu-

Numiſmat. Diſſ. XII. & jam dudum ante eum, ipſe noſter Grotius, qui ſolus cum Spanhemio de principatu in litteris contendere poterat, in Commentario, ad II. vel IV. Lib. Reg. Cap. 9. pag. 163. quem & vid. ad Jerem. IV, 30. pag. 348. & ad Ezech. XVIII, 40. pag. 430. Hi igitur ſummi duumviri una cum magno quoque Salmaſio, in Exercit. Plin. pag. 807. (quibus adde ex parte Wedel. Exercit. Med. Phil. Cent. II. Dec. V. Exercit. 5. pag. 27. ſqq. in primis autem Pricæum in Comment. ad Apulej. Apolog. pag. 174. & Deſ. Heraldum ad Martial. Lib. IX. Epigr. 38. pag. 180. ubi plura:) ferias mihi plura dicturo fecerunt, quia nihil ſane prætermiſerunt, quod ad rem, de qua ſermo, ſcite illuſtrandam ullo modo faceret, eamque in clara luce locaret, nec neceſſe ſane eſt, jam dictis a me plura ut addam, niſi id unicum, ejusmodi nempe ornatrices artem ſtibio ſcite tingendi ſupercilia palpebrasque probe edoctas, vocatas antiquitus fuiſſe *Stibiarias*. Quod non ſine probabilitate conjicio ex Lapide Veteri, nuper admodum Romæ ab Amico deſcripto, & nondum, quod ſciam, publicato:

CHARMOSYNES
JVLIAE AVGVSTAE L
VERNAE CAPRENS.
ORNATRICIS TIB.
ANTEROTIANVS CONLIB.
CARISSIMAE SIBI.

 Nempe

Nempe voces ORNATRICISS TIB. explico ego per ORNATRICIS STIBIARIAE, aut STIBII, nec perſpicio bene, quid commodius exſculpi hic poſſit, nam de Tiberio quodam hic cogitandum haud videtur. Interim forte aliud latet, quod me ingenioſioribus diſcutiendum & exputandum decenter relinquo; contentus, me levem meam ſuſpicionem modeſte & verecunde propoſuiſſe.

Diffiteri interim nequeo, poſtremam hanc meam conjecturam de *ſtibii Chromate*, plurimum a me præferri tribus alteris, ſuperius a me propoſitis, nec ineptis alioquin, nec forſan coactis. Quid enim quæſo facilius proniusque in errorem fuerit, quam ignotam Librariis vocem *ſtibii* vel *ſtibi*, (utrumque enim ſcribi, mox docebitur,) mutari in notius *ſibi*, & alterum *Chromate*, æque ignoratum, quia græcum, transformari in magis cognitum, *comatas* vel *comata?*

Eſt vero *ſtibii* vel *ſtibi Chroma*, vel ςίβι χρῶμα, idem ac ςίμμισμα, ut unica voce exprimi ſolet, h. e. *pigmentum coſmeticum nigrum*, Heſychius: Στίβη vel Στίβι, χρῶμα μεταλλικὸν, μέλαν. Nam Στίμμι, Στίβι & Στίβη, promiſcue dici, patet ex LXX. Interpret. Jerem. IV, 30. ἐαν' ἐγχρίσῃ ςίβη vel ςίβι τὰς ὀφθαλμὰς σȣ, de quo loco vid. Clemens Alex. Lib. III. Pædag. cap. 2. pag. 220. ubi ipſe ςίμμι exhibet. item Ezech. XXIII, 40. ἐςιβίζȣ τὰς ὀφθαλμὰς σȣ. & 2. Reg. IX, 30. Ἰεζάβελ ἐςιμμίσατο τὰς ὀφθαλμὰς αὐτῆς. Inde

Inde & בוחל שתי העינים *Stibium oculorum*, de oculis & ſuperciliis ſtibio fuliginatis, vid. ſummus Bochartus, Geogr. Lib. I. cap. 53. p. 592. & Cl. Wagenſeilius ad Sota, p. 136. 137. item Nicol. Fullerus in Miſcellan. ſacr. Lib. VI, cap. 10. pag. 198. conſtat pariter ex Dioſcoride, apud quem hæc leguntur, loco ſupra laudato: Τȣ̃το οἱ μὲν Στίβι, οἱ δὲ πλατυόφθαλμον, οἱ δὲ Στίμμι ἐκάλεσαν, inde & verbum ϛιβίζεσθαι, *ſtibio pingi aut inungi*, deſcendere, quod paullo ſuperius ex Strabone produximus, dubio omni caret. Quid? quod ipſe Plinius voce *ſtibi*, ad græcam formam uſus eſt, Lib. XXIX, cap. 6. Sect. 37. ubi de remediis Calliblepharis & καλλιβλεφαροποιητικοῖς, ut ſic loquar, tractatur, his quidem verbis; *additis duabus ſextis denarii e ſtibi, ut omnia Oeſypo illinantur.* Stibi ergo & ſtibium idem.

Ipſas vero illas oculorum dilatationes atrasque palpebrarum picturas, ope ſtibii peragi ſolitas, ut id quoque obiter hic adjiciam, Græcis vocatas fuiſſe ὑπογράμματα, teſtis eſt Heſychius modo laudatus, ſequentibus quidem verbis: ὑπογράμματα, ϛιμμίσματα τῶν ὀφθαλμῶν, quod male omnino mutavit Salmaſius in ϛυμμίσματα, h. e. *ſpiſſamenta* adſtringendi vim habentia, nempe a verbo ϛύφω, *adſtringo*; licet hæc ipſa, quamvis erronea, viri magni conjectura defendi aliquo modo poſſet ex ipſo Plinio, Lib. XXXIII, cap. 6. ita de ſtibio ſcribente: *Vis ejus adſtringere & refrigerare: & fluxiones inhibet oculorum, exulcerationesque, farina ejus ac thuris, gummi*

admixto : ſiſtit & ſanguinem cerebro defluentem &c. quæ totidem etiam verbis, licet græcis, extant apud Dioſcoridem: Galenus quoque, obſervante Grotio, id ipſum confirmat Lib. IX. de ſimplicibus medicamentis, graviſſimo hoc teſtimonio: *ςίμμι πρὸς τῇ δυνάμει ξηραντικῇ, καὶ ςύψιν ἔχει*; omitto Paullum Æginetam, Aëtium Amidenum, aliosque Veteres Medicos, qui eandem vim *ςυπτικὴν* in ſtibio obſervarunt. Interim tamen falſum fuiſſe magnum cetera Salmaſium, quando *ςιμμίσματα* mutaret in *ςυμμίσματα*, exinde manifeſto liquere arbitror, ut alia præteream partim hactenus annotata, quod *ὑπογράφεσθαι* proprie dicantur oculi palpebræque, quando ejusmodi atro coſmetico ex ſtibio parato illinuntur, quod Hieronymus ſcite expreſſit per, *orbes ſtibio fuliginare*, Arnobius autem, per, *oculos fuligine inumbrare*, Ovidius denique Lib. III. de Arte Am. *oculos tenui ſignare favilla*, obſervante Pricæo ad Apulej. Apologiam, & Nic. Rigaltio, in doctiſſimis Notis ad Artemidor. pag. 12. ubi plura in hanc rem, item apud Commentatores ad Petron. Cap. CX. & Jan. Douſam in Præcidan. Petronian. Lib. II. Cap. IX. pag. 36.

Ita Athenæus de Sardanapalo turpi mollitie effeminato, Lib. XII, cap. 7. pag. 529. *ὑπεγέγραπτο τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰς ὀφρῦς*, ex emendatione quidem maximi Caſauboni, qui ipſe hac de re plura adfert in aureo plane Commentario, in Athen. Lib. XII, cap. 7. pag. 84. Conf. Suidas in Σαρδανάπαλος,

unde

unde confirmari non nihil poſſe videtur emendatio Caſauboniana. (de quo tamen Athenæi loco nos mox ſequenti Capite plura ex inſtituto,) Eundem vero in modum ὑπογράφειν τοὺς ὀφθαλμοὺς, dixiſſe quoque Lucianum (in Dialogis meretricum, ſi recte memini,) Herodianum, Pollucem atque Chryſoſtomum, obſervavit jam ſæpe laudatus Grotius in Commentario, ſuper Lib. II. vel IV. Reg. cap. 9. quibus adde Themiſtium, Orat. VIII. pag. 117. & Orat. XXIV. pag. 303. item Philonem Jud. Lib. de Vita Contemplativa, pag. 693. ut & Joan. Chryſoſt. Homil. XII. in Cap. IV. Ep. ad Coloſſ. pag. 252. Tom. VI. Opp. in N.T. ubi ἐπιτρίμματα καὶ ὑπογραφὰς ſcire conjunxit, & Lib. VI. de Sacerdot. Tom. IV. Opp. in V.T. pag. 80. occurrunt in hunc ſenſum, ὀφθαλμῶν ὑπογραφαὶ καὶ παρειῶν ἐπιγραφαὶ. κ. λ. quemadmodum τὰς γραφὰς καὶ ὑπογραφὰς conjunxit quoque Gregorius Naz. Orat. XI. pag. 182. Tom. I. Opp. item Clemens Alex. Lib. III. Pædag. cap. 2. pag. 216. ὑπογραφὰς ὀφθαλμῶν, & mox, pag. 216. τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφεσθαι, item Lib. II. cap. 10. pag. 198. ὀφθαλμῶν ὑπογραφῆς. quomodo & loquutus Iſidorus Peluſiota, Lib. II, Epiſt. 53. pag. 198. Vid. Caſaub. ad Athen. Lib. XI, cap. 2. pag. 829. & Steph. le Moyne Obſervat. ad Var. Sacra, pag. 511. Quando igitur τὸ ὑπογράφειν τοὺς ὀφθαλμοὺς, ſignificat oculos nigro ſtibii vel fuliginis fuco pingere; exinde ſequi videtur neceſſario, τὸ ὑπόγραμμα τῶν ὀφθαλμῶν, quod ab illo verbo

ὑπογράφειν, deſcendere, nec pueris latet, ipſam denotare oculorum picturam, & ipſum illum fucum denigrandis oculis repertum & præparatum, verbo ςίμμισμα, nequaquam vero dictis ex rationibus idem eſſe poſſe, ac ςύμμισμα, ſive remedium aliquod adſtringendi atque conglutinandi facultate præditum, quod inter inſtrumentum coſmeticum mulierum luxurioſarum nullum ſane locum commodum habere poteſt.

Τὰ ὑπογράμματα vero ſive ςιμμίσματα, vel maxime pertinere ad mundum & fucum muliebrem; luculenter admodum patet ex Theſmophoriazuſis Ariſtophanicis alteris, hodie quidem deperditis; ſervatis tamen adhuc ex parte, beneficio Clementis Alexandrini, Pædagog. Lib. II, cap. 12. p. m. 210. & Julii Pollucis, Onomaſt. Lib. VII. cap. 22. qua de Fabula præter Fabricium, vide Sam. Petiti Miſcellan. Lib. I, cap. 13. pag. 50. ubi in lata recenſione ſumtuoſiſſimi cultus & apparatus libidinantium feminarum, occurrunt etiam,

Ὑπογράμματα, τρυφοκαλάσιριν, κεκρύφαλον. κ. λ.

De quo loco vid. Jo. Scheffer. in Not. ad Æliani Lib. I. Var. Hiſt. cap. 18. inprimis autem Cl. Salmaſium, Exercit. Plin. pag. 808. ubi depravatos hos verſus ingenioſe a ſe emendatos exhibet. Huc vero reſpexiſſe potiſſimum Heſychium, quum τὰ ὑπογράμματα per ςιμμίσματα interpretaretur; veri videtur ſimillimum. Eo ipſo autem conjecturam Salmaſianam

nam hactenus jure impugnatam, penitus corruere & proſtratam jacere, ecquis non clare perſpiciat ultroque fateatur? Elegantiſſimo vero tropo, ut id quoque hic adjiciam, Themiſtius Orat. XXVIII. pag. 341. Calamiſtratos nimium atque ſupra modum comtos ac ornatos ſermones vocat ὑποyεγραμμένυς, haud dubie ad hæc ὑπογράμματα, & ſtibii fucum reſpiciens, licet nihil hac de re monuerint viri magni Petavius & Harduinus.

Ceterum, ut illuc redeam, unde digreſſus propter Salmaſium fui; nemini mirum videri debet, quod Ulpianum in noſtra dubia Lege, voce græca *Chromate*, ſeu χρώματι, uſum fuiſſe ſuſpicati fuerimus, quando *Chromata* Latinos non ſolum in Artem pictoriam, ſed & in Muſicam intuliſſe, Eruditis ex Vitruvio, Boëthio, Macrobio, aliisque conſtat: *Mono-Chromata* quoque frequentius dixiſſe Plinium, notiſſimum. Quemadmodum & *Chromatiarius* pro pictore, tinctore, aut colorario, occurrit apud Arnobium, ut alia plura jam taceam in Lexicis ubique obvia. Conf. Mureti Var. Lect. I, cap. 3. & Euſtath. Swartii Analect. Lib. III, cap. 9. pag. 125. item Deſ. Herald. ad Martial. pag. 29. & Turneb. Adverſar. Lib. XXX, cap. 8. pag. 241. Sed manum tandem de tabula! ne nos de fuco ſcribentes, Lectoribus fucum facere voluiſſe videamur.

Caput XVI.

Depravatus Athenæi locus facilius emendatus, ac Iſ. Caſaubonus eum reſtituit. Ὄφις, *genus armillæ ſerpentis in morem formatæ, item Zona, & capitis ornamentum.*

Sardanapalum inter turpiſſimos ſcortorum greges fœdiſſima mollitie diffluentem, & in ſui ſexus opprobrium regiæque dignitatis dedecus natum, deſcripturus Athenæus, ſequentem perbellam viri illius non viri & quavis viliſſima femina corruptioris mancipii effigiem nobis repræſentat Lib. XII, cap. 7. pag. 529. μετὰ παλλακίδων ξαίνοντα πορφύραν, ἀναβάδην τε μετ' αὐτῶν καθήμενον τὰς ὀφρῦς, γυναικείαν δὲ στολὴν ἔχοντα, κ. λ. h. e. *cum pellicibus carminantem purpuram, ac cum illis ſedentem pedibus porrectis in altumque ſublatis, ſupercilia, muliebrem vero ſtolam habentem.*

In quibus omnia plana atque perſpicua, præter unicam illam vocem, τὰς ὀφρῦς, quæ nec habet hic, quo ſeſe apte referat, nec ſenſum ſatis commodum atque concinnum efficit. Quare Iſ. Caſaubonus, ſummus ille & feliciſſimus Athenæi Æſculapius & Deus tutelaris, ita de hoc loco ſcripſit in divino Commentario, Lib. XII, cap. 7. pag. 840. *Non obſcurum eſt, deeſſe participium cum illis jungendum* τὰς ὀφρῦς; *niſi malumus in alium locum eas voces transferre, & ſcribere mox*, καὶ ὑπεγέγραπτο τὰς ὀφθαλ-

ὀφθαλμὺς καὶ τὰς ὀφρῦς. Hæc quidem ille, perquam acute, ut ſolet, atque ingenioſe.

Mihi tamen, ut ingenue fatear, ſed debita cum modeſtia, duriuſcula aliquanto illa videtur tranſpoſitio: quam ob rem de faciliore medendi methodo ſollicitus, locum ita potius ſanandum cenſeo: ἀναβάδην τε μετ' αὐτῶν καθήμενον, τὺς ὄφεις, γυναικείαν δὲ ςολὴν ἔχοντα, h. e. *armillas æque ac ſtolam muliebrem habentem.*

Nimirum οἱ ὄφεις ſunt *armillæ muliebres, dracunculorum*, ſive *ſerpentium in ſpeciem efformatæ*, unde & nomen ſortitæ ſunt. De his quidem nihil, quod mireris, obſervavit Vir ſummus, Th. Bartholinus, in elegantiſſimo alioqui Libello, de Armillis Veterum: auſpicato tamen earum & nomen & memoriam ſervavit nobis Heſychius, ita ſcribens: Ὄφεις, τὰ δρακοντώδη γινόμενα ψέλλια. Μένανδρος, ἐν παρακαταθήκῃ, τὺς ὄφεις, λέγει, καλῶς γέ μοι ἠγόρασας, & quibusdam interjectis: ὄφις, τὸ χρυσῦν περιβραχιόνιον, *ſerpens, aurea armilla.* Confr. Menandri Fragment. per Cleric. edita, pag. 146. & Phileleuth. Lipſ. contra Cleric. pag. 51. Sed & Nicoſtratus Comicus ad mundum muliebrem refert ὄφεις καὶ περισκελίδας, apud Clementem Alex. Lib. II. Pædag. cap. 12. pag. 209. & Philoſtratus in Epiſt. ἐπικαρπίυς ὄφεις.

Quid ergo quæſo nunc clarius & huic loco accommodatius. Sardanapalus ſcilicet & muliebrem ſtolam habebat, & laſcivarum mulierum ad inſtar, armillis etiam atque compedibus exorna-

ornatus, aut potius deturpatus erat. Armillas enim proprie & ad cultum & luxum feminarum pertinere, ecquis eſt, qui neſciat, aut negaverit? Tale vero quid etiam de altero illo Romanorum Sardanapalo, de Propudioſo inquam & infami Heliogabalo, memoriæ prodidit Herodianus, Lib. V, cap. 5. *διά τε πορφύρας χρυσῷ ὑφάσμασι, περιδεραίοις τε καὶ ψελλίοις κοσμέμενος, veſtitu purpura auroque intexto, monilibusque atque armillis ornatus*, ubi ψέλλια idem ſunt ac hic ὄφεις, de quo nemo, ſpero, dubitaverit. Vid. Barn. Briſſonius, de Regn. Perſ. Lib. I. & Lib. III.

Immo & Zonas mulierum ſerpentium in formam fuiſſe olim elaboratas, patet ex Heliodori Æthiop. Lib. III. pag. 133. ubi de ejusmodi Zona ſerpentina Chariclìæ ſummo artificio compoſita narratur: *εἶπες ἂν τοὺς ὄφεις οὐ δοκεῖν ἕρπειν, ἀλλ᾽ ἕρπειν, dixiſſes ſerpentes illos in Zona non videri ſerpere; ſed re ipſa ſerpere.* Ὄφιν denique ornamentum etiam capitis muliebre, vulgo Tutulum, vocari, putabat olim Rob. Titius, ſed caſtigatus ea propter a Joſ. Scaligero, in Animadverſ. Yvon. Villiomari, Lib. IV, 12. pag. 84. Sed de hac controverſia alio loco plura.

Fuit quidem etiam, quum legerem; *ἀναβάδην τε μετ᾽ αὐτῶν καθήμενον τοῖς σφυροῖς*, h. e. *ſublatis in altum talis pedum ſedentem*; ſenſu quidem haud incongruo; ſed malim tamen priorem conjecturam, ceu probabiliorem, huic potius præferre, quod & Lectores mecum facturos confido. Immo verbi participium, quod

quod in hoc Athenæi loco deeſſe conqueſtus eſt Caſaubonus, conſervaſſe nobis videtur Clemens Alex. Lib. III. Pædag. cap. 11. pag. 251. dum eundem hunc locum ita nobis repræſentat: τὴν θηλυδρίαν Σαρδανάπαλον ἐπὶ κλίνῃ ἀναβάδην ἱζόμενον εἰσάγουσιν, πορφύραν ξαίνοντα, καὶ τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπαναβάλλοντα. Conf. Diodor. Sic. Lib. II. Sed jam ſatis de his.

CAPUT XVII.

Curtius contra Jan. Rutgerſii & J. Fr. Gronovii ſententiam, ſemel emendatus. Senecæ Philoſophi locus corruptus tentatus. Tertullianus, Lib. de Pallio, loco aliquo reſtitutuu.

Q. Curtius de religioſo & invicto Perſarum ſilentio ita loquitur, Lib. IV, cap. 6. *Nec magnam rem magis ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere grave ſit.* Hic vocula *Magis*, inepta omnino & inefficax videtur: quare vir doctiſſimus Jan. Rutgerſius, Lib. III. Var. Lect. cap. 4. pag. 205. in *Magi*, eam mutabat, magna ſui cum fiducia. Merito vero repudiat hanc conjecturam Gronovius, Lib. II. Obſſ. cap. 8. pag. 269. quia ſcil. de his Perſarum ſapientibus ſive Magis, nihil nec in antecedentibus, nec ſubſequentibus, legitur. Quando vero putat idem hic vir κριτικώτατος, illud *magis* per errorem irrepſiſſe, ſcholionque ſaltim eſſe alicujus, qui ſequens *ſuſtineri* per *agi*, in margine explicuiſſet, unde poſtea & illud *magis* natum & contextui temere illatum ſit; in eo

nos

nos non habet conſentientes, ideo inprimis, quod perfacilis huic loco medicina fieri poſſit, legendo nimirum: *Nec magnam rem* ſatis *ſuſtineri poſſe*, &c. Quo ipſo ſenſus luculentior emergit, & ipſi huic ſententiæ Curtianæ ſaluberrimæ, longe major ἐνέργεια graviusque pondus omnino adjicitur. Verum hoc leve & cuivis, credo, obvium.

Jam ad Senecam. Is in Conſolatione ad Marc. Cap. I. extrem. hunc in modum pronunciat: *Non poſſum nunc per obſequium, nec molliter aſſequi tam durum dolorem; frangendus eſt.* Hic τὸ *aſſequi*, nec Lipſius aſſequitur, nec ego aſſequor; languet enim nimis ac flacceſcit vis orationis, quæ hic, ut alias, in Seneca, ſumma eſt. Probabile ergo videtur, quod legendum hic ſit, *aggredi tam durum dolorem*, ſenſu perſpicuo & valde commodo. Ita ipſe Noſter, Epiſt. XXV. *Alterius vitia emendanda, alterius frangenda ſunt*, qui locus aliquo modo huc facit, ſequitur enim mox in noſtro, *frangendus eſt.* Illud vero *aſſequi*, natum eſſe male videtur ex antecedentibus verbis, *non poſſum nunc per obſequium.*

Sed poſſet & haud male hic legi, *nec molliter attrectare tam durum dolorem;* Verum quum paullo longius abeat hæc lectio a priſcis litterarum veſtigiis, neque ſatis exacta ſit convenientia inter *attrectare*, & *aſſequi*, religione & verecundia ducti, merito abſtinemus ab hac conjectura, alterumque *adgredi*, illi jure præferimus; utpote corruptæ voci *aſſequi*, magis re-

reſpondens, ut jam ſupra monuimus; niſi quis potius minore cum licentia legere malit, *proſequi*, quod huc apprime facere videtur. Sed excogitent feliciora feliciores.

Addamus his, coronidis quaſi ad inſtar, unum adhuc locum corruptum ex obſcuriſſimo Tertulliani Libro, de Pallio, Cap. V. Verba hæc ſunt, pag. 28. *quam non expediat, in algore & ardore rigere nudipedem.* Hic nemo non, opinor, videt, non poſſe commode & vere dici, *rigere in ardore.* Hinc Salmaſius, in præſtantiſſimo Commentario, pag. 385. illud *ardore*, ceu ineptum & frigidum, expungendum cenſebat. Nobis contra locus depravatus ita facillime ſanandus videtur, legendo nimirum, *in* madore *rigere*, ſenſu perſpicuo. Sed de his quidem hactenus.

Caput XVIII.

Corruptiſſimus Æliani de Natura Animal. locus emendatus, Geſneri & aliorum conjecturis ſepoſitis. Κρηνῶδες, *an vox græca, dubitatur.* Τενθρηνῶδες, *&* τενθρηνιῶδες, *item* Τενθρήνη *&* Τενθρηδὼν, *quid? Heſychius obiter emendatus, item & Appianus. Plutarchi locus explicatus. Foëſii emendatio in Hippocrate laudata & confirmata.* Σηραγγῶδες, *quid?*

SEquens inprimis Æliani locus e Lib. XII. de Natura Animal. cap. 20. ſingularem attentionem meretur, auxiliumque criticum implorat,

plorat, quia mendoſiſſimus, atque hinc infauſto ſidere ſive aſteriſco, aut obelo, notatus eſt merito in vulgatis quidem Libris. Verba ipſa hæc ſunt: Οἱ δὲ ἄκερως ταῦροι τὸ θρηνῶδες, οὕτω δὲ ὀνομάζει Δημόκριτος ἐπὶ τοῦ βρέγματος οὐκ ἔχοντας (εἴη δ᾽ ἂν σηραγγῶδες λέγων) ἀντιτύπου τοῦ παντὸς ὄντος ὀστέου. Hic igitur jure quæritur, quid ſit τὸ θρηνῶδες, & quem ſenſum hic habere poſſit? Nemo enim non ſtatim videt, depravatiſſimum atque abſurdiſſimum illud hoc loco eſſe, ac re vera θρηνῶδες, ſive lamentatione & lacrimis dignum. Geſnerus ergo, qui morbum loci bene perſpexit, ejusmodi adhibet medicinam, ut legendum cenſeat, vel τρημῶδες, nempe pro τρηματῶδες, vel θριπῶδες, (ita enim ſcribendum erat, non τριπῶδες, quod falſo in margine Codicis Geſneriani exhibetur, ſcil. ἀπὸ τῶν θριπῶν, h. e. *teredinibus* ligna terebrantibus & perforantibus, quæ vox, ut id obiter hic inſeram, reddenda Appiano, Lib. de Bell. Hiſp. ubi pag. 532. de miſeris Numantinis legitur, σώματα τριχῶν, καὶ ὀνύχων, καὶ Ὀρύπων, καὶ ῥύπου μεστά, nempe pro Ὀρύπων, quod Cl. Alex. Tollius emendare haud poterat, legendum omnino videtur, Θριπῶν, Conſueta in Vett. Libb. confuſione inter τὸ Θ. & τὸ Ο. qua de re vid. Steph. le Moyne, ad Var. Sacra, p. 129. ut alios taceam.) Neutrum profecto male, niſi in priore conjectura duriorem paullo atque inſolentiorem Contractionem; in altera vero detortum nimis atque coactum vocis ſignificatum manifeſto deprehenderem.

Qua-

Quapropter ſpretis his atque rejectis, alium adhuc emendationis fontem inveſtigavit doctiſſimus Philæ Editor, atque in Notis ad ejusdem Caput XL. pag. 165. legendum præcipit, κρηνῶδες, quod eſt, eodem Interprete, *ſcaturiginoſum.* Quam ſuam ſuſpicionem pulchre confirmari & valide ſuſtentari putat ex ſequentibus potiſſimum Æliani verbis: σηραγγῶδες, & τὰς συῤῥοίας τῶν χυμῶν.

Verum licet hæc conjectura facilis admodum & feliciter ſatis excogitata videri poſſit; ſuis tamen difficultatibus haud exiguis premitur, quo minus ex omni parte perfecta & omni exceptione major cenſeri queat. Ut enim taceam nunc, de illo bregmatis oſſe τῶν ἀκεράτων ταύρων laxo, ſpongioſo & perforato, de quo hic ſermo, duriuſculum nonnihil atque paullo longius petitum jure videri poſſe adhibitum epitheton κρηνῶδες, quippe quod facile condonari poſſet Scriptori indocili privata loqui, philoſophoque ſublimia ſemper cogitanti & vulgaria enunciare inaſſueto, qualem fuiſſe Democritum accepimus: hæc ipſa tamen vox κρηνῶδες, nonnihil ambigua & aliquanto ſuſpecta adhuc eſt, quod eam nec a probatis Scriptoribus uſurpatam, nec a Lexicographis adnotatam memini, niſi me hic turpiter deſtituerit memoria alias ſatis fida & tenax, apud quos quippe ὕδατα κρηνάεντα, atque κρηναῖα, potius occurrunt, quam κρηνώδεα, vid. præter alios, Celeb. Weſſelingii Obſervat. Var. Lib. II, cap. 20. pag. 231. & ſic ſemper apud Plutarchum, Athenæum, Galenum & alios.

Licet enim ſecundum analogiam Grammaticam, ex τῷ κρήνη, ſatis commode & apte deduci poſſit κρηνώδης & κρηνῶδες, quemadmodum ſic a Νάρκη, deſcendit ναρκώδης, a λίμνη, λιμνώδης, a ταραχὴ, ταραχώδης, a πρύμνη, πρυμνώδης, a τροφὴ, τροφώδης, a γραμμὴ, γραμμώδης, & a λήμη, λημώδης, ut alia innumera in hunc modum flexa & formata, taceam, quæ ex Lexicis magna copia peti a quovis per otium poſſunt: nequaquam tamen exinde ſequitur, in omnibus atque ſingulis hanc flectendi & derivandi rationem ubique feliciter & appoſite ſuccedere. Quis enim obſecro, formatum unquam legerit, a Φήμη, Φημώδης, a Φυγὴ, Φυγώδης, a Μήνη, μηνώδης, a ψυχὴ, ψυχώδης, a τύχη, τυχώδης, a τρυφὴ, τρυφώδης, a πηγὴ, πηγώδης, a ποίνη, ποινώδης, a κνήμη, κνημώδης, a πυγὴ, πυγώδης, a μνήμη, μνημώδης, a θοίνη, θοινώδης, a κλίνη, κλινώδης, & ut infinita alia ad hanc normam effícta ſciens lubensque prætercam, a ῥύμη, ῥυμώδης? & tamen hæc omnia juxta analogiam grammaticam bene ac recte formata ſunt: quia autem uſus, ſævus & durus vocum tyrannus, has derivationes reſpuit, nec jure civitatis donavit, ideo fere omnes pro vitioſis, ridiculis & rejectaneis jure meritoque habendæ ſunt.

Ex his igitur jam perſpicue, opinor, patet, id quod paullo ſuperius dixeram, in vocum derivatarum formationibus ad analogiam reſpiciendum eſſe haud ſolam; niſi bonæ monetæ Auctorum uſus iisdem præcipuam auctoritatem

tatem conciliaverit, ex qua ſola merito cenſeri debet ingenua earum nobilitas & intemerata proſapia; non vero ex vili ſaltim analogia. Quum ergo illud χρηνῶδες, ancipitis, immo quantum ego memini, nullius plane ſit auctoritatis, tamdiu utique ceu ſpurium rejiciendum videtur; donec ex aliquo idoneo Auctore ejus integritas & legitima propagatio abunde probata atque demonſtrata fuerit, quod a Cl. Philæ Editore, viro ἑλληνικωτάτῳ, citra moleſtiam & ſudorem fieri poſſe, nulli fere dubitamus, & avide expectamus. Interim autem relinquamus iſtud χρηνῶδες, *ſcaturiginoſum*, ceu turbidum adhuc & ex obſcuro atque ignoto fonte hauſtum.

Nos vero nondum pœnitet conjecturæ noſtræ olim in Commentario ad Hippocratis (niſi ipſius potius Democriti, ut fere videtur, de quo alibi plura,) Libellum, περὶ Ἀνατομῆς, publice propoſitæ, ubi pag. 16. data occaſione, hunc conclamatum Æliani locum emendavimus, liquidoque niſi fallor, atque ſatis diſerte oſtendimus, vocem controverſam θρηνῶδες, olim vel ab injuria temporum, vel ab incuria & oſcitantia Librariorum, ſui capite miſere fuiſſe truncatam, atque proin unica amiſſa ſyllaba, poſtliminio quaſi eſſe redintegrandam, hincque nunc ſcribendam, τενθρηνῶδες, quam unico verbo ſcite & cum efficacia exprimere, latini ſermonis egeſtas, ut ſæpe alias, omnino vetat.

Τενθρήνη nimirum, ut legitur quidem in Alexipharmacis Nicandri, v. 545. ſive quod

idem, Τενθρηδὼν, ut ſcribunt Ariſtoteles, Lib. IX. de Hiſt. Animal. cap. 43. Heſychius, loco mox allegando, & alii, genus eſt inſecti cujusdam alati, veſpæ ſimilis, aculeo armati; ſimul tamen mellificantis, quale eſſe vulgo ſolet apis ſilveſtris, hinc bene laudatus modo Heſychius: Τενθρηδὼν, ζῶον τῶν ἐντόμων καὶ κεντροφόρων, παραπλήσιον σφηκί. ἔνιοι ἀγρίαν μέλισσαν.

Inde igitur deſcendit Τενθρήνιον, quod eodem Interprete, κηρίον ſignificat, hoc eſt, *favum cellulis diſtinctum*; a qua denique voce commode derivatur noſtrum Τενθρηνῶδες, ſive Τενθρηνιῶδες, (utrumque enim recte dici, ex Heſychii atque Plutarchi locis ſtatim laudandis, manifeſto apparebit,) quod aliquid *favi ad inſtar, in cellulas atque cavernulas diſcriminatum*, ut dixi, denotat. Τενθρηνιῶδες γὰρ, inquit Heſychius, πολὺ καὶ κενὸν κηρίον καὶ ἀραιόν, in quo tamen loco vel πολύκενον, legendum, ut Plutarchus quidem habet, vel πολύκεστον, aut πολυκέντητον, h. e. *multis punctis atque foraminibus pertuſum*, ſcribendum videtur, inprimis quum hunc ipſum locum paullo aliter in Gloſſarium ſuum transtulit Phavorinus.

Nemini vero mirum omnino videri debet, quod hic Democritus, vir ſicut ſingularis philoſophiæ; ita & ſingularis plane & plusquam humani ſermonis, os bregmatis boum quorundam ſpongioſum & fiſtuloſum metaphorico & haud vulgari loquendi more, vocaverit τενθρηνῶδες, h. e. *favi ad inſtar, poris &*

cel-

cellulis excavatum; quando nec Plutarchus ipſe de ferro ſpongioſo, ut quibusdam quidem Philoſophis viſum, atque poroſo, hunc in modum ſcribere nihil veritus eſt, Lib. VIII, Sympoſiacῶn, Quæſt. 3. pag. 721, *φαίνεται μᾶλλον ὁ σίδηρος ἔχων τι σαθρὸν καὶ πολύκενον, καὶ τενθρηνώδες*, hoc eſt, *ferrum potius videtur aliquid habere fungoſum, & inanitate multa patens, atque inſtar favorum capſulæ, excavatum*; quod ipſum *τενθρηνώδες*, paullo inferius, Lib. de Quæſt. Platon. pag. 1005. ſcitiſſime exprimit per *πόρους καὶ ὄιμους ἔχον*, id eſt, per *meatus quosdam, tranſitum atque foramina habens*; ita enim de eodem ferro ſcribit: *ὁ σίδηρος ἔχει πόρους καὶ ὄιμους καὶ τραχύτητας διὰ τὰς ἀνωμαλίας τῷ ἀέρι συμμέτρους*.

Sed major adhuc & ſpectabilior accedat teſtis, nempe Hippocrates ipſe, in cujus quippe Libello de Anatome, ſupra laudato, pulmo ob ſuam fiſtuloſam, ſpongioſam & poroſam ſubſtantiam, ita elegantiſſime deſcribitur: *Στίγμασιν ὀρφνώδεσι κεκεντημένος, φύσει ἐὼν τενθρηνιώδης*, h. e. *Notis ſubobſcuris diſpunctus, & naturâ favi ad inſtar, cellulis diſtinctus*, prout ſcilicet rectiſſime atque acutiſſime emendandum conjecerat unicus Hippocratis ſoſpitator & Numen tutelare, Anutius Foëſius, qui proinde & in Notis ad hunc locum; & in doctiſſima potiſſimum Oeconomia Hippocratis, videri utique debet: In vulgatis enim ante Foëſii operam, Hippocratis Editionibus, vox hæc *τενθρηνιώδης*, ab imperitis & oſcitantibus

Librariis tam fœde atque monſtroſe corrupta erat, quam miſere atque turpiter tractata hactenus fuit in ipſis Æliani Libris ; adeo ut deplorandum omnino elegantioris hujus vocis fatum fuerit & in Hippocratis & in Æliani Codicibus, ut & hic ſtrictim oſtendimus, & in ipſo Commentario Critico ſuper Hipp. Libello περὶ Ἀνατομῆς, de quo ſupra, luculentius paullo demonſtravimus.

Quis ergo quæſo, jure nunc amplius dubitet, quin recte legendum conjecerimus in hoc Æliani loco, τενθρηνώδεις, pro θρηνώδεις, inprimis, quum ipſe mox Ælianus vocem hanc Democriteam vel Abderitanam, veriſſime explicuerit per σηραγγώδεις, quod teſte in Gloſſis Galeno, idem eſt, ac χαῦνον, ἀραιὸν καὶ πολλοῖς τρήμασι διηρημένον, h. e. *laxum, ſpongioſum & multis foraminibus diſtinctum*, quod uno verbo eſt τενθρηνώδεις & τενθρηνιώδεις, ut diximus ſupra, & latius deduximus.

Valeant ergo Geſneri foramina & teredines, aliorumque turbidæ ſcaturigines, ſi ita quidem jocari nonnihil liceat.

Caput XIX.

Cornelius Tacitus bis emendatus, relictis Lipſii, Gronovii & aliorum conjecturis.

Apud Corn. Tacitum, Lib. IV. Hiſt. cap. 58. ita Vocula graviter perorat Gallorum fraudibus illectus: *Mortemque in tot malis hoſtium ut finem miſeriarum exſpecto.* Hic vero varia

varia comminiſcuntur docti Interpretes. Lipſius legit, *portum & finem*, quemadmodum nempe Plinius dixerat, Lib. XXV, Cap. 3. *ut mori plerumque etiam optimi portus ſit*, quomodo & Seneca philoſophus ſæpe loquutus; Tragicus quoque Seneca eodem modo in Hercule Oet. *Mors ſola portus.* Sed ejusdem Lipſii alia quoque fuit conjectura legentis, *in tot malis boneſtam*, ſcil. mortem, quod præceſſit. Gronovius vero Lib. I. Obſſ. Cap. 14. emendabat, *otium & finem miſeriarum*, haud ſatis bene omnino, ἐμοίγε κριτῇ.

Sed alii aliter legunt, ut ex diverſis Notis in Edit. Gronoviorum, apparet. Mihi nihil plane mutandum videtur, niſi vocula *ut*, quam in &, malim convertere, hoc nimirum ſenſu: *Mortemque in tot malis hoſtium & finem miſeriarum expecto. Hoſtium* ſcilicet hic idem eſt ac *oſtium*, janua, exitus, ut antique ſcribebatur. Ecquid igitur nunc clarius? Sed conjecturam noſtram egregie prorſus confirmat Seneca, Epiſt. XXVI. *Quid ad illum* (Stoicum ſcil. ſapientem αὐτόχειρα,) *carcer & cuſtodia & clauſtra? liberum* oſtium *habet.* Ita & Arrianus I. Diſſert. 9. ἤνοικται dixit ἡ θύρα, *apertum eſt oſtium*, ceu bene notat Lipſius ad laudatum Senecæ locum. Sed plura in hunc ſenſum Veterum Stoicorum dicta collegit nuper admodum Jo. Robeck, in Exercitatione Philoſophica de Morte voluntaria philoſophorum & bonorum virorum, pag. 83. ſeqq. & per totum illum Tractatum Auctori ſuo funeſtum, qui maluit quippe turpiter & violenter e vita expelli, quam

honeſte & naturaliter abire, portui jam proximus, ſexagenario major. Sed hæc obiter. Ceterum eodem fere ac hic modo, in *luctu atque miſeriis mortem ærumnarum requiem*, dixit Cæſar, apud Salluſt. Cap. LI. de Bell. Catilin. ac pariter Cicero, Orat. IV. in Catilin. *Mortem laborum ac miſeriarum quietem.* Ut alias ſimiles ſententias taceam. Servari tamen & hic meretur vox illa gravis & ſonora moribundi Demoſthenis, & auro & minis & blanditiis invicti: Καλὸν γὰρ κρηπσφύγετον θάνατον ἐν ἀκινδύνῳ παντὸς αἰχρῦ γενέσθαι. apud Lucian. in Demoſthenis Encomio, pag. 706.

Jam reſtat adhuc unicus locus apud Noſtrum, in Vita Agricolæ, Cap. XXXVI. de acerrimo proelio Britannos inter atque Romanos duce Agricola, commiſſo. Verba ipſa hæc ſunt: *Inæqualibus locis hærebant, minimeque equeſtres. Ea enim pugnæ facies erat, cum ægra diu ſtantes, ſimul equorum corporibus impellerentur*, &c. Quæ quin mendoſa ſint, nemo dubitabit, qui naſum habet; quomodo vero emendari debeant, de eo non convenit inter Interpretes.

Mihi interim ita legendum videtur: *Inæqualibus locis hærebant, minimeque equeſtris ea interim pugnæ facies erat, cum ægre clivo ſtantes, ſimul equorum corporibus impellerentur.* Nempe aciem in colles erigi cœpiſſe, in antecedentibus narratur, inde nunc bene forſan videor conjeciſſe, *ægre clivo ſtantes*; *Cl.* vero & *d*, ſæpius confundi in antiquis Libris, nemo Criticorum hodie ignorat. Sic, quod huc maxime

me facit, *divo* & *clivo*, confuſa fuiſſe, in Petronio, Cap. XLVII. obſervat ibidem Cel. Burmannus, quod & infra ad Heſychium notavimus. Sed ita etiam Livius, Lib. V, cap. 34. de Gallis arcem Rom. oppugnantibus, loquutus eſt: *Medio fere clivo reſtitere*, & Lib. IX, cap. 31. *In adverſum clivum erigitur agmen*, item eodem Lib. IX, cap. 35. *Conſul flectit in clivos agmen*, conf. & Lib. X, cap. 26. ut alios plures locos præteream.

Putem igitur hanc noſtram conjecturam proxime a vero abeſſe, niſi forte, vitio gentis humanæ, nimium mihi tribuerim.

CAPUT XX.

Heſychii Lexicon aliquoties emendatum, interjectis variis Etymologumenis.

JAm iterum ad ſe nos vocat Heſychius noſtræ qualiscunque opis & operæ indigus. Sanemus igitur bona cum Lectoris venia, locos aliquot miſere deturpatos & fœde luxatos, quantum licuerit ſcilicet per exiguas ingenii noſtri vires.

Is igitur pag. 513. Καψοὶ, οἱ τοῖχοι,] Male; legendum potius, αἱ θῆκαι, nam vox τοῖχοι, hic nimis generalis, καψὸς vero ſeu καψὰς, idem eſſe ac θήκας, nemo neſcit; ita ipſe etiam Suidas, κάψα, θήκη, conf. Salmaſ. ad Trebell. Pollionis Gallien. pag. 237. & alibi. item Ez. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Pallad. Lavacrum, pag. 541. vel legendum potius, οἱ

 δοχοί;

δοχοί; δοχὺς enim Noſter explicat alibi per δοχεῖα; ſive *Receptacula.* Facillimum autem lapſum eſſe inter τοίχοι, & δοχοὶ, nemo non ſubito deprehendit, ut nos quidem opinamur. Sed judicet de his Lector.

Pag. 514. Κέδματα, αἱ χρονιώτεραι διαθέσεις, νόσοι περὶ τὰ ἄρθρα. οἱ δὲ περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια, Ἱπποκράτης.] Reſpexiſſe hic putat Sopingius Heſychium ad Hippocratis locum, in Lib. de Locis in Homine. Verum eum potius intellexiſſe putem alium e Lib. de Aëribus, Aquis & Locis, §. L. ubi de Scythis Evnuchis ſermo eſt, ὑπὸ τῆς ἱππασίης αὐτέοις κέδματα λαμβάνει, ἅτε αἰεὶ κρεμαμένων ἀπὸ τῶν ἵππων τοῖν ποδοῖν. Hic ergo, ut quivis, credo, ſtatim animadvertit, τὰ κέδματα ſunt *calloſi* & *inveterati tumores* περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια, ſive *tumores inguinum*, quibus gloriatur M. Servilius apud Livium, Lib. XLV, cap. 39. in graviſſima oratione, in hunc modum: *Tumorem hunc inguinum in equo dies noctesque perſedendo, habeo* &c. ubi vide reliqua lectu digna & jucunda. Ceterum mihi valde probabile videtur, vocem hanc κέδματα, quæ nullam omnino in tota Græcia habet originem, derivandam forſan eſſe ab Hebr. קדם *kedem*, *antiquum*, *priſcum*, *inveteratum*, unde, קדומים *kedomim*, *antiquitates*, Heſychius enim, ut modo vidimus, κέδματα illa exponit per χρονιωτέρας διαθέσεις, & Galenus in Gloſſario Hippocratis, per τὰς ἐκ ῥεύματος χρονίας διαθέσεις. Sed hæc hactenus.

Ibid.

Ibid. Κεῖρα, γενεὰ ἢ ἡλικία.] Nuſquam alibi hanc vocem, quam in Canonibus Concilii Carthaginenſis, occurrere, docte obſervat hic Rev. Alberti, in Periculo Crit. Cap. XXIV. pag. 91. Sed id dudum ante ipſum adnotaverat Vir maximus, Joſeph. Scaliger, in Elencho Trihæreſ. Serar. cap. 10. pag. 266. apud Druſium, quod modeſte hic monuiſſe pace Celeb. Viri, nobis quæſo, liceat. Forſan autem ignota hæc vox κεῖρα, ab Hebr. הרה *concepit*, unde הורה *Genitor*, & הרון *Generatio*. Sed docti judicent.

Ibid. Κεισιβδηλευμένοι, νωθροί.] Hic τὸ νωθροὶ, mihi omnino νωθρὸν & otioſum videtur. Quare melius forte ſcribendum fuerit, νόθοι, *ſpurii, falſi, ſuppoſititii.* Illud enim ſignificat verbum κιβδηλέυειν, ut notum, a quo haud dubie derivandum illud κεισιβδηλευμένοι, ſi lectio quidem ſana; forte enim legendum κεκιβδηλευμένοι, ut eſt apud Suidam, & mox apud Noſtrum: κεκιβδηλευμένοι, ἄτιμοι, ἀχρεῖοι, ἀδόκιμοι, νόθοι. Unde ſimul clare patet, nos haud male conjeciſſe, legendo νόθοι, pro νωθροὶ. Sed nolo hanc Camarinam movere, quia non video, quid faciendum ſit illi κεισιβδηλευμένοι.

Ceterum Κίβδηλος & κιβδηλεύειν nonnihil convenire videntur cum Hebr. עקוב *Ghakob, fraudulentum, pravum, perverſum,* unde עקבה *Ghakbah, Fraus*, nempe a verbo עקב *Ghakab, Supplantavit, Defraudavit*, ut docent Lexica.

Pag. 515. Κεκαλαμινθευμένοι, καλαμηγεγονότες.] Hæc verbi ſingularis explicatio adeo obſcura

ſcura & ambigna eſt, ut nova omnino interpretatione indigere videatur. Accedit, κεκαλαμινθευμένοι per etymologiæ & analogiæ Regulas, nequaquam poſſe derivari ἀπὸ τῆς καλάμης; Sed potius ἀπὸ τῆς καλαμίνθης, ut vel mediocriter doctus ſtatim intelligit. Quare forſan ſcribendum hic fuerit, κακαλαμινθευμένοι, καλαμίνθης γεγευκότες, ſi hoc placeat, aut γεύοντες, *qui herbam Calaminthiam deguſtarunt*; ſenſu huic loco convenientiſſimo. Ipſe tamen judicet Lector.

Pag. 522. Κέρωσις, βαφικὴ μιμουμένη.] Hæc obſura omnino atque de mendo ſuſpecta videntur. Quare Salmaſius in Comment. ad Vopiſci Aurelian. pag. 549. legere malebat, κέρωσις, ἡ τὴν γραφικὴν μιμουμένη, quod tamen non ſatis placet. Forſan ſcribendum, κέρωσις, βαφικὴ aut γραφικὴ πυρουμένη, aut κηρουμένη, vel κηρωμένη, hoc eſt pictura, quæ *reſolutis igne ceris fit*, ut Plinius loquitur de hac pingendi arte ἐγκαυστικῇ, ut proprie vocatur, Lib. XXXV, cap. 11. de qua uberius agit Salmaſius loco ſupra laudato, & uberrime ex inſtituto Franciſc. Junius in egregio prorſus Libro de Pictura Veterum, & iterum Salmaſius copioſe in Exercit. Plin. pag. 163. ſeqq.

Pag. 523. Κεχάρημαι, χαίρω, ἢ χωρῶ.] Legendum potius hic eſſe in futuro χαρῶ, pro vitioſo illo χωρῶ, quod hic nullum plane locum habet, nemo, credo, facile dubitaverit.

Ibid. Κηδεῖν, κακοπαθεῖν, ἀνιᾶν, λυπεῖν.] Hic κακοπαθεῖν, potius legendum eſſe, vel

vel mediocriter doćto ſtatim innoteſcit. Ipſe enim Noſter mox paullo inferius, Κηδῶν ἀνιῶν, κακοποιῶν. Sed leve hoc eſt, & forſan merum mendum typographicum. Quare jam ſatis de his.

Pag. 524. Κηλὶς, εἶδ☉ αἰχρὸν ἐν ἱματίῳ.] Valde obſcure & ambigue hoc quidem dictum. Quare forſan ſcribendum fuerit: ἦδος αἰσχρὸν, *turpis* & *infanda voluptas ſub veſte aut pallio.* Nempe hæc ſunt *gaudia ſub tacita veſte*, ut ait Propertius, ſive uno verbo, *Veſticontubernium*, apud Petronium, Cap. XI. quod Salmaſius & alii perperam mutabant in *Veſtæ Contubernium.* Hoc autem *Veſticontubernium*, ſive ὑποχλαινισμὸν, ſi ita quidem liceat hic ὀνοματοποιεῖν, uberius hoc loco explicare, noſtri haud eſt pudoris. Inprimis, quum jamjam ſatis, immo profecto nimium, de prætextata hac re dixerint Interpretes ad dictum Petronii locum, & inter eos præcipue Gonſalius, quibus addere liceat Cl. Steph. Berglerum ad Alciphronis Epiſt. 38. Lib. I. pag. 176. ut Douſam ad Ovidium, aliosque nunc taceam. Ipſe noſter Heſychius mox: Κηλέμενος, ἐν ἱματίῳ τερπόμενος. Ceterum τὸ ἦδος, idem eſt, ac ἡδονὴ, ut noſter ſupra ſuo loco teſtatur, & notiſſimum eſt ſimul ex Homero, Herodoto, Athenæo & aliis: adeo ut noſtra hæc conjectura haud improbabilis hinc videri poſſit. Lector tamen ipſe, quod rogamus, judicium adhibeat.

Pag. 525. Κήμυψ, φλὲψ γεῶδες ἐν μέτραις.] Legendum hic eſſe φλὲψ γεώδης ἐν πέ-

πέτραις, nemo non credo, viderit. Quare neceſſe haud videtur, φλὲψ γεώδης ἐν μεταλλικοῖς, aut γεωμετρικοῖς, cum Sopingio hic legere, quod paullo longius quippe petitum & haud ſatis probabile, uti patet.

Pag. 527. Κιδαφεύειν, πανεργεῖν, κιδάφη γὰρ, ἀλώπηξ, ἡ ἐσθίειν ἀπὸ τῶν κιῶν, & mox Κίδαφος, δόλιος, καὶ ἡ ἀλώπηξ.] Nempe κιδάφην, *vulpem*, derivat noſter ni fallor, ἀπὸ τοῦ ἐσθίειν ἀπὸ τῶν κιῶν, quod tamen nemini paullo urbaniori, probabile credo, videbitur, quid enim hæc quæſo, etymologia ad πανεργεῖν, aut *doloſum & verſutum eſſe?* nihil prorſus, ſi quid ego quidem videam. Mihi igitur, ſi conjecturæ tamen fuerit locus, voces κίδαφος, κιδάφη & κιδαφεύειν, a Chaldaico verbo כדב *Kedab*, *Kedaph*, (pro quo Hebræos ſolito more, כזב *Cazab*, *Kazaph*, dicere notum eſt,) deducendæ videntur. כדב autem & כזב ſignificat *Mentiri*, *fallere*, *doloſe agere*, quæ ſane & ſono, & ſenſu, cum græcis his vocabulis accuratiſſime convenire, nemo non ſtatim animadvertit. Quo & omnino faciunt voces כשפים *Ceſaphim*, *præſtigiæ*, & כשפים *Caſaphim*, *præſtigiatores*, a verbo כשף *Ciſeph*, præſtigiis uſus eſt, ut notum φιλεβραίοις. Nihil tamen temere affirmo.

Ibid. Κίδναι, αἱ ἐγχώριοι πεφρυγμέναι κριθαί.] Neſcio ſane, an τὸ ἐγχώριοι, hic commodum χωρίον habere poſſit, quum valde incertum atque obſcurum ſit, quid ſint αἱ ἐγχώριοι κριθαί. Forte latet hic αἱ κάγχρυς, ſive

ſive, quod idem, *κάχρυς*, quod Suidas, Ariſtophanis ſcholiaſtes ad Equites, & ipſe noſter Heſychius, aliique plures, explicant per *κριθὰς πεφρυγμένας*. Vid. & Foeſ. Oeconom. Hippocr. Caſaubonus ad Athen. Lib. II, cap. 13. pag. 108. Stuckius in Antiquit. Convival. & alii, add. & Lexicon Græcum ineditum apud Rev. Montfaucon. in Bibl. Coislin. Part. I. Cap. 7. pag. 135. & Cl. Arnaldi Lection. Græc. Lib. I. cap. 18. pag. 125. Nihil tamen hic confidenter nimis pronunciare auſim. Ceterum vox hæc alias ignota *κίδναι*, proxime convenire videtur cum Hebr. קדח *Kadach*, *accendit*, *torruit*, *uſtulavit*, ut nempe mille voces ex Hebræa atque Phœnicia Lingua in Græcam transmigraſſe conſtat, ſicuti a Reineſio, Bocharto, Morinis, le Moyne, Seldeno, Clerico, Gatakero, Grotio, Voſſio, Huetio, & aliis magnis viris jam pridem liquidiſſime demonſtratum fuit, quod hic ſemel monuiſſe ſufficiat: ne quis ignarus rerum harum, nos & hic, & in his libris paſſim, inſolitum quid, aut inauditum & paradoxum adgreſſos fuiſſe, temere calumnietur. Conf. & vir maximus, Radulph. Cudworthus, Syſtem. Intellect. Cap. IV. pag. 359. ſqq. & quæ ibi in Notis obſervat pag. 360. Cudworthus redivivus, immo Cudwortho longe major Vir, Jo. Laurent. Moshemius, ingenii divini magnitudine & vaſta eruditionis copia omni humana laude multo ſuperior.

Neque enim hæc faciles ingenii luxuriantis luſus, aut volitantes umbræ, & inania veri in-

inſomnia ſunt. Sed res hæc validis argumentis demonſtrari utique poſſet; ſi opus quidem hic, aut tempus pateretur, inprimis quum jamjam illud alibi a nobis ſit factum.

Pag. 528. Κίκυμος aut κίκυβος, λαμπτήρ.] Et has voces ex Hebr. כוכב *Cocab*, *ſtella*, probabiliter eſſe derivandas, nemo facile negaverit, qui ſoni & ſenſus harmoniam inter utramque Linguam, cum cura expendere voluerit. Sed hæc obiter: Non indigna tamen viſa, quæ ſuperioribus adjicerentur.

Pag. 529. Κιμβία, σκυφία, μικρολογία.] Hæc ſane corruptiſſima: paullo melius apud Suidam: κίμβικα, σφηκία, ἡ μικρολογία: ſed nec hæc ſana omnem partem, ut oſtendit in Notis Æmil. Portus, qui ſuum familiare N. L. ſapienter adjecit. Quid vero unicus Suidæ Reſtitutor & Vindex Lud. Küſterus, hic dixerit, jam non ſuccurrit, quia præſtantiſſima ipſius Editio nunc, quod doleo, non eſt ad manum.

Hoc interim probabile ſatis videtur, pro monſtroſa voce σκυφία, utique ex Suida reſcribendum eſſe, σφηκία. Reliqua autem jam merito intacta relinquimus. Florens quidem Chriſtianus, in Anecdot. Græc. Tom. IV. pag. 257. B. Wolfii, legendum cenſet κυμβίνα, quæ vox infra apud Noſtrum occurrit: haud inprobabili conjectura; idem doctiſſimus Vir quoque vidit legendum eſſe σφηκία Sed de his hactenus.

Pag.

Pag. 530. Κιῤῥὸν, πῦρ ἐρυθρὸν, ξανθὸν.] Legendum hic forte, κιῤῥὸν πῦρ, ἐρυθρὸν, ξανθὸν, aut quod magis omnino placet, κιῤῥὸν, πυῤῥὸν, ἐρυθρὸν, ξανθὸν, idem enim κιῤῥὸν, eſſe ac πυῤῥὸν, notum eſt ſatis. Ipſe Suidas, κιῤῥὸν, πυῤῥὸν, ſimile Galenus, & alii. Vid. & Lexicon Græcum MS. apud Montfaucon, in Bibl. Coislin. Part. I, cap. 7. pag. 236. item Sam. Bochart. Hierozoic. Part. I. Lib. 2. cap. 7. pag. 109. Judicet nunc ipſe doctus Lector.

Pag. 531. Κίρων, ἀδύνατος πρὸς συνουσίαν, --- ὁ Σάτυρος καὶ ἐντεταμένος, ὁ γυναικίας, καὶ μὴ δυνάμενος χρῆσθαι.] Senſus in his ſatis quidem bene conſtat; voxque γυναικίας ſcita & elegans, & huic loco maxime convenit; interim tamen quædam circa poſtrema hujus periodi deficere videntur. Forſan igitur ſcribendum fuerit, γυναικὶ δὲ μὴ δυνάμενος χρῆσθαι, vel in hunc modum, ὁ γυναικίας, καὶ μὴ δυνάμενος χαρίζεσθαι: Verbo caſto in re turpi, & eleganti, de negotio pudibundo, vid. Noſter infra in χαρίσασθαι, item Pollux, Suidas, & alii, quos cum his laudat Thom. Gatakerus, de Stil. Nov. Teſt. Cap. XI. p. 117. item Mauſſacus, ad Harpocration. pag. 43. & Deſid. Heraldus, ad Martial. Lib. II. Epigr. 9. pag. 34. Nec non Celeb. Wolfius, illius Wolfii, Hamburgenſis, vel poſt præmatura fata adhuc immortalis, heu! quondam noſtri, digniſſimus Frater, in doctiſſimis Obſervationibus, ad Sapphus Fragmenta ſplendidiſſime edita, pag. 237. & dudum Caſp. Barth. Adver-

ſar. Lib. VI, cap. 16. pag. 281. conf. & inprimis Timæi Lexicon Platonicum MSrum in Bibl. Coislin. Rev. Montfauconi, Part. II. cap. 6. pag. 481. Sed de his ſatis.

Ceterum vox Κίρων, adfinis admodum videtur Hebrææ, עקר *Hakar*, *ſterilis*, *impotens*, *viribus ad gignendum deſtitutus*, nempe à verbo עקר *Hakar*, *Eradicavit*, *enervavit*, ut ex Lexicis ſatis notum eſſe arbitror: Verum hæc in tranſitu.

Ibidem. Κίςη, ἀγγεῖον πλεκτὸν, κιβωτὸς, ἢ ἀσαλός.] Nemo non videt, opinor, vocem ἀσαλὸς, hic prorſus eſſe otioſam, nec commodum ullum ſenſum huc inferre. Quare legendum mihi aliquando videbatur, κάλαθος, aut τάλαρος, quod idem, quod quid ſit, notum ſatis eſt ex ipſo Heſychio, Suida, Athenæo & aliis plurimis; vid. & Gloſſarium Græcum Anecdot. in Bibl. Coisliniana Rev. & maximi Montfauconi, Part. II. cap. 6. p. 463. ad p. 502. Certe huc optime convenire videtur; de voce κίςη autem vid. eosdem, inprimis autem Ariſtophanis Scholiaſten ad Equites, & ad Pacem, ut alios taceam.

Ceterum hoc ipſum vocabulum adhuc in plerisque Linguis ſervatum fuit; ita nobis eſt *eine Kiſte*, *ein Kaſten*, & Belgis pariter *eine Kiſte*, *ein Kiſtken*, Latinis *Ciſta*, Gallis, *une Caſſete*, ſive *un Caſſetin*, & Italis, *Caſſa*, & *Caſſone*, &c. quorum tamen omnium primaria origo repetenda omnino videtur ex Hebræo fonte, כיס *Kis*, ſeu *Cis*, *Loculus*, *Marſupium*, ut & bene obſervarunt Becmannus, Voſſius, Martinius,

Fren-

Frenzelius, & alii rationum etymologicarum Scriptores, adeo, ut hæc Etymologia magnis ſeſe Auctoribus multum tueatur, plus tamen adhuc ratione ipſa atque analogia. Verum de his hactenus.

Pag. 598. Ληκεῖ, φοβεῖ, βοᾷ, κροτεῖ.] Legendum hic forſan eſſe, φωνεῖ, vel ψοφεῖ, adjecta ſynonyma facile, putem, convincent Lectores, inprimis quum mox ſequatur, Λυκῆσαι, πατάξαι, ὑλακτῆσαι. Ita & λάκε, ἐψόφησεν, ἤχησεν, in Lexico Græco inedito, in Bibliotheca Coisliniana Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Montfauconi, Part. II. cap. 6. pag. 461. Sed Φωνεῖ, hic legendum eſſe, vidit quoque pro ſua εὐστοχία, Vir Rev. & Celeb. Jo. Albertis in periculo Crit. Cap. XXV. pag. 92. quod demum obſervavimus, poſtquam hæc jam diu eſſent perſcripta. Conf. de hoc verbo Celeb. Lamb. Bos, in Obſſ. Crit. Cap. VIII. pag. 44. & inprimis Heſych. infra in Λέληκε, λεληκώς, λέλακεν & λελακυῖα. &c.

Pag. 606. Λοετρά, λουτρά, κρίκη, πυριλουτήρ.] Hæc ita legenda ego quidem cenſuerim: Λοετρά, λουτρά, κρήνη, πηγή, λουτήρ, vel πυρία, aut βήρ, λουτής: κρίκη enim, me quidem judice, vox hic plane eſt nihili. Judicet tamen Lector, & meliora huc adferat.

Pag. 607. Λόνδις, βωμολόχος, ὄρων.] Vitioſam eſſe vocem, ὄρων, dubio fere caret. Salmaſius ergo legebat, εἴρων, Sopingius autem ὁ ῥίνθων, neuter quidem male. Scribendum tamen putem λοιδορῶν. Supra enim

 Noſter,

Noſter, λοίδορος, κακολόγος, ὑβριστής, quæ idem ſunt, ut notum, ac βωμολόχος, vid. Suidas & Ariſtophanis ſcholiaſtes paſſim, ut & Lexicon Vetus MS. apud Illuſtriſſimum Montfaucon, in Bibl. Coislin. Part. II. cap. 6. pag. 488. Ceterum hoc Λόνδις, videtur nonnihil convenire cum Heb. לצון *Lazon*, ſeu *Ladſon*, *Deriſio*, *Ludificatio*, nempe a verbo לוץ *Luz*, *illudere*, *Ludificare*, ut notum, vid. præter alios, Lud. Cappelli Crit. Sacr. Lib. V. cap. 5. p. 346. Sed judicent doctiores.

Pag. 617. Μάκιστος, πορρώτατος, ὄφελος ἔχοντα.] Mutila atque depravata mihi hæc videntur, quia illa ὄφελος ἔχοντα, non habent omnino, quo ſeſe commode referant. Forſan, ſi conjecturæ quidem locus, ſcribendum hic fuerit: Μάκιστος, πορρώτατος.] Μακιστῆρα λόγον, τὸ βέλος ἔχοντα]; mox enim ſequitur, Μακιστήρ, βέλος. Credibile autem, Heſychium hic in animo habuiſſe ſequentem Æſchyli locum in Supplicibus, pag. m. 323. etiam in Notis ad Heſychium adnotatum,

Ἤκουσα μακιστῆρα καρδίας λόγον.

quod ſcholiaſtes ſcite explicat, per λόγον καρδίας δηκτικὸν. Hæc mihi quidem probabilia videntur. Aliam tamen eamque expeditiorem, emendandi viam ingreſſus hic eſt Cl. Arnaldus, in Lect. Græc. Lib. I, cap. 13. pag. 91. legendo: Μάκιστος, πορρώτατος.] Μάκιστον, ὄφελος ἔχοντα, idque ibi docte, ut ſolet, ex Sophocle probat. Eligat igitur ex his Lector, quidquid ipſi magis

gis placuerit: Nobis interim ſufficit, noſtram hic conjecturam modeſte ſic propoſuiſſe.

Pag. 631. Μυκᾶται, τέθνηκεν, ἀνέωκται, ἐψόφηκεν.] Aut tollendum prorſus videtur illud τέθνηκεν, ceu mortuum & putridum quid, quod male ſcilicet natum ex antecedenti Μέμυκε, --- τέθνηκεν, quod rectum quidem; nam μέμυκε, ibi eſt a μύω, *claudo, obmuteſco*, ut notum: Μυκάω autem longe aliud, nempe contrarium ſignificat, ut nemo neſcit. Aut ſcribendum inquam, forſan fuerit: Μυκᾶται, λέληκεν, quod Noſter ſupra pag. 592. explicat per βοᾷ, φθέγγεται, & λεληκὼς, per κεκραγὼς, φθεγγόμενος; aut quod ſenſu idem, legendum forte, κέκληκεν, quod Noſter pariter ſupra interpretatur per ἐψόφηκεν, ἐβόησεν, & κεκληγὸς, per ψοφεῖν, item κεκληγὼς, ψοφῶν, βοῶν, κραυγάζων, ἐπικαλέμενος, κ. λ. Quam explicationem huc optime facere ad noſtrum locum, nemo non ſtatim deprehendit, ſic enim mox, Μεμυκήκασιν, ἐφώνησαν, & Μεμυκότα, βοῶντα, φωνῶντα, vid. & iterum infra, in Μυκᾶσθαι, & in Μυκήσασθαι, ut alia nunc taceam, res enim nota.

Pag. 657. Μῶϋ, τὸ ὕδωρ.] Nempe Ægyptiis Μῶϋ, vel Μῶυ, Μῶ, Μῶς, aut Μῶμ, item Μῶα erat *aqua*, unde *Moyſis* nomen derivant Joſephus, Archæol. Lib. II, cap. 9. ubi vid. Bernard. pag. 123. Clemens Alex. Strom. Lib. I. p. 343. Philo, aliique Veterum, qua de re vid. Kircher. in Prodrom. Copt. & alibi Morinus, Voſſius, Scaliger, in Not. ad Fragment. Select. Vet. Græc. p. 48. & alii. Inde in Codice Hora-

pollinis Morelliano extabat ὕδωρ Μομᾶ, quo ipſo ad dictam vocem Ægyptiacam Μῶϋ, Μῶ, vel Μῶα, reſpici, manifeſtum arbitror. Noviſſimus autem Horapollinis Editor ſic illa explicabat, τὸ ὕδωρ μώμα, *illud ὕδωρ ſperne ac vide*, quod ſane commentum jure μωμητὸν, ne gravius dicam. Ceterum τὸ Μῶϋ convenit cum מי Hebræorum.

Pag. 710. Οὐκ ἔναιμος, ἐ δίκαιος.] Corrupta hæc omnino: Sopingius ergo legebat, ἐκ ἐναίσιμος, ſatis bene quidem; forſan tamen nihilo pejus ſcribendum fuerit, ἐκ ἔννομος, ἐ δίκαιος. Quæ gravis & emphatica vox vel ex ipſo ſacro Novo Fœdere ſatis nota eſt, ut Platonem, Dionyſium Halicarnaſſ. Lucianum aliosque profanos Auctores jam prætercam. Sic & ſcholia in Dionyſ. Areopagit. θεμιτὸν, ἔννομον, δίκαιον, vid. & S. Maximus ibidem.

Pag. 770. Πλήρωμα, ναῦς τραγική.] Hæc tragica atque corrupta nobis videntur, adeo ut hinc legendum eſſe arbitremur, ναῦς φορτικὴ, *Navis oneraria, onuſta:* Vid. Noſter infra, in φορτίς, & ſupra in Ὁλκάς, ita φορτικὸν πλοῖον, dixit Thucydides & Plutarchus. Immo huc vel maxime facit Suidas: Πληρώματα, ὁ τῶν νηῶν φόρτος, Conf. & omnino Achilles Tatius, in Erot. Lib. III. pag. 159. Et hæc quidem paullo certiora videntur, ac ea, quæ hic Sopingius adnotavit. Interim fruatur quisque ſuo genio & ſenſu.

Pag. 954. Φλεγυρὰ, ὑβριςικὴ, λαμπρά.] Hic illud ὑβριςικὴ vere ὑβριςικὸν mihi videtur,

tur, male quippe natum ex antecedenti voce *φλεγύαι*. Hinc potius levi mutatione legendum, *ἡ πρηςικὴ*, *Res adurendi vim habens*, a *πρήθω*. Schol. ad Ariſtophan. Acharnenſ. pag. 403. *φλεγυρὸν*, *φεγγον*, *λάμπον*, *ἡ θερμὸν*, *κ. λ.*

Pag. 681. *Χωρίον*, *δοχεῖον*, *κόπρον*, *καὶ ὄρνις ποιός*.] Hæc vere *κοπρικὰ* ac vitioſa eſſe, nemonon, opinor, videt. Sopingius ergo legebat hic *δοχεῖον κόπρε*; Heinſius autem *δοχεῖον νεκρῶ*, neuter bene, me quidem judice, vid. & ill. Steph. le Moyne, in Obſervat. ad Varia Sacra, pag. 514. Mihi vero nonnihil certius forſan legendum videtur, *δοχεῖον κόρε*, vel *τόκε*, *receptaculum fœtus* aut *partus*. Scilicet *χωρίον*, ſeu *χορίον* utroque enim modo ſcribitur ſæpiſſime apud Hippocratem, Libb. de Morb. Mul. & alibi, (licet longe rectius ſit *χορίον*, obſervante Caſp. Hofmanno, Lib.VI. Var. Lect. cap. 29.) ſignificat ſordida illa involucra, quibus fœtus in utero materno involvuntur. Ipſe Noſter ſupra ſuo loco, *χορίον*, ſive *χωρίον*, *τὸ κάλυμμα*, *τὸ συγγενόμενον ἐκ τῆς κοιλίας*, nempe *τοῖς βρέφεσι*, quod ex Suida ſcilicet ſupplendum, & Artemidorus, Oneirocrit. Lib. V, 12. pag. 255. Edit. Rigalt. *ἐν ἑνὶ χωρίῳ, ὡς λέγεσιν ἰατρῶν παῖδες, περιείχετο τὰ βρέφη.* Plura hac de re collecta vide ſis apud Henr. Stephanum, in Dictionario Medico, locis diverſis, item apud Fœſium, in Oeconomia Hippocratis, pag. 411. & generatim apud Medicos Veteres, inprimis Theophilum Protoſpatharium, de Corporis humani

humani Fabrica, Lib.V. pag. 898. apud illuſtr. Fabricium, Bibl. Græc. Lib. VI, Cap. 8. extremo. Hæc quidem hactenus. Sed & haud incommode aut infeliciter prorſus, opinor, legi hic poſſet, χορίον, λοχείων κόπρος, *ſordes puerperii*, vel λαχείων σαπρὸν, *puerperii ſordes* & *impuritates*: Σαπρὸν enim teſte Noſtro, idem eſt, ac αἰσχρὸν, ἀκάθαρτον. Immo forſan nihil prorſus in Heſychio mutandum, niſi τὸ κόπρον, in κοπρῶν, κόπρος, vel κόπρων, ita ut hic τὸ χωρίον recte, etſi late nimis, explicuiſſe videatur per κόπρον, ſeu *ſordes*, quod Grammatico ἀνιάτρῳ merito condonandum. Sed de his nunc ſtatuat ipſe æquus Lector, quod ipſi viſum fuerit.

Ibidem χῶρος, τόπος, ἀγρὸς, ἄνθρωπος.] Poſtremum hoc ἄνθρωπος, ſuſpectum mihi videtur: quare legere hic malim, ἀγρὸς ἀνθοφόρος, *ager floridus*, *herbidus*. Forte tamen & Viri nomen eſſe poteſt, unde ego merito ἐπέχω. Ceterum vel Latinis *Locum* ſæpius idem eſſe ac *Agrum*, abunde conſtat ex opuſculis de Latinitate JCtorum Vett. per Cl. Dukerum editis, pag. 81. ſeqq.

Pag. 983. Ψαύριος, κονιορτὸς, φορητός.] Eſſet quidem aliquid, κονιορτὸς φορητὸς, deleto commate. Interim tamen ſcribendum eſſe crediderim, κονιορτὸς, φορυτὸς, quod ſupra idem ac βόρβορος καὶ ἀκαθαρσία, adeo ut ſynonyma ſint κονιορτὸς καὶ φορυτός· De qua voce φορυτὸς, vid. Thom. Reineſii Var. Lect. Lib. V. cap. 7. pag. 332. ſqq. in Appendice Epiſtolarum ad Chriſt. Daumium.

Pag.

Pag. 986. Ψυγεῖα, ἀγγεῖα, ἐν οἷς ὕδωρ ψύγεται, καὶ ὁ τόπος αὐτός.] Forte ſcribendum, καὶ ὁ πότος αὐτός. Idem enim mendum ſupra, pag. 781. πότημα, ποτήριον, ἢ ὁ τόπος αὐτός, quod recte emendavit Stephanus, legendo, ut nos hic, πότος. Quare admodum veriſimilis hæc noſtra conjectura videtur. Forte & ſupra pag. 702. eadem vox Noſtro reſtituenda: Ὄρνεα, ὀρνεόπωμα, καὶ πετεινὰ, καὶ τόπος, quod ſcriptum nempe videtur pro πότος, quia præceſſit ὀρνεόπωμα. Sed quia aliud viſum Salmaſio: ideo nihil hic definio.

Ibid. Paullo antecedente pag. 985. Ψοθὸν, μέλαν, θόρυβος.] Dubium hoc poſtremum. Antecedit enim ψοθίον, αἰθαλῶδες, & ſequitur, ψόθος, ψώρα, ἀκαθαρσία, item ψόθωρον, αὐχμηρὸν, Vid. & Suidas. Legendum ergo, ὄρφνος, *tenebræ*, aut potius φορυτός: Noſter ſupra ſuo loco, φορυτὸς, βόρβορος, ἀκαθαρσία. Vid. inprimis ſcholiaſt. ad Ariſtophan. Acharn. pag. 416. Sed poſſet & legi ὁ ῥύπος. Ceterum ψόθος, convenire aliqua ratione videtur cum Hebr. בוץ *Bots*, *Cœnum*, *ſordes*, quod obiter notamus.

Jam vero ſaltum faciamus! Noſter pag. 705. Ὀρχήστρια, αἶρα.] Tolle illud αἶρα, ceu ineptum, ſcribeque λύρα, ad quam nempe ſaltabatur, ut notum. Palmerius vel αἶρα, *malleus*, legebat, vel ἑταίρα, illudque ὀρχήστρια, mutabat in ὀρχηστρίς. Sed neutrum placet, licet poſterius priori conjecturæ utique ſit præferendum. Niſi forſan ſcribendum, Ὀρχήστρα, παλαίστρα, ut eſt apud Suidam. Vid.

Jo. Meurſius, de Orcheſtra: Vel legendum σφαῖρα, ita enim meretrices vocatas fuiſſe, notat ad Artemidorum Rigaltius, pag. 24.

Sed obſcurior ſequens locus, pag. 826. Σανὶς, λεύκωμα, ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Ἀθην. ἐγράφοντο πρὸς τὰς κακούργους. τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ταύρου.] Hic multa peregrina & ridicula de foro Tauri Conſtantinopolitano comminiſcitur Palmerius, non videns, legendum eſſe, ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, & aperte reſpici ad verba S. Joannis, Cap. XIX, 19. ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. Nempe λεύκωμα, σανὶς & τίτλος idem ſunt, vid. Salmaſ. Epiſt. de Cruce, & inprimis Lib. de Modo uſurar. pag. 678. Cap. XV. Heinſ. in Ariſtarch. Sac. & Grot. ad Matthæi Hiſtoriam Paſſionis, item Jac. Lydium, in Flor. Sparſ. ad Paſſionem J. C. & J. Henningii Archæolog. Paſſional. Cap. XXI. pag. 215. & pag. 223. ſqq. & alios.

Nempe illa λευκώματα ſive elogia malefici, ceu facinorum ſuorum teſtes, & collo appenſa geſtabant, & poſtquam in crucem eſſent acti, in ſuprema crucis parte, illa ſuper capite, affigebantur, ut Lipſius pluribus probat, Lib. de Cruce, & alii, qui de triſti hac materia tractarunt. Ceterum Scholiaſtes ad Ariſtophan. Theſmoph. pag. 818. hunc locum Heſychii producit quidem; mendum tamen inemendatum relinquit ſimul, ut plerumque ſolet. Poſtea tamen didici, Salmaſium jam dudum hanc noſtram emendationem præoccupaſſe, laudato Libro de Cruce, pag. 267. & ante eum Joſ. Scali-

Scaligerum: ille igitur magni Viri ſecum habeant, ſerventque ſepulchro, nolumus enim in divos eorum manes temere peccare. Sed ſatis jam de Heſychio! tranſeamus ad alia.

CAPUT XXI.

Loci cujusdam Senecæ Philoſophi integritas & acutus ſenſus oſtenditur contra Lipſium. J. Fr. Gronovii explicatio laudata & uberius confirmata. Secunda virtus, ſecunda ſors & partes ſecundæ *quid? Celebris Heſiodi ſententia Latinis frequentius uſurpata.* Τὸ δεύτερον, Græcis *idem ac* ſors ſecunda.

SEneca, Lib.V. de Benef. cap. 25. ſeu ult. in hunc ſenſum loquutus: *Moneri velle ac poſſe, ſecunda virtus eſt.* Optime ſane atque acutiſſime. Aſt Lipſio hæc interpolata, aut defecta atque obſcura videntur, adeo ut ad deficientem ſenſum ſupplendum aliqua deſint. Scilicet non intellexit Vir ſummus ἀποσιώπησιν Senecæ adeo familiarem, & ſibimet ipſi ad vitium obſcuritatis uſque ſolennem. Felicius ergo ſubodoratus eſt ſenſum loci reconditum elegantiſſimus Jo. Fr. Gronovius, ut ex obſervatione huic loco ſubſtrata clare patet, adde ejusdem Obſſ. Eccleſiaſt. Cap. XXV. p. 288. ſqq. Non indicavit tamen fontem, unde hanc ſaluberrimam Gnomen & Seneca hauſit, & plures alii in ſuos hortos derivarunt. Nimirum celeberrimi olim & decantatiſſimi erant ſequentes verſus Heſiodei, Op. & die. v. 291. ſqq. laudati quoque Andronico Rhodio, in Paraphraſi Ethicor. Nicomach. Ariſtot.

ſtor. Lib. I, cap. 6. p. 14. Plutarcho, Maximo Tyrio, Athenæo, Chryſoſtomo & aliis:

> Οὗτος μὲν πάναριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει,
> Φρασσάμενος τὰ κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾗσιν ἀμείνω.
> Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται. κ. λ.

> *Ille quidem primus & optimus eſt, qui ſibi ipſi per omnia ſapit;*
> *Cogitans quæcunque deinde & poſtremo ſint meliora:*
> *Ille vero ſecundus & bonus eſt, qui bene monenti paruerit.*

Sed multo elegantiorem horum verſuum verſionem, eamque metricam, dedit maximus Hugo Grotius, de Jure Bell. & Pac. Lib. II, Cap. XXIII, §. 2. in Notis, ubi & plura. En vero tibi ipſos hos verſus elegantiſſimos:

> *Ille quidem ante omnes, per ſe ipſe quid utile, quid non,*
> *Qui videt, & longe fines proſpectat agendi:*
> *Qui bene conſultis didicit parere, ſecundus.*

Ex quibus nunc manifeſto claret, Senecam ad hunc ſecundum ſapientis virtutis gradum reſpexiſſe, omiſſo primo, qui ſcilicet, hoc certe in loco, in ſuam rem haud videretur. Prima igitur atque ſuprema, Heſiodo judice, virtus erat, *ſtultitia caruiſſe*, ut ait Horatius; altera vero, ſive ſecunda, & hac primâ paullo inferior,

rior, *rectius monenti paruiſſe.* Ecquid ergo nunc clarius planiusque? Prius igitur hujus ſententiæ membrum ideo hic reticuit philoſophus noſter, & quia hoc loco alienum, ut dixi, & quia tota hæc gnome notiſſima ſatis eſſet, & in omnium ore menteque verſaretur, ut quivis inde facile intelligeret, quid vellet & quo digitum intenderet. Celeberrimam vero inter veteres hanc fuiſſe ſententiam, præter alia plura, quæ ſtudio hic tacentur, elegans illa & gravis Minucii, Magiſtri Equitum, ad milites oratio, poſt prœlium juvenali levitate inauſpicato commiſſum, breviter & nervoſe habita, clariſſime evincit, apud Livium, Lib. XXII, cap. 29. quam etiam laudavit jam Gronovius & Grotius.

Sæpe ego, inquit ibi Minucius, *audivi, Milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quid in rem ſit: Secundum eum, qui bene monenti obediat. Nobis, quoniam primi animi ingeniique negata ſors eſt, ſecundam ac mediam teneamus.*

Nimirum integram Heſiodi Aſcræi ſententiam ſuperius propoſitam, laudat hic Minucius; dimidiatam vero & capite quaſi truncatam adduxit ibi Seneca, ut ſolet libenter βραχυλογεῖν, & verba non profundere, ſed potius contorquere.

Ceterum facit huc vel maxime ipſe noſter Seneca, Epiſt. LII. *Egregium hoc quoque*, inquit, *ſed* ſecundæ ſortis *ingenium. Nos ex illa prima nota non ſumus: bene nobiſcum agitur, ſi in hanc* ſecundam *recipimur*, quem locum a Gro-

Gronovio prætermiſſum vehementer miror. Quo & egregie ſpectat illud Columellæ, Lib. I. de Re Ruſt. in proœmio: *Summum enim culmen affectantes ſatis honeſte vel in* ſecundo faſtigio *conſpiciemur*, quod ex Cicerone eſt deſumtum de Orat. Cap. 1. add. pro Cluentio, Cap. XXXI. item Lib. de Offic. & ex hoc Quinctilian. Inſtit. Orat. opere extremo. Conf. Græv. Lect. Heſiod. cap. VI. pag. 35. Sed & Græci ſic loquuntur. Anaxandrides Comicus, in Theſauro, apud Athenæ. Lib. XV, Cap. 14. pag. 694.

Τὸ μὲν ὑγιαίνειν πρῶτον ὡς ἄριςον ἦν,
- - - δεύτερον δ᾽ εἶναι καλὸν,
Τρίτον δὲ πλȣτεῖν. - - -

Ubi etiam vid. antecedens Scolion, quod ejusdem fere tenoris. Quo & iſtud Themiſtii, Orat. III. pag. 42. ȣ̓κ αἰσχύνεται τοῖς δευτερείοις ἀντὶ πρωτείων κεχρῆσθαι nec non Libanii, Orat. XXVI. pag. 599. Καλλόπιος ἀγαπᾷ μὲν τῇ δευτέρᾳ χώρᾳ, δύναιτο δ᾽ ἂν βȣληθεὶς τὴν πρώτην ἔχειν. ut & Philonis Jud. de Agricult. pag. 159. ᾧ καὶ τὰ πρῶτα τῶν ἀθλητῶν ȣ̓ φθονητέον λαμβάνοντι. οἱ δὲ κἂν δευτερείων ἢ τρίτων ἀξιωθῶσι. Aliqua his ſimilia obſervavit Jenſius, Lect: Lucian. Lib. II. cap. 20. p. 276. Patet ergo ex hactenus dictis, fruſtra ſollicitum fuiſſe Lipſium de loci hujus ex Seneca prolati integritate, quum nihil ipſo purius, nihil emendatius eſſe facile poſſit. Ita vero ſæpius falluntur Viri maximi, memoriæ imbecillitate, quia homines ſunt.

Caput

CAPUT XXII.

Æliani locus poſt Schefferum, emendatus, ſive potius ab intempeſtiva ejusdem emendatione vindicatus. Ἀποβλέπειν & ἀπιδεῖν, attente & acute aliquid inſpicere. *Cl. Jac. Perizonii explicatio merito rejecta.*

NUnc iterum ad Ælianum! Locus occurrit in Variis ejus Hiſtoriis, Lib. XII, Cap. 41. de judicio Apellis, qui in Protogenis, inclyti quoque pictoris, tabula, ſeptem demum poſt annos abſoluta, plurimum artis, nihil vero gratiæ, ſe deprehendere graviter pronunciabat. Ubi verba inter alia ita fluunt: Ἀπελλῆς ἰδὼν, τὸ μὲν πρῶτον ἔςη ἄφωνος, ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῇ παραδόξῳ θέᾳ, εἶτα ἀπιδὼν ἔφη, κ. λ. In quibus poſterius ἀπιδὼν, languidum nonnihil atque inficetum videtur, quia modo præceſſit, ἰδών.

Quare Schefferus legere malebat, ἀπιών, *abiens*, non infeliciter, nec improbabili conjectura, ut viſum quoque Jac. Perizonio, licet contra ſtet, ut ſolet, Kühnius. Ego vero ſcripſiſſe potius putem Ælianum, αὖ ἰδὼν, nempe poſteaquam *rurſus viderat* Apelles picturam, diſcuſſa ſcilicet jam atque languefacta priore illa admiratione, qua ex primo tabulæ conſpectu, ſubito mens ejus perculſa fuerat, ut hinc ſtupore præpeditus, nec nævos deprehendere, nec judicium formare valeret. Senſu profecto eleganti atque commodo, ſi quid in

his

his rebus videam: Ut tamen ingenue dicam, quod res eſt, nec hæc mihi, etſi blandiſſima, emendatio adeo neceſſaria videtur.

Ἀπιδὼν enim hic eſt *attente atque acute inſpiciens*, & tantundem valet, ac infra Cap. 58. hujus Libri XII. Τὸ ἀποβλέπων, ubi de Dioxippo, celebri & victorioſo athleta Athenienſi narratur, quod ipſe triumphans antea, triumphatus poſtea fuerit a ſpecioſa quadam puella, in cujus emendatiſſima facie ipſius oculi defixi penitus hæſerant, καὶ διετέλεσεν, inquit Ælianus, ἀποβλέπων τὴν ἄνθρωπον, & mox, μὴ ἀργῶς ἰδὼν τὴν ἄνθρωπον: ex quibus nunc clare patet, ἀπιδὼν & ἀποβλέπων, idem utrinque eſſe, ac μὴ ἀργῶς ἰδὼν, vel μὴ ἀργῶς παριδὼν, quod ſupra apud Noſtrum legitur, Lib. V, cap. 17. quemadmodum eadem emphaſi Iſocrates, Orat. ad Nicocl. pag. 28. ὅταν μὲν γὰρ ἀποβλέψωσιν εἰς τὰς τιμὰς, καὶ τοὺς πλούτους, καὶ τὰς δυναστείας, & Themiſtius adhuc magis emphatice, Orat. VI. pag. 81. εἰς κάτοπτρον ἀποβλέπων καὶ ἀτενίζων, item Xenophon, in Oeconom. Cap. XVII. πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν Θεὸν ἀποβλέπουσι. & Dionyſ. Hal. L. XI. pag. 689. εἰς σε ἀποβλέπει τὸ συνέδριον. Et quid multa? ipſum τὸ ἀπιδὼν, eodem ac hic, modo, ſumitur ſupra, Lib. III, cap. 20. de Lyſandro, ὁ δὲ ἀπιδὼν εἰς τὸν πλακοῦντα, hoc eſt: *hic vero placentam attente & perquam curioſe intuitus*, quem locum ipſe quidem Perizonius hic laudat; & tamen verum, quod mirum, perſpicere non valuit, Vir alias acutiſſimus & per-

perſpicaciſſimus, qui nihil unquam molitus inepte, ut ſcripta ejus cedro digniſſima, ubertim teſtantur. Accedat his ſimillimus fere locus Ariſtæneti, Lib. I. Epiſt. 23. de aleatore amore præſentis amicæ nimium ſaucio, εἶτα πρὸς τὴν ἐρωμένην ἀπιδὼν, κ. λ. quam elegantem Merceri conjecturam qui mutarunt nuper in ἀπιών, omnem ſane Auctoris politiſſimi leporem præter neceſſitatem, ſuſtulerunt, ut locum diligentius inſpecturis illico patebit. Conf. Jac. Billii Obſſ. Sacr. Lib. II. cap. 1. pag. 74. adde Niceph. Gregor. Hiſt. Rom. Lib. X. pag. 337.

Recte ergo, mea quidem ſententia, Æliani ſenſum perſpexit hic Cl. Kühnius, quando ita ſcribit in Notis ad hunc locum: *ἀπιδὼν hic notat, Apellem iterum, diſcuſſa admiratione, oculos defixiſſe in picturam, ſuamque de ea tuliſſe ſententiam.* Perperam contra eundem aſſequutus eſt laudatus modo Perizonius, dum ſequentem Obſervationem ſpongia omnino dignam, ſubjungit: Acciperem illud ἀπιδὼν, quaſi per Ellipſin dictum, pro ἀπιδὼν εἰς τοὺς παρεςῶτας, h. e. *avertens jam ſe ab illa tabula, & intuitus adſtantes.* Siniſtre mehercule, & inaudito prorſus Ellipſeos exemplo, unde enim quæſo conſtet, præſentes alios adfuiſſe ſpectatores, quos alloqueretur Apelles, quum altum hac de re & apud Ælianum, & apud Plinium, Lib. XXXV. ſit ſilentium; & quum etiam quidam adfuiſſent, quid opus quæſo erat, ad eosdem reſpicere? Nempe non major gratia huic commentationi ineſt; quam inerat

Protogenis tabulæ. Sed hæc pace maximi Viri manium, dicta a nobis ſunto.

Caput XXIII.

Vetus Papinii Statii Scholiaſtes, Lactantius, poſt Jo. Fr. Gronovium V. C. emendatus, ſive potius a minus neceſſaria ejusdem emendatione vindicatus. Metaphoricus verbi Tabeſcere, *uſus.* Albeſcere, *de ſtellis pallentibus & evaneſcentibus, eleganter Latinis dicitur, quomodo &* λευκαίνειν, *Græcis.*

VEtus Papinii Statii Scholiaſtes Lactantius, hæc notat ad 1. Theb. v. 690. *Ophiuchum ſignificat, qui ſub urſa eſt: adventu enim diei incipiunt ſidera ſeptentrionis albeſcere.* Hic illud *albeſcere*, non albo, ſed atro potius, lapillo, notavit V. C. J. Fr. Gronovius, Lib. III. Obſſ. Cap. 20. pag. 618. legendum jubens, *hebeſcere.* Non male prorſus.

Mihi tamen ſcribendum potius videtur *tabeſcere*, quod idem eſt, ac evaneſcere, deficere, ſenſim perire, ut notum. Sic *victoriam, pugnam* atque *fortunam tabeſcere*, ſæpius dixit Livius, *nives tabeſcere*, Plinius, Cicero, Seneca, Columella & alii, *Salem tabeſcere*, iterum Plinius & Columella, *noctes tabeſcere*, Lucretius, *diem extabeſcere*, Plautus, in Stich. & alibi, quemadmodum & Græci eadem elegantia, ἀποφθιμένης ἡμέρης, dicunt. Sed ut ingenue tamen fatear, mihi nihil hic mutandum videtur. *Albeſcere* enim hic idem eſſe crediderim,

ac *palleſcere.* Sic fere Tacitus XV. Annal. 65. *Membris in pallorem albentibus*, dixit, & Seneca de elucis potoribus, Epiſt. CXXII. *Languidi & evanidi albent*, & Lactantius, de Mort. Perſecut. cap. 33. *Albeſcit ipſe, atque abſumtis viribus tenuatur*, item Cenſorin. Cap. XIV. de Die Nat. *in Octava hebdomade oculos* albeſcere *dixerunt*, quod temere in *hebeſcere*, mutabat doctiſſimus cetera Lindenbrogius, *albeſcere* enim hic idem ac *tabeſcere* aut *hebeſcere*, uti ex hactenus dictis clare opinor, patet, ut plura alia taceam. *Palleſcere* vero proprie de ſtellis dici notum eſt, ubi diei adventu, ſplendorem ſenſim amittunt, & majore ac fulgentiore lumine victæ & ſuperatæ, evaneſcunt. Hinc *pallida ſidera*, & *palleſcunt ſtellæ*, ſæpius apud poëtas occurrere, quis harum rerum callens neſciat? Quid? quod ipſe Plinius, Lib. XVIII, cap. 35. *Stellæ albeſcentes*, dixit, licet alio ſenſu, quod petitum, notante ibi bene Harduino, ex 1. Georgic. Virgilii,

- - - - *noctisque per umbras*
Flammarum longos tergo albeſcere *Tractus.*

Qui & Lib. IV. Æneid. cecinit:

- - - *ut primum* albeſcere *lucem*
Vidit.

Ita & Matius, apud Nonium Marcell. in *Recentari;*

Jam jam albicaſcit *Phœbus.*

Sic & *albenti in æthra* dixit Silius Italicus Lib. V. de Bell. Pun. II. & *albam lucem*, Lucanus. Pari modo λευκαίνειν φῶς, ἀςέρας, καὶ ἡμέραν, dicunt Græci.

Græci. Ita Tryphiodoro aurora appellatur λευκαίνουσα, & Theocrito, Idyll. XVI. λευκίππος, Euripides etiam in Iphigenia, ἡμέρα dixit λευκόπωλος, quæ cum aliis huc facientibus, laudat Cl. Dauſqueus in Adnotamentis ad Q. Calabr. pag. 9. Immo & ipſi Hebræi ſic לבן *albeſcere*, de ſtellis dicunt, unde & ipſa *Luna* לבנה ſcilicet ab *albido pallore*, nomen habet ſuum, ut Philologis Ebræis, puto, notiſſimum, Vid. Lud. Cappelli Crit. Sacr. Lib. V, cap. 3. pag. 333. Ex quibus nunc clare opinor, albet & patet, nihil eſſe in hoc Lactantii loco immutandum, atque *albeſcere* idem eſſe ac *palleſcere*, hebeſcere & evaneſcere, ut ſupra fuit aſſertum. Sed hæc nimis quidem levia.

Caput XXIV.

Artemidorus bis emendatus: Nicephorus ſemel.

Jam vero Artemidorum, ſi ita tamen lubet, pauliſper evolvamus, non eum quidem in finem, ut cum ipſo ſomniemus, aut horrendis viſis triſtibusque umbris inquietemur; quam potius, ut corruptos aliquot & obſcuros ejusdem locos, vigilantes emendemus atque illuſtremus.

Unus igitur eorum inprimis ſequens eſt, Lib IV. Cap. 58. pag. 234. ubi de diverſis animalium tam manſuetorum, quam ferorum, moribus tractatur. Verba ipſa hæc ſunt: Τὰ μὲν ἂν ἥμερα ζῶα, ἀγαθὸν ἔχειν, καὶ ἐῤῥωμένα

μένα ὁρᾷν, καὶ κρατέμενα ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν, καὶ ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν καὶ τῶν θηρίων. Τὰ δὲ ἄγρια καὶ ἀποθνήσκοντα καὶ μὴ χειρέμενα ὑφ' ἡμῶν, ἀγαθὰ ἂν εἴη, καὶ κρατέμενα ὑπὸ τῶν ἡμετέρων καὶ συντρόφων ἡμῶν ζώων. ὑπὸ δὲ τῶν ἐχθρῶν κρατέμενα, ἢ ὑπέρτερα τῶν ὁρώντων γινόμενα. κ. λ. Quæ ita quidem vulgo vertuntur: *Manſueta igitur animalia habere bonum eſt, itemque ſana videre, & a nobis ipſis teneri, & ab inimicis, & a feris. Verum agreſtia, etiam morientia, & non capta a nobis, bona fuerint, item ſi a noſtris & familiaribus nobis animalibus teneantur. Si vero ab hoſtibus teneantur, aut ſuperiora videntibus fiant &c. ſiniſtra ſcilicet omnia.*

Verum falſum omnino eſt ex Artemidori quidem mente, aut amentia potius, quod bonum ſit, manſueta animalia nobis familiaria, ab inimicis aut feris ſubacta & capta, videre, ut ex antecedentibus clare patet. Deinde verba, ὑπὸ τῶν ἡμετέρων καὶ συντρόφων ἡμῶν ζώων, & tavtologa ſunt, & non ſatis græca, dicendum enim potius erat ἡμῖν ζώων, quemadmodum ſic fere Philo Jud. Lib. de Abrahamo, pag. 291. ἀπὸ τῶν συμφύτων ἡμῖν θρεμμάτων, ut alia nunc taceam, res enim nota. Tertio denique verba, ὑπέρτερα τῶν ὁρώντων γινόμενα, obſcura valde atque ſenſu commodo plane deſtituta videntur. Quare totum hunc locum ita legendum & interpretandum cenſeo: Τὰ μὲν ἐν ἡμέρα ζῶα, ἀγαθὸν ἔχειν, καὶ ἐῤῥωμένα ὁρᾷν, καὶ κρατέμενα ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν, ἐχ (vel καὶ μὴ) ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν καὶ τῶν θηρίων.

ρίων. Τὰ δὲ ἄγρια καὶ ἀποθνήσκοντα, καὶ μὴ χειρούμενα ὑφ' ἡμῶν, ἀγαθὰ ἂν εἴη, καὶ κρατούμενα ὑπὸ τῶν ἡμέρων, vel ἡμερωτέρων καὶ συντρόφων ἡμῖν ζώων. Ὑπὸ δὲ τῶν ἐχθρῶν κρατούμενα, ἢ ὑπέρτερα τῶν ἡμερούντων γινόμενα. (ita ἠπίων καὶ ἡμερωτέρων θηρίων, pariter dixit apud Euſebium Conſtantinus imperator in Orat. ad Sanctorum Cœtum, Cap. XVII. pag. 591. Sed hæc obiter,) hoc eſt ex noſtra quidem verſione: *Manſueta igitur animalia & habere & ſana validaque videre, item a nobis ipſis teneri, non vero ab inimicis feriſque, bonum eſt. Agreſtia vero & ferocia, etiam morientia, & non ſubacta a nobis, bona fuerint, inprimis ſi a manſuetis nobiſque familiaribus animalibus teneantur; ab hoſtibus vero ſubacta, aut manſuetis animalibus ſuperiora facta, mali quid portendunt.* Hanc veram hujus loci eſſe ſententiam, ſicque fere ſcripſiſſe Artemidorum, audacter aſſereremus, niſi nos incertas conjecturas ſcribere, opportune recordaremur. Nihil vero, quod mirum, monuit hic Nic. Rigaltius, Vir alioqui acutiſſimus & perſpicaciſſimus, ut nec de altero loco, æque depravato, ut videtur, ad quem nunc bona cum Lectoris venia, tranſitum facimus.

Legitur is Lib. V, 8. pag. 254. his quidem verbis: ἔδοξέ τις ἐν Νεμέᾳ ἀγωνίζεσθαι ἀνδρῶν πάλην, καὶ νικᾶν, καὶ στεφανοῦσθαι. ἔτυχε δὲ δίκη οὖσα περὶ ἀγροῦ, ἐν ᾧ παμμέγεθες ἦν ἕλος. Hoc eſt: *Viſus eſt ſibi quis, in Nemea virorum luctam decertare, & vincere, & coronari. Lis erat ipſi de agro, in quo maxima inerat palus.*

Hæc

Hæc ſane ineptiſſima & obſcuriſſima jure videntur, quid enim *maxima illa palus* huc faciat & quamnam emphaſin aut ſenſum ſaltim, hic habeat, prorſus neſcio.

Quare vix dubitem, quin ſcribendum fuerit, ἐν ᾧ παμμέγεϑες ἦν σέλινον, *in quo agro ingens apii copia erat.* Probabilem vero hanc noſtram eſſe conjecturam, ſequentia verba mox clare, niſi fallor, evincunt: Καὶ δὴ ἐνίκησε τῷ τȣ̃ εἴδȣς λόγῳ, διὰ τὸ σελίνῳ τῷ ἐν Νεμέᾳ τȣ̀ς νικῶντας ςεφανȣ̃σϑαι; *& ſane victor evaſit juxta viſionis rationem, propterea quod victores in Nemea apio coronantur.* Nullus enim prorſus horum, & antecedentium, verborum, nexus, niſi quid de apio præceſſiſſe, ſupponamus, quod omnium optime & commodiſſime in voce ἕλος, latere potuiſſe, mihi, ut jam dixi, veriſimillimum videtur. Nihil tamen arroganter pronuncio.

Verum claudamus jam hoc Caput unico adhuc Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ loco, cujus Jambos Oneirocriticos Artemidoro ceu comites, adjecit Rigaltius.

Ita autem ille pag. 18. Ῥαφὴ πρὸς οἶκον φαρμάκων δηλοῖ δόσιν, (vel πόσιν,) hoc eſt: *Sutura in domo venenorum propinationem indicat.* Sed quid hoc monſtri, ῥαφὴ πρὸς οἶκον; *ſutura in domo?* Quare legendum potius cenſeo: Ῥαμφὴ πρὸς οἶνον, h.e. *gladius vino adjectus*, ſeu *appoſitus*, *venenorum propinationem indicat*, quod longe aptiorem & commodiorem ſenſum efficit, ſcite enim Venenum cum acuto gladio comparari poſſe, nemo dubitaverit.

verit. Ita Philippus Galtherus, poëta pro ſuo ſæculo ſatis elegans & diſertus, Lib. X. Alexandreidos:

Forſitan & Gladium, gladio crudelius omni,
Vitaſſet, fato ſibi diſponente Venenum.

Quamvis in his obſcuris & fatuis nugis nihil certi affirmare licet. Ῥαμφὴ autem Heſychio teſte, eſt κοπὶς ἢ μάχαιρα. Sed hæc jam ſufficiant, ὀ γὰρ μεμαθήκαμεν ὀνειροπολεῖν.

Caput XXV.

Seneca Philoſophus contra Juſt. Lipſii ſententiam, bis emendatus.

Apud Senecam de Conſolat. ad Marc. Cap. X. hæc leguntur: *Alios ignibus peruret fortuna, vel in pœnam admotis, vel in remedium.* Hic Codices Veteres, teſte Lipſio, habent, *vel in certa nudos*, ſine ullo ſenſu. Unde idem Lipſius formabat, *vel in certamen*, quod minus placet, quia & durum & obſcurum. Quare malim ego: *vel in incerta ſalutis*, hoc nimirum ſenſu: ignes vel in pœnam hominibus admoventur, vel in remedium aut ſalutem, quum uruntur nempe candente ferro a Medicis, quæ tamen ipſa ſalus incerta admodum atque dubia eſt, quia ſæpius illa violenta medicina non præſtat auxilium; ſed auget potius malum & dolores magis intendit. *In incerta* vero *ſalutis*, pro *in incertam ſalutem*, eadem elegantia dixiſſe videtur Seneca, qua Tacitus dixit, *incerta noctis*, pro *incer-*

incertam noctem, Lib.I. Hiſt. c.26. & *præliorum incerta*, pro *incerta prælia*, Lib.II. Hiſt. c.77. item *incerta maris & tempeſtatum*, Lib. III. Annal. c.54. ut alia taceam frequentius apud eum hunc in modum obvia. Sic & *incerta belli*, dixit Juſtinus, Lib. XXXVIII, c.1. & *incerta caſuum*, Livius, Lib.XXX, c.30. vid. Bernegger. & alios ad dictum Juſtini locum, & Buchner. de commutata Rat. Dic. Lib. I, cap.7. inprimis autem innumera fere de hac Enallage callegit Vechnerus in Hellenolex. Lib. I. Part. II. c.9. p.200. ſeqq. ubi vid. in Not. Cl. Heuſingerus, copioſè, add. quoque Barnab. Briſſonii Parerg. pag. m. 407. Sed altius tetriusque omnino ulcus hic latere videtur, verba enim illa, *vel in certa nudos*, ſcribarum errore, male huc traducta ſunt ex ſequentibus: *alios per incerta nudos maria jactabit*. Hinc meliores pleni oresque Libri hic jure ſunt expectandi, & nihil temere ſtatuendum.

Sed immanius fœdiusque adhuc mendum latet in ſequenti Cap. XX. quod primo quidem intuitu non ſtatim in oculos incurrit. Verba enim hæc ſunt: *Contra injurias vitæ, beneficium mortis habeo*. Aſt longe aliter hæc in Libris Vett. concepta ſunt. Quidam enim exhibent: *Coram te jura vitæ beneficio*, alii vero, *Coram te jura beneficio*, aut *vitæ beneficio*, unde Lipſio placebat ſcribere: *Contante*, vel *morante vita, beneficio mortis abeo*, non male profecto, ſic enim mox infra, Cap. XXV. *Scipiones Catonesque utique contemtores vitæ & mortis beneficio liberi*, quomodo & alibi ſæpius loquitur, ut & Plinius. Sed fortior tamen, atrocior & rigi-

do Stoico longe dignior ſententia exitura eſt, ubi mecum ad ductum priſcarum litterarum legeris: *Coram te jura vitæ & necis*, expunctis reliquis vocibus male inculcatis, niſi ſervatis iisdem, legere malis: *Coram te jura vitæ & necis. Ab eo cogita, quantum boni opportuna mors habeat.* Quaſi dicat, Vita Tua æque ac Mors Tua ſola in Tua manu & poteſtate eſt poſita, Tui ſolius arbitrii res erit, vivere velis, an mori, quia inſtrumenta & adminicula ad mortem promovendam & accelerandam, Coram te ſemper ſunt, immo in te, & penes te, verbo, *quum in manu mors ſit*, ut loquitur Noſter, Epiſt. LI. vel *fati modus in dextra ſit*, ut Silius Italicus ait, Lib. I. de Bell. Pun. Sed adhuc diſertius copioſiusque iterum Noſter infra, Lib. de Providentia, Cap. ult. ex ore quidem Dei, ſed ſtoici, id eſt duri, inclementis & abominandi, qui locus etſi impius, hunc tamen noſtrum egregia luce perfundit: *In proximo Mors eſt, Non certum ad hos ictus deſtinavi locum: quacunque pervium eſt. Sive fauces nodus eliſit; ſive ſpiramentum aqua præcluſit; ſive in Caput lapſos ſubjacentis ſoli duritia comminuit; ſive hauſtus ignis curſum animæ remeantis interſcidit, quidquid eſt, properat. Ecquid erubeſcitis? quod tam cito fit, timetis diu.* Huc & illa e Lib. III. de Ira, Cap. 15. *Quocunque reſpexeris, ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum? illac ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare? illud flumen? illum puteum? Libertas illic in imo ſedet. Vides illam arborem, brevem, retorridam, infelicem? Pendet inde Liber-*

bertas. Vides jugulum tuum? guttur tuum? Cor tuum? effugia ſervitutis ſunt. Quæris, quod ſit ad Libertatem iter? quælibet in corpore tuo vena. Conf. & Epiſt. LXX. &c. Omitto enim plura in hunc ſenſum innumeris fere locis apud Noſtrum occurrentia ſtudio & Conſilio, quia impia ſunt, deteſtanda & ſceleroſa; interim hæc producta elegantius fuſiusque explicant, quod brevius hic dixerat Seneca, *Coram te jura vitæ & necis.*

Quæ ipſa verba ſub perſona deſperaturi Oedipodæ, profert Auctor Thebaidos Tragœdiæ, qui forte ipſe noſter Seneca, ut quidam cenſent, certe Stoicus eſt, v. 103.

- - - *jus vitæ ac necis*
Meæ penes me eſt.

Scilicet eodem prorſus, ac hic, ſenſu & efficacia. Ita & Seneca pater Lib. II. Controverſ. II. *Cui patri vitæ mortisque arbitrium datum eſt*, quin & ipſe Noſter Lib. III. de Benef. cap. 23. *Vitæ necisque poteſtatem habuiſſet.* Jus vero vitæ ac necis, eadem hic dixit elegantia Seneca, qua Plinius, Lib. XXIX, Cap. 1. malum & clamoſum medicum *imperatorem vitæ noſtræ necisque*, appellaverat. Ita & *necis vitæque licentia*, dixit Salluſtius in Fragment. Lib. I. Hiſt. & iterum in acerba declamatione in Ciceronem, ut vulgo quidem creditur: *Omnium noſtræ vitæ necisque poteſtatem ad te unum revocaveras*, quomodo & Julius Cæſar loquutus Lib. VI. de Bell. Gall. cap. 19. & alibi, item Lactantius plurimis locis. *Quos penes poteſtas boni, necisque foret & vitæ meæ*, Plautus dixit in Trinum-

nummo, ſi modo vera ſuſpicio Deſ. Heraldi, ita conjicientis in Adverſar. Lib. II, cap. 7. Tandem & Seneca in Thyeſte, 608.

- - quibus Rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ.

Sed ſileo longe plura, quis enim quæſo, hæc neſciat? quare hæc jam ſufficiant.

Caput XXVI.

Arriani Locus corruptus facilius feliciusque emendatus, ac Jo. quidem Clericus & Jac. Gronovius eundem correxerant. Ἄελλα, *Græcis, & Turbo ac Procella, Latinis, eleganter de homine acri, promto, inquieto & turbulento. Vox* ἄελλα, *Origine Phœnicia aut Hebræa. Dubius quidam Horapollonis Locus illuſtratus & confirmatus.*

ARrianus Lib. VI. de Expedit. Alexandri, p. 132. Edit. Henr. Stephani, Nicol. vero Blancardi, pag. 403. de inaudita Alexandri temeritate, ſic loquitur: Ὑπὸ μένους τε τοῦ ἐν ταῖς μάχαις, καὶ τοῦ ἔρωτος τῆς δόξης, καθαπερεὶ ἄλλης τινὸς, ἐξηττώμενος, οὐ καρτερὸς ἦν ἀπέχεσθαι τῶν κινδύνων, h. e. *Fortitudini in præliis & amori gloriæ, tanquam alii cuidam, temperare neſcius, non poterat abſtinere a periculis.* Hic omnia clara & concinna, præter iſta, ἄλλης τινός, *alii cuidam*, quæ quin corrupta ſint, negari nequit, quia omnis bonus & ſanus ſenſus hic exſulat, nihil enim ſignificat illud ἄλλης τινός, & prorſus hic alienum eſt.

Quare hæc probe perſpiciens celeberrimus &

& laborioſiſſimus Jo. Clericus, legere hic malebat, *καθαπερεὶ ὁλκῆς τινὸς*, *quemadmodum attractioni cuidam violentæ*. Ὁλκὴ enim teſte Heſychio, idem eſt, ac δύναμις, ῥοπὴ, ἰσχὺς, βάρος, κ. λ. vide aliquid de hac voce apud Thom. Guidott. in Notis ad Theophilum de Urinis, pag. 177.

Quæ Clerici conjectura licet & elegans, & acuta, & loco admodum conveniens jure videatur; vehementer tamen diſplicuit poſtremo Arriani Editori, Jac. Gronovio, qui ex Suidæ Lexico, voce, Ἀλέξανδρος, ὁ Φιλίππου, κ. λ. (adde Dionem in Lexico MS. Bibl. Coislin. Montfauconi, pag. 496.) potiſſimum oſtendere voluit, legendum eſſe in hoc Arriani loco, *οἱ ἄλλης τινὸς ἡδονῆς ἡττώμενοι*; at perquam exigua omnino probabilitate, aut ſuavi lepore, ac ſenſu ſatis commodo, ut ipſe Clericus pluribus demonſtrat in Art. Crit. Part. III. Sect. I, Cap. IV. pag. 46. & inprimis C. Verarius Phillellen, in ejusdem Clerici Bibliotheca Selecta, Vol. IX.

Verum licet hæc Cl. Clerici emendatio Gronovii conjecturæ multis paraſangis jure ſit præferenda; alia tamen & ni fallor, facilior mihi ſubnata eſt ſuſpicio, qua locus male affectus commodiſſime ſanari poſſe videtur. Leviſſima ſcilicet mutatione legerim ego: *καθαπερεὶ ἀέλλης τινός*, h. e. *tanquam turbine & violenta procella*, ſenſu ſane liquidiſſimo & appoſitiſſimo. Nempe abreptus hic narratur Alexander a flagrantiſſima bellandi cupiditate & inſano gloriæ amore, tanquam a violentiſſimo quodam tur-

turbine & furioſiſſima procella. Ita ſimilem prorſus in modum Cointus Smyrnæus de acerrimo duorum exercituum conflictu, Lib. VIII, 59. ſqq.

Ὡς δ᾽ ὅτε κύματα μακρὰ δύο κλονέουσιν ἀῆται,
σμερδαλέον βρομέοντες ἀνὰ πλατὺ χεῦμα θαλάσσης
ὁπππόθεν ἀλλήλοισι περιῤῥηγνύντες ἀέλλας.

Et Lib. IV, 553. de perniciſſimis equis:

Ἴκελοι ἢ βορέαο μέγα πνείοντος ἀέλλαις.

Sic & Lib. I, 353. Pentheſileam eleganter vocat

λαίλαπι κυανέῃ ἐναλίγκιον.
Atro turbini ſimilem.

& Lib. V, 364. Ajax

- - ἤιε λαίλαπι ἶσος σμερδαλέῃ.
- - *ibat turbini ſimilis Horrifico.*

ut alia iſtiusmodi plura & apud hunc & alios poëtas crebro occurrentia nunc taceam. Inprimis cum nonnulla legi poſſint apud maximum Bochartum, in Hierozoic. Part. I. Lib. II, cap. 9. pag. 161. Huc & Theophylactus Simocatta in Hiſt. Mauric. Lib. III, cap. 11. pag. 167. ὁ τοῦ περσικοῦ βασιλεὺς λαίλαπος δίκην ἐς Δάρας γεγονώς.

Quemadmodum ſic pariter de Antonio, Florus, Lib. IV, cap. 3. *Si non collega quondam fax & turbo ſequentis ſæculi ſuperfuiſſet* Antonius: item Cicero pro Sext. Cap. XI. *duo reipublicæ turbines*, adde inprimis ejusdem pro domo ſua Cap. 53. *Tu procella patriæ, turbo ac tempeſtas pacis*

pacis atque otii, quæ etiam jam ab aliis notata. Ita & Seneca de Hippolyto fugitivo, v. 733.

Fugit inſanæ ſimilis procellæ,
Ocyor, nubes glomerante Coro. &c.

Græce diceres:

Φεύγει λυσσώσῃ ἴκελος ἀέλλῃ.

Sed frequentius inprimis hac comparatione & bella ſimilitudine utitur Silius Italicus. Ita Lib. III. de Bell. Pun.

- - - *non ulla, nec unquam*
Sævior it trucibus tempeſtas acta procellis.

Et Lib. X. init. de Paullo ſummo belli duce, non ſummæ felicitatis:

- - - *velocius inde*
Hæmonio Borea, pennaque citatior ibat.

Item & Lib. XVI. de forti quodam & acri Ibero:

- - - *ceu monte procella*
Cum ſubita ex alto ruit. &c.

Immo de hoc ipſo Alexandro Philippus Galtherus, inferioris potius ævi, quam ingenii poëta, qui penes nos nitide deſcriptus latet, parem in modum Lib. IX. Alexandreidos:

Ocior ergo Notis, Indos extremaque Mundi
Climata ſubjiciens, populos Regesque pererrat.

Sed omitto talia plura & apud illum poëtam, & alios Vates, item & Hiſtoricos, crebro hunc in ſenſum occurrentia. Ita & ſimilem fere in ſententiam de Macrone dixit Philo Jud. Lib. contra Flacc. pag. 749. αὐτὸν ἐκδιαιτώμενον καὶ ἀχαλίνοις ταῖς ὁρμαῖς ἐφ' ἃ ἂν τύχῃ, χρώ-

χρώμενον, niſi hic melius legendum φερόμενον, quomodo Dionyſius Hal. Lib. VIII. pag. 516. φερόμενος ὑπὸ τῶν παθῶν, & alibi ſæpe.

Hæc igitur lectio, nempe ἀέλλης, pro ἄλλης, quin huic loco conveniat unice, vix ullum credo futurum, qui negare auſit: Nam & ſenſus elegantiſſimus ex ea emergit, ut vides, & priſca litterarum veſtigia ſancte præterea cuſtodiuntur, & minimum immutantur. Quid enim quæſo facilius, quam ἄλλης, mutare in ἀέλλης, nempe unica ſaltim adjecta littera? quum e contrario in Clerici emendatione ſuperius propoſita, plures invertantur & in alienum ductum flectantur, nam magna omnino eſt differentia inter τὸ ἄλλης, & ὁλκῆς; quum nulla contra prorſus, aut ſaltim perquam exigua, deprehendatur inter τὸ ἄλλης, & ἀέλλης, ut quivis audit, qui aures tantum mediocres nec nimis acutas, huc attulit.

Ceterum græcum ἀέλλη, derivandum eſſe a Phœnicio עיול, *Aol*, pro עלעיל, *Alol*, *procella*, *tempeſtas*, *turbo*, unde & *Aeoli* nomen, pluribus oſtendit divinus Bochartus, in Chan. I, 33. pag. 594. & Part. II. cap. 7. pag. 728. aliique poſt ipſum. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Sicuti & illud, quod ex Horapollinis Hieroglyphicor. Lib. I, cap. 3. pace Lectorum, his obiter nunc adjicere liceat. Verba hæc ſunt ipſa: ἐνιαυτὸν δὲ βουλόμενοι δηλῶσαι, Ἶσιν, τουτέστι γυναῖκα, ζωγραφοῦσι, *Annum demonſtrare volentes, Iſin, hoc eſt mulierem, pingunt.* Nempe Ἶσις, in his eſt ipſum Hebræorum אישה

Iſchah,

Iſchab, ſive *Iſa*, *Mulier*, *Femina*, *Vira*, ut notum. Sic plane & ſolide confirmatur ambigua Cl. Viri ſuſpicio, qui Horapollinem noviſſime recenſuit. Ita & Lib. eodem, cap. 38. vox Ægypt. Σβῶ, hoc eſt πλήρης τροφή, *plenum Alimentum*, appoſite reſpondet Hebr. שבע *Sba* ſeu *Sbo*, *Saturitas*, a verbo שבע *Sabah*, *Satiari*. Sed hæc obiter, ut varietas nempe delectet. Transeamus jam ad alia.

CAPUT XXVII.

Cato bis, Varro vero ſexies, emendati, poſt recentiſſimam eamque diligentiſſimam, Scriptorum Rei Ruſt. Editionem.

CAto de Re Ruſt. Cap. LXXXIX. ubi de farciendis gallinis atque anſeribus tractat, hæc monet de potu: *Meridie bibere dato, nec plus aqua ſita ſiet horam unam*. Quæ quin mendoſa ſint, dubio caret, inprimis quum diverſa ſit Codicum lectio, quidam enim obſervante Cel. Geſnero, *aquas*, exhibent, alii, *aqua ita*, & alii denique *aquam ante ſinat*, *quam horam*. Unde vera forſan lectio fuerit hæc: *Nec plus aquas ſitiat* vel *ſitiant*, *horam unam*, ſenſu niſi vehementer fallor, egregio prorſus & luculento.

Ibidem Capı CLVII. de laudibus ſive potius ἀποθεώσει braſſicæ, ſi ita nempe per jocum dicere liceat, hæc leguntur: *Sed quæ vocantur ſeptem bona in commixturam, natura omnia hæc habet braſſica*. Et hæc valde depravata & corrupta eſſe cum Lectionis varietas, tum Cll. Virorum, Victorii, Urſini, Meurſii, Popmæ, & Geſneri adnotationes manifeſto teſtantur &

confirmant. Fuit ergo, quum legerem: *Sed quæ vagantur ſeptem bona inconmixta, natura omnia hæc habet braſſica.* Hoc nimirum ſenſu: Nullum remedium hæc ſeptem bona in ſe ſimul continet, ſed ſine mixtura, diſperſa potius ea vagantur; ſola vero braſſica omnia hæc bona conjunctim complectitur. Senſu admodum facili & perſpicuo. Quod ſi tamen juſto audacior Lectori viſa fuerit hæc noſtra conjectura, eam potius ſequatur velim, quam Celeb. Geſnerus hic propoſuit, utpote blandam, mollem, facilem, & ut ipſe vere ait, haud immodeſtam. Nos interim tranſeamus ſi lubet tamen, ad Varronem.

Is igitur Lib. I. de Re Ruſt. cap. 41. ita ſcripſit: *De bis* primis *quatuor generibus ſeminum.* Hic male intruſum videtur illud *primis*, quare delendum cenſent docti commentatores. Mihi tamen potius legendum hic videtur; *De bis privis*, hoc eſt de his ſingulis quatuor ſeminum generibus. *Veteres enim priva dicebant, quæ nos ſingula dicimus*, inquit Gellius, Lib. X. Noct. Att. cap. 20. conſentientibus Feſto, Nonio & aliis. Vid. inprimis Giſanii Index in Lucret. voce *Privus*, & Scaliger ad Manil. p. 105. &c. Poſſet & hic *inprimis*, legi, ſed illud *privis*, magis placet.

Porro eodem Lib. I. de Re Ruſt. cap. 47. hæc monet de herbis noxiis & injuſſis graminibus, ut ſummus poëtarum ait, cito elidendis & evellendis, ne teneris ſurculis ſuccum & incrementum ſubducant; *Dum teneræ ſunt, vellendæ, prius enim aridæ factæ, rixantur, & celerius rumpuntur, quam ſequuntur.* Hic vero illud

illud *aridæ factæ*; aridum omnino, frigidum & inficetum eſſe, quum contra omnem ſenſum ſit, manifeſto colligitur ex doctiſſima obſervatione huic loco ſubjecta. Quidam igitur *adultæ*, vel *adoleſfactæ*, legerunt; ſatis ingenioſe. Mihi interim legendum videtur, *prius enim validæ factæ*, *rixantur*. &c. Quæ ſane conjectura propoſitis haud multo deterior. Ita enim fere Ovidius de Remed. Amor. 83. ſqq.

Nam mora dat vires; teneras mora percoquit uvas,
Et validas *ſegetes, quod fuit herba, facit.*
Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
Tum poterat manibus ſumma tellure revelli. &c.

Sed hæc Lectoris Critici arbitrio merito permittuntur. Nos jam ad alia properamus.

Lib. II, cap. 1. pag. 236. Hæc leguntur: *Ni Medici adventus nos interrupiſſet.* Sed hoc *interrupiſſet*, a mala utique manu huc irrupit. In Vetuſtis enim Libris legitur potius, *intrediiſſet*, quod Urſinus mutabat in *impediſſet*, facili quidem & obvia conjectura; ſed neutiquam neceſſaria. *Intrediiſſet* enim hic ἀρχαϊκῶς idem omnino eſt, ac *intretiiſſet*, vel *intretiſſet*. Ita *Aliut* pro *Aliud* ſcripſit Cato, cap. 2. & *Inquid*, pro *inquit*, ipſe noſter Varro, infra Lib. II. cap. 5. & *Illut* pro *Illud*, Lib. III. cap. 5. Sic *Rediculum*, pro *Reticulum*, & *Reliquid*, pro *Reliquit*; aliaque id genus plura, quæ obſervavit Paſſeratius, Lib. de Litterarum permutatione,

p. 41. ſeqq. ubi & loci hujus Varron. opportune meminit.

Sed locus profecto mendoſiſſimus, & qui plurimum torſit eruditos Commentatores, ſequens eſt, e Lib. II, Cap. 4. *Sed quis e portu poſt Italico prodit.* Quare divinus heros, Joſ. Scaliger, emendabat, *ſed quis Epirota poſt ita ilico prodit;* Cel. vero Geſnerus malebat legere: *Quis e porculatoribus Italicis prodit.* Neuter me hercule, male, aut minus ingenioſe. Interim & mihi liceat meam conjecturam proferre, quam ita quondam utinam auſpicato! conceperam: *Sed quis expertus poſt iſta, alia prodit.* Nempe ad tractationem de ſuillo pecore, progreditur jam Auctor, ut mox ex ſequentibus patet, unde non plane ineptum hoc videtur Capitis initium, ut a nobis modo conſtitutum, aut reſtitutum.

Non minore vero difficultate premitur locus, Lib. III, cap. 16. pag. 368. ubi de cura apum, & ſolertia in alveariis rite collocandis, tractatur. En verba ipſa, prout vulgo circumferuntur: *Procerum eſſe oportet aëre temperato, neque æſtate fervido, neque hieme non aprico.* Hic vero nemo non deprehendit primo mox intuitu, hoc *procerum* ineptum prorſus eſſe & nullum plane ſenſum commodum inferre, hincque manifeſtum, illudque enorme, mendum prodere. Quod ut emaculemus, legendum cenſemus facili opera, *Porro Cælum*, quæ ſane lectio nec a priſcis litteris multum abludit, nec ſenſui hujus loci inconveniens eſt, ut ex tota contextus ſerie clariſſime patet. Unde forſan

haud

haud minorem applauſum promeritura fuerit, quam illud *protelum*, quod hic Joſ. Scaliger ſubſtituere malebat, majore profecto cum ingenio, quam veriſimilitudine, ut nobis certe videtur.

Tandem in fine operis hæc leguntur: *Opinionis noſtræ ſermonem de paſtione villatica ſummatim hunc, quem expoſui, habeto.* Hic vero legendum potius duco: *O Pinni noſter!* quem ſcilicet alloquutus fuerat ab initio Libri hujus Tertii, vel lege locum integrum: *O Pinni noſter! ſermone de paſtione villatica ſummatim hoc, quem expoſui, habito. Opinionis* enim *ſermonem*, quod vulgo legitur, vix Latine dici putem. Sed & *o Pinni*, hic in fine, in V. C. legi, obſervavit Urſinus, unde conjectura magis adhuc confirmatur.

Sed ſatis jam de Catone atque Varrone. Longe plures quidem obſervationes & emendationes in omnes Rei Ruſticæ Scriptores nobis in promtu erant: Verum quum copioſiores ſint, quam ut juſtum ſpatium hic invenire poſſint, eas in aliud tempus differre, & ſingulari forſan Libello complecti cogimur, ſi hic interim guſtus haud plane diſplicuerit.

CAPUT XXVIII.

Heſychius Locis quam plurimis emendatus & illuſtratus. Heraclides Ponticus ſemel tentatus Focus, *vox Græca. Nonnulla alia Etymologica. interjecta.*

JAm vero, quidquid adhuc ſupereſt ſpatii, id omne impendamus, ſi lubet, Emendationibus Heſychianis. Nullum enim ad nos pervenit Lexicon Græcum doctius, aut Philologis utilius; ſimul autem, quod merito dolendum, corruptius, aut turpibus mendis deformius. Sed quid juvat veteres renovare querelas? Potius ad rem ipſam accedamus.

Igitur, pag. 34. hæc vulgo leguntur: Αἰγινητικὰ ἔργα, τοὺς συμβεβηκότας ἀνδριάντας.] Hic τὸ συμβεβηκότας, Guietus exponit per τοὺς τυχόντας, haud ſatis perſpicue & concinne. Legendum enim forte, τοὺς συμπεφυκότας, hoc eſt *ſtatuas concretas* quaſi, nec divaricatis cruribus diſtinctas, quales ſcilicet faciebant ante Dædalum, antiqui Sculptores, uti hic obſervant Salmaſius & Palmerius, add. Suidas, in Δαιδάλου ποιήματα, & quæ copioſe hac de re Eraſmus, Chil. II. Cent. III. Prov. 62. pag. 490. Vid. huc Pauſanias, in Phocicis, pag. 333. ubi de Statua arietis Æginetici mentio facta, cui haud erant κέρατα διεστηκότα, ἀλλὰ ἐς εὐθὺ παρὰ τὰ ὦτα ἐληλιγμένα, ſi modo hic locus huc nonnihil ſpectare videatur. Συμβεβηκὸς tamen idem eſſe, ac Συμπεφυκὸς, oſtendit Thom. Reineſius Lib. III. Var. Lect. cap. 5. pag. 417. ideo nihil forte in Heſychio hic mutandum. Pag.

Pag. 54. Ἀκροπόσθια, τὰ ἄκρα τοῦ αἰδοίου, διὰ τὸ παρὰ τὸ ἄκρον πείρεσθαι τὰ κρέα.] Hic τὸ πείρεσθαι vox omnino nihili eſt, quam proinde in κείρεσθαι, *tondere*, mutabat Guietus, & alius Vir doctus in Anecdot. Græc. Wolf: Tom. IV. pag. 192. in πείκεσθαι, quod idem eſt, conjectura ſane haud degeneri. Forſan tamen nonnihil melius adhuc legendum fuerit, πηροῦσθαι, h. e. *mutilari*, *detruncari* & *parte ſui aliqua privari*, ut notum.

Pag. 57. Ἀλάβη, λιγνύς, σποδὸς, καρκίνος κυπρίων, μαρίλη.] Male huc irrepſiſſe videtur καρκίνος, ſive *cancer*, quin ipſum hunc locum fœdo quaſi carcinomate infectum fuiſſe, jure ſuſpicor. Licet enim forſan hic legi poſſet, Καρκῖνος κυπρίῳ, ita ut celebris poeta Tragicus intelligeretur, cujus aliquoties meminere Athenæus, Stobæus, Photius, Suidas, Euſtathius, immo & Ariſtoteles & Ariſtophanes in pace, ubi vid. Scholiaſt. aliique plures, conf. & Mauſſaci Notas ad Harpocrationem, pag. 29. quia tamen Carcinum hunc Tragœdiam κυπρίῳ nomine inſignitam, ſcripſiſſe, ſola hac, eaque perquam exigua & ambigua, Heſychii auctoritate, nititur, uti teſtatur ὁ πάνυ Fabricius, in Bibl. Græc. Lib. II. Cap. 19. pag. 672. ubi & plura de hoc Carcino; ideo lubricæ huic conjecturæ parum ſubeſſe fidei ac fundamenti, merito arbitror; quod & vidit vir quidam doctus, qui pro καρκίνος, malebat quondam legere, ἀνθρακίνος, non improbabili quidem conjectura, ut ex ſeqq. patet, modo preſſior paullo convenientia eſſet καρκί-

νος, inter atque ἀνθρακίνος. Interim tamen hæc ipſa conjectura longe modeſtior eſt alterâ viri docti, in Anecdotis Græcis Wolfianis Tom. IV. pag. 193. legentis: Ἀλάβη, ἰχθὺς ποιὸς, κορακῖνος, κιτρῖνος. Ἀλάβη, μαρίλη ἀπ' ἀνθρακος. Quæ etſi perquam ingenioſa ſunt, & ſe ipſa Strabonis auctoritate, Lib. XVII. pag. 950. aliquo modo tueri queant; tanta tamen licentia in vulgata Heſychii verba graſſantur, ut vix admitti, aut aſſenſum ullum impetrare poſſint, uti quivis per ſe facile perſpicit. Proponam igitur jam Lectorum pace, aliam conjecturam, audaculam fateor, ac licentioſiorem; veri tamen, niſi fallor, ſimilem & ſatis probabilem, ut ex infra dicendis luculentius apparebit.

Scilicet legendum hic reor: Ἀλάβη, λιγνὺς, σποδὸς, κάμινος, καὶ πυρεῖον, μαρίλη, ita ut vox Ἀλάβη, *fuliginem*, *cinerem*, *carbonem*, *furnum ipſum* atque ignitabulum aut batillum, verbo, omnem ignis & foci apparatum una ſignificet; ita enim mox, Ἀλάβη, ἄνθρακες, & Ἀλαβῶδες, ἀνθρακῶδες, κεκαπνισμένον. Quo & ſequens Heſychii Locus potiſſimum faceret, modo per turpiſſimum mendum ita eſſet comparatus, ut ab ullo ſatis bene intelligi poſſet. En tibi ipſa illa verba perquam corrupta: Ἀλάβαςρον, φωκάδιον, ἢ κάννιον. Sed faciamus jam, ut locus depoſitus fere, nunc ab omnibus ſpero, commode intelligi, & conjecturæ noſtræ ſuperius propoſitæ apprime confirmandæ & ſtabiliendæ optime inſervire poſſit. Legendum nimirum ſuſpicor,

ſpicor, facillima ſane mutatione. Ἀλάβαστρον, vel Ἀλάβηστρον, aut ut aliis placet, Ἀλάβωστρον, Φωκάδιον, ἢ καμίνιον, h. e. *foculus, parvus caminus*, aut *fornacula*. Καμίνιον nempe diminutivum eſt, ut notum, ἀπὸ τῦ καμίνυ. Ita Scholiaſtes ad Ariſtophanis Pacem, p. 661, Ἰπνὸς, ὃ ἡμεῖς καμίνιον καλῦμεν, quomodo & alibi ſæpius: Confer Octav. Ferrarii Elector. Lib. I, cap. 9. ſeqq. ubi multa de Fornacibus & Fornaculis, ſive καμίνοις καὶ καμινίοις. Atque ſic nunc omnia aptiſſime & belliſſime, opinor, cohærent, & unus locus alteri lucem fœneratur uberrimam & liquidiſſimam. Ἀλάβη enim κάμινος ſeu *Caminus major* eſt, & Ἀλάβαστρον, καμίνιον, ſive *Caminus parvus* & *fornacula*: quid clarius nunc obſecro, aut ad confirmandam noſtram conjecturam accommodatius, aut validius? inprimis quum ipſe noſter Heſychius propoſitam hactenus conjecturam egregie prorſus confirmat infra, pag. 601, Λιγνὺς, ἡ τῦ λύχνυ ἀτμὶς, καπνὸς, κάμινος, Φλόξ, ex quibus quippe liquido apparet, τὸ λιγνὺς idem ſæpe eſſe ac τὸ κάμινος: Ἀλάβη igitur ſupra fuit idem ac λιγνύς; λιγνὺς vero κάμινος, ut vidimus, erat, ergo ἀλάβη, λιγνὺς & κάμινος ſunt ſynonyma, de quo nemo forſan dubitaverit. Sed ipſi rogo, judicent hic æqui & eruditi Lectores, num forſan nimis nobis blanditi fuerimus, aut verum potius feliciter indagaverimus & in publica commoda bona fide divulgaverimus: Poſſet quidem, ut ad noſtrum locum revertar, etiam ſatis concinne legi pro καμίνιον, κάπνιον,

πνιον, *fumarium*, aut *parvus fumus*, quod occurrit apud Ariſtophanem in Veſpis, niſi fallor, ubi vid. Scholiaſt. & alibi, quod huc ideo apprime facere videtur, quoniam modo præceſſit, Ἀλαβῶδες, κεκαπνισμένος, ut ſupra obſervabamus; Poſſet & non minore probabilitate emendari κάνειον, κανεῖον, κανίον, aut κάνεον, quod *ollulam* aut *ollæ operculum* ſignificat apud Hippocratem noſtrum, Lib. I. de Morb. Mul. pag. 596. qua de voce vid. Fœſius in Oeconomia Hippocrat. pag. 185.

Verum, ut ingenue fatear, magis mihi omnino placet τὸ καμίνιον, ideo vel maxime, quod modo præceſſit, φωκάδιον, *foculus*, quod utique diminutivum videtur a latino *Focus*, quod ipſum potius a φώγειν, quod eſt φρύγειν, apud noſtrum, deducendum videtur, quam, ut vulgo fit, a *fovere*, unde & φῶγος, ſive φῶγες, φωῖδες, τὰ ὑπὸ πυρὸς ἐν σώματι γινόμενα ἐκφυσήματα, οἱ δὲ τὰς φλυκταίνας, quod infra apud Noſtrum, occurrit, quomodo nempe locum iſtum legendum exiſtimamus, rejecta tamen merito Hadr. Junii ſuſpicione, qui τὸ φῶγος, perperam mutabat in φῶδες, præter ullam neceſſitatem. Hoc enim φῶγος utique eſt a Bithynorum φώγω, aut vulgari φωγύνω, (de quo vid. Suidas & alii Lexicographi,) *torreo*, *uro*, unde φωχθεὶς *toſtus*, *uſtus*, & inde Latinorum *Focus*, ut ſupra dixi, & Græcum, ſive Græco latinum noſtrum φωκάδιον, ſive φωγάδιον, *foculus*, qualia innumera fere apud noſtrum Heſychium ubivis obvia ſunt, ut nos

ſupra

ſupra Lib. II, cap. 7. pag. 88. obiter obſervavimus, quibus addenda omnino ea, quæ larga manu ſubminiſtrarunt Viri præſtantiſſimi Meurſius & Cangius in ſuis Gloſſariis Græcis, ut alia Vetera Gloſſaria græcolatina jam taceam, ab illuſtriſſimo & omni humana laude ſuperiore Montfauconio in Bibliotheca Coisliniana ingenti litterarum commodo, publicata. Res enim vulgo notiſſima. Verum ſatis jam de his. Ex quibus nunc liquido, opinor, apparebit, nos in primo Heſychii loco non adeo male, pro *καρκίνος*, legiſſe *κάμινος*, nec pejus in altero, pro *καννίον*, leviſſima certe mutatione, *καμίνιον*. Quæ ut Lectoribus etiam placeant, ſerio optamus, quod placere aliquo modo poſſint, haud penitus adhuc deſperamus.

Pag. eadem 57. Ἀλαζονεύεσθαι, ψεύδεσθαι, ἢ αἰσχύνεσθαι,] Forte hic legendum, λεχήνεσθαι, aut λεχηνεύεσθαι, de quo Noſter infra in λέχαι. Vel lege potius faciliore opera, μὴ αἰσχύνεσθαι. Qua de re vid. Scholiaſtes ad Ariſtophanis Nubes, pag. 129. item Suidas, & Theophraſti Characteres ethici, Cap. XXIV, ibique Iſ. Caſaubonus, ut alios taceam.

Ibidem. Ἀλαλημένος, πλανώμενος, ἢ ἀναγεγραμμένος.] Non ſatis profecto liquet, quid hic ſibi velit illud *ἀναγεγραμμένος*, inprimis quum nihil prorſus faciat ad præcedens ſynonymum *πλανώμενος*. Legendum ergo ſuſpicor *ἀνακεκραμμένος*, *permixtus*, *vagus*, *confuſus*, quod ſane ſatis amice conſpirat cum τῷ *πλανώμενος*, inprimis quum crebra ſit con-

fuſio

fuſio inter τὸ ἀναγεγραμμένον, & ἀνακέκραμμένον, ut ſupra modo, illuſtri Hippocratis exemplo, perſpicue admodum, ni fallor, probavimus Lib. III, cap. 25. pag. 256. Poſſet quidem etiam commode legi, ἀνεςραμμένος, vel ἀνεσπαρμένος, ſenſu utrinque perquam appoſito; magis tamen probabile & concinnum illud videtur ἀνακεκραμμένος, ut vel ipſe, ſpero, fatebitur ingenuus Lector. Conf. Suidas in Ἀλάλημαι, quod ſcite explicat per τεθορύβημαι, unde noſtra conjectura confirmatur.

Pag. 64. Ἀλλοφασεῖν, ἑτεροχρονεῖν.] Utrumque hoc vitioſum, atque ſic emendandum eſſe, nempe Ἀλλοφάσσειν, ἑτεροφρονεῖν, recte jam viderunt viri magni, Stephanus, Salmaſius, Guietus, Fœſius in Oeconomia, pag. 20. & alii. Eſt enim proprie vox Hippocratica, vel Medica, quæ de ægrotis morbi acuti violentia, turbatis & aliena hinc atque incondita loquentibus, ſcite adhibetur. Hinc Galenus in Gloſſis Hipp. Ἀλλοφάσσοντες, παραπαίοντες, παραφρονοῦντες, unde conjectura virorum ſupra laudatorum egregie confirmatur; ſimile fere occurrit etiam apud Erotianum, ubi tamen pro vulgatis, τὸ ἀλλοφάσσειν, καὶ ἀλλοφωνεῖν, legendum potius videtur, ἄλλο φρονεῖν, ſive ἀλλοφρονεῖν, ut Hippocrates noſter ſæpius loquitur, qua de re vid. Fœſius in laudata modo Oeconomia: ſed ita emendandum eſſe Erotianum, recte jam vidit magnus Bartholomæus Euſtachius, in Not. p. 7. b.

Ἀλλοφάσσειν autem Latinis pariter eſt *Aliena loqui.* Ita ipſe Ovidius de ſe ægrotante, Lib. III, Triſt. Eleg. 3. v. 19. *Quin*

Quin etiam ſic me dicunt aliena loquutum,
Ut foret amenti nomen in ore tuum.

Item & Ulpianus JCtus, l. 4. §. 1. ff. de ædil. Edict. *Si propter febrem loquantur aliena.* Omitto jam alia apud Celſum, Cæl. Aurelianum & alios paſſim obvia, ne extra oleas nimium evagari, aut ipſe aliena loqui dicar, ut commune tenet proverbium.

Pag. 113. Ἀοιδὸς, ᾠδὸς, κιθαρῳδὸς, καὶ ὁ ποιητὴς, καὶ ὁ θρηνῳδὸς, ὁ Εὐνοῦχος ποδῶν.] Mendum hic in ultima voce ποδῶν, quod hinc diverſis modis emendandum duxere Heinſius, Palmerius, Sopingius aliique, ceu videre eſt in ſubjecta Obſervatione, add. Anecdot. Græc. Wolfian. Tom. IV. pag. 214. Sed nullus horum, me quidem judice, Auctoris ſenſum ſatis fuit adſequutus: Quare legendum mihi potius videtur, ὁ Εὐνοῦχος ᾠδῶν, *Evnuchus cantans*, ſcilicet vocabatur Ἀοιδὸς, ita mox in antecedentibus, Ἀοιδάων, ᾠδῶν, φωνῶν. Nempe non quivis Evnuchus Cantor ſive Muſicus vocabatur; ſed is tantum, qui voce tenera & arguta polleret, & ſcite canere didiciſſet, quod hodieque fieri ſolet præſertim in Italia, ut notum. Confirmant autem hanc noſtram conjecturam antecedentia apud Noſtrum: Ἀοιδοὶ, περιβοητοὶ, Εὐνοῦχοι, ubi forſan legendum περὶ βοὴν vel φωνὴν ἀγαθοὶ, ſed nihil certi hic affirmo, pro more noſtro, adeo ut ἀοιδός hic nunc idem ſit, ac Εὐνοῦχος ᾠδῶν. Sed vide ipſum Heinſium, Exercit. Sacr. c. V. p. 286. & Caſp. Barth. Adverſarior. L. XLII. Cap. 26.

Cap. 26. pag. 1918. ut alios plures jam præteream.

Pag. 120. Ἀπεσφακέλισεν, ἐσάπη· οἱ δὲ ἰατροὶ τὴν ἐκ τῆς ὄψεως μελανίαν.] Et viſum & mentem hic turbat mendum illud ὄψεως, quod hinc mutandum utique videtur, in σήψεως, ita ut nunc ſenſus planus & commodus ſit, οἱ ἰατροὶ τὴν ἐκ τῆς σήψεως μελανίαν; (ſcilicet σφάκελον λέγουσι, quod recte ſupplendum hic cenſet Sopingius,) hoc eſt, *Medici ex putredine obortam nigredinem vocant Sphacelum.* Σφάκελος enim & Σφακελισμὸς eſt ἡ τῶν ὀστέων σῆψις, aut ἡ σῆψις τοῦ μυελοῦ, ut legitur apud Suidam: qua de re accuratius tractant Medici & Chirurgi; eſt enim notiſſima.

Pag. 176. Βάβακα, τὸν γάμον.] Inepte hic τὸν γάμον poſitum eſt, nec ullum ſenſum idoneum infert. Quare legere malebat Salmaſius, τὸν μάταιον, ex Etymologico magno, haud male quidem. Malim tamen, pace ipſius, ego, τὸν λάλον. Ipſe Noſter mox: Βάβαξ, μάταιος, λάλος, φλύαρος, quomodo & Suidas habet, qui videri debet. Recte vero nos conjeciſſe, probat inter alia Lexicon Græc. ineditum optimæ Notæ, apud Rev. Montfaucon. in Bibl. Coislin. Part. II. cap. 6. pag. 499. ubi hæc ipſa verba: Βάβαξ, ὁ λάλος, ὁ φλύαρος, παρὰ τὸ βάζω. κ. λ. vid. & ſeqq. pag. 500. Λάλος vero & γάμος facilius, me quidem judice, confundi inter ſe potuerunt, quam vulgatum μάταιος & γάμος, in quibus, ut apparet, perquam exigua eſt convenientia. Forſan tamen haud incommode & legi hic poſ-

ſet,

ſet, *μάργον*, ita enim Noſter infra, Μάργος, μαινόμενος, ὑβριστής, qualia & apud Suidam, Lexicographum ineditum apud illuſtr. Montfauconum, Bibl. Coiſlin. pag. 461. & alios leguntur, ita & Iſidorus Peluſiota, Epiſt. 384. Lib. I. pag. 134. μαργὸς, ὁ μεμηνώς. Quod ipſum convenire non nihil videtur cum Hebræo מרדה *Marab*, aut *Marach*, *Turbulentus fuit*; *Rebellavit*, *Exacerbatus* & *contumax fuit*; &c. Sed hæc obiter.

Ceterum vocem βάβαξ probabiliter derivandam cenſent Eruditi ab Hebr. בלל ſive quod idem בלבל, *Babel*, vel *Balbel*; unde & Latinorum *Balbus*, *Balbile* & *Balbutio*, nec non Gallorum *Babiller*, *Babil* & *Babillard*; commode deduci poſſe videatur, qua de re vid. Hug. Grotius in Comment. ad Geneſ. XI. inprimis autem maximus quondam Vir Stephan. Morinus, in doctiſſimo Libro, de Lingua primæva, Cap. XIII. pag. 140. item Bochartus, Druſius & alii, conf. & Anecdot. Græc. Wolfian. Tom. IV. pag. 140. quibus adde, ſi parva tamen componere magnis hic liceat, quæ olim nosmet ipſi adnotavimus ad Grotii Chriſtum patientem, Tragœdiam, pag. 280. Sed hæc quidem hactenus.

Pag. 179. Βάλανοι, δρύες, φήμην.] Poſtremum omnino eſt monſtrum, nec φήμη dignum. Legendum hinc mihi videtur; δρύες, φηγοί. Sic Noſter infra ſuo loco: φήγινος, δρύϊνος, φηγὸς, ἡ δρῦς. Vides igitur ſynonyma eſſe φυγοὶ καὶ δρύες: Ita enim verbi cauſſa, Arcades

des olim & βαλανηφάγοι appellabantur, & φηγοφάγοι, ſeu φηγὸν ἔδοντες, ut eſt apud Apollon. Rhod. Lib. IV. Argon. vid. Rigalt. ad Artemidori Oniroctit. pag. 52. ſed res nota. Quare probabilis noſtra videtur Conjectura. Clariſſimus quidem & græce doctiſſimus Arnaldus, in Lect. Græc. Lib. I. Cap. 5. pag. 28. legere hic malebat δρύος φῦμα; ſatis ingenioſe; ita enim Lexicon græcum ineditum in Bibliotheca Coislin. illuſtriſſimi Montfauconi, pag. 458. Βάλανον, τὸν τῆς δρυὸς καρπὸν, unde non leve pondus clariſſimi viri conjecturæ adjicitur; addebat tamen ipſe, *ſed ἐπέχω.* Sapientiſſime profecto & modeſtiſſime, ut eos nempe decet, qui conjecturas ſcribunt, de quibus nihil certi ſtatuunt, ſed omnia potius timide & dubie pronunciant Viri elegantes & cordati, ridentque placide aliorum ſuperciliosorum Criticorum rigida & Manliana fere imperia, quibus ſua inſomnia & deliramenta aliis prudentioribus ſævo cum joco obtrudere conantur, quaſi vero homines non eſſent, qui errare poſſent. Immo potius, quia homines plerumque non ſunt, ſeſe errare poſſe prorſus neſciunt.

Sed nolo hic eadem chorda iterum oberrare, quam tetigimus jam ſupra in præfatione, & infra iterum paſſim tangemus, quamvis non ſatis dici poſſit, quod non ſatis diſci poteſt, aut non ſatis diſci potius ſolet. Redeamus jam in orbitam & ad Heſychium noſtrum revertamur.

Pag.

Pag. 201. Βρίζω, κηδεύω.] Mallem κατευνάω, vel χαμευνῶ, aut καθεύδω, ut in antecedentibus, βρίζει, καθεύδει, quod & placuiſſe video Rev. Alberti in Periculo Crit. Cap. XVIII. pag. 71. Ceterum de hoc verbo βρίζω, vide, quæ docte obſervavit magnus Caſaubonus, in Exercitat. Anti Baron. I. 9. pag. 57.

Pag. 223. Γραμματίας, περιεσπασμένους.] Legendum quondam hic ſuſpicabatur Sopingius, πεπαιδευμένους, aut περιεσπασμένους περὶ τὰ γράμματα, haud prorſus male. Mihi tamen legendum potius videtur, περιγεγυμνασμένους, aut περιεσπουδασμένους, & hoc poſtremum mihi hic præ altero magis placet. Judicet autem ipſe eruditus Lector.

Pag. 229. Δαιμόνιον, Θεῖον μόρσιμον.] Lege hic Θεῖον ἢ μόρσιμον, aut diſtingue potius Θεῖον, μόρσιμον, facili opera. Nam δαιμόνιον aut *divinum* quid, aut *fatale* ſignificat ſtilo Veterum. Ita δαιμόνιον καὶ τύχην apte conjungit Epictetus apud Arrianum. Quo de loco ut & ipſa hac re vid. magni Cudworthi Syſtem. Intellect. Cap. IV. pag. 302. Editionis maximi Moshemii, cui viro ſive potius Dæmonio alicui litterarum ſacrarum & profanarum tutelari aſſurgunt merito Eruditi hodie omnes, quos nec dira eminendi libido, nec tetra invidia, aliusve inſanabilis ægræ mentis morbus transverſos egit. Verum hic in immenſas Viri Illuſtris laudes liberius excurrendi anguſtum nimis & circumſcriptum ſpatium. Hinc ſilere præſtat; quam pauca parcaque aut humilia prorſus imprudenter effundere. Ceterum de voce δαι-

μόνιον, vid. & Cl. Dav. Millii Diſſert. Select. IV. pag. 101. ſeqq.

Pag. 282. Ἐγκεντρωθέντες, ἀσφαλισθέντες.] Suſpectum mihi non nihil hoc ultimum eſt; quare forſan ſcribendum σφραγισθέντες, *notati*, *compuncti*, quaſi *obſignati*. In antecedentibus enim occurrit, ἐγκεντρίοις, οἱ ἵπποι κεντρίζονται, ubi legendum potius, οἷς οἱ ἵπποι κεντρίζονται, ut & jam vidit Vir doctus ad Pollucem, quod poſtea deprehendimus. Poſſet tamen & legi ὀβελισθέντες, aut, quod magis placet, ἐλαθέντες, ſive ἀπελαθέντες, *pulſi*, *agitati*, ſenſu, ſi quid recte videam, optimo. Quia tamen Suidas pariter habet, ἐγκεντρωθεὶς, ἀσφαλισθεὶς; dubito adhuc nonnihil, an aliquid in Heſychio mutari proinde debeat. Nam licet mihi, ut ingenue fatear, ratio non ſatis conſtet, quomodo ἐγκεντρωθεὶς, idem eſſe poſſit, ac ἀσφαλισθεὶς, ideo tamen minime ſequitur, depravatum eſſe Heſychium, vid. & Lexicon Græcum ineditum apud illuſt. Montfaucon. Biblioth. Coiſlin. Part. II, cap. 6. p. 471.

Pag. 311. Ἐλεφηρέα, ἢ βάψαν, ἢ βλέφαρα.] Hæc ſane corruptiſſima videntur. Legendum ego quidem crediderim: Ἐλεφηρέα, ἢ βλάψαντα, ἢ βλαβερά. Mox enim Noſter, Ἐλεφηράμενος, βλάψας, διαψευσάμενος, & in antecedentibus, ἐλεφαίροντα, ἐξαπατῶντα, βλάπτοντα, & ἐλεφαιρεῖται, βλάπτει, ἀδικεῖ. Suidas pariter, ἐλεφῆραι, βλάψαι, ut & Scholiaſtes Homeri, & alii plures. Videtur autem, ut hoc in tranſitu, more meo moneam, videtur inquam, hæc vox non male convenire cum

cum Hebræo, חלף *Halaph*, h.e. *Mutavit*, *innovatus fuit*, item *Exſcidit*, *Concidit*, *Exſtirpavit*, ut Lexica bene notant. Certe uterque verbi ſignificatus, & ipſe ejusdem ſonus, litterarumque convenientia ad hunc noſtrum Heſychii locum non inſcite facere videntur, quod tamen me doctioribus dijudicandum merito relinquo.

Pag. 312. Ἐλιννύειν, χολάζειν, λήγειν, ὀκνεῖν, ϛρατεύεσθαι, ἢ διατρίβειν.] Vox utique mendoſa hic τὸ ϛρατεύεσθαι, hinc Vir doctus legebat ϛαθμεύεσθαι: Sed verior omnino Lectio eſt ϛραγγεύεσθαι. Noſter ipſe infra, Στραγγεύεται, διατρίβει, & mox Στραγγεύομαι, διατρίβω, ibi enim æque, ac hic, vitioſe ſcriptum, ϛρατεύομαι, ut recte obſervat Sopingius cum aliis. Huc & Suidas: Ἐλιννεύειν, ϛραγγεύειν. Plura de hoc verbo notavit Salmaſius, Lib. de Fœnore Trapezit. pag. 778. Petav. ad Themiſt. pag. 557. inprimis Caſaub. ad Athen. p. 586. & 875. ubi & perpetuam hanc confuſionem inter ϛραγγεύεσθαι, & ϛρατεύεσθαι, ſcite obſervat.

Pag. 316. Ἔμβρυον, νεογνὸν βρέφος, τὸ ἐν γαστρὶ γυναικὸς ὄν, διάπλασμα, ἢ ὀλίγον.] Quid illud ἢ ὀλίγον, hic valeat, difficile ſane dictu; & videtur profecto re ipſa ὀλίγον, immo οὐδὲν ὅλως huc facere.

Quare legendum quondam ſuſpicabar, διάπλασμα ὑπόγυον; Noſter enim ſic infra: ὑπόγυον, τὸ πρὸ ὀλίγου γεγονός. Sed forte adhuc rectius ſcribendum fuerit, διάπλασμα, νεολιγὸν, vel νεογιλὸν. Nam ſic Noſter infra

ſuo loco; Νεογιλὸν, νεογνὸν; νεὸν; & Νεολιγὸν, νεογνὸν, quod quidem Gujetus etiam mutabat in Νεογιλὸν. Sed ſine urgenti neceſſitate, aut venuſtate; ut mihi certe videtur; niſi Lectori potius placuerit aliud. Forte & in noſtro Heſychio ſequentia; Ἔμβαχον, Ἔμβρυον, ad hunc noſtrum locum præſentem trahenda & cum eodem connectenda fuerint; ut fere probabile ſit, quia iſta verba extra ſuam ſeriem leguntur, ſicuti apparet. Sed nihil ego in his ſalebris certi definire auſim, inprimis quum ipſa illa verba Ἔμβαχον, Ἔμβρυον; mihi non ſatis ſana & integra videantur; quare præſtat ἐπέχειν, licet alioqui facile legi hic poſſet, ἔμψυχον, aut ἔμβραχυ, aut denique ἐμβραχεῖ; de quibus vid. Suidas; ut alia ejusmodi Commenta nunc ſtudio taceam. Niſi quis legere potius malit: Ἔμβακχον, ἔμβριον, h. e. θεῖον, ut ipſe in antecedentibus explicuit Heſychius, quæ ſane conjectura haud improbabilis videtur.

Pag. 337. Ἐξαμβλέβει, διαφθείρει, ἐγκυμονεῖ.] Vitioſa hæc ſunt, ac ut ſic dicam, abortiva, quæ fauſta Lucina utique opus habent; tot enim fere hic vitia, quot verba. Gronovius ergo prius mendum ἐξαμβλέβει, bene emendavit per ἐξαμβλίσκει: Reliquit vero adhuc turpius in altera voce ἐγκυμονεῖ. Si enim τὸ ἐξαμβλίσκει, ſignificat *abortum facit*, ſeu διαφθείρει, ut re vera ſignificat; quomodo quæſo, eadem vox idem eſſe poteſt, ac *fœtum in utero geſtat?* quod proprie eſt ἐγκυμονεῖ, ut omnibus, credo, notum. Quid multa? totus

tus locus mihi fere in hunc modum legendus videtur; ἐξαμβλίσκει, vel ἐξαμβλοῖ, διαφθείρει, ἢ ἐγκυμονεῖ, vel ἐγκυμουμένη, hoc eſt, *fœtum immaturum effundit*, *quæ gravida fuit*, vel *quæ ventrem tulit*; ſenſu liquido & perſpicuo.

Confirmat inſuper hanc noſtram conjecturam Heſychius ipſe ſupra: ἀμβλίσκει, ἐξαμβλοῖ, ἐκτιτρώσκει, ἀμβλώσσειν, ὠμοτοκεῖν, ἀμβλωθρίδια, τὰ ἐξημβλωμένα, ἔμβρυα, ut recte hic legunt Salmaſius, Palmerius, Sopingius & alii. Ita, quod huc facit, ἢ ἐξημβλοῦτο τὰ ἔμβρυα, ἢ κατὰ τοὺς τόκους διεφθείρετο, dixit in hunc ſenſum Dionyſius Halicarn. Lib. I. pag. 19. ut alia plura jam mittam, res enim nota. De voce ceterum διαφθείρειν, pro *perdere fœtum immaturum*, Hippocrati in Libris de Morbis Mulierum frequentius uſurpata, plura erudite, pro more nempe ſuo, collegit Dietericus, in Jatreo Hippocratico, voce διαφθείρω, pag. 361. ſeqq. quem vide, ſi lubet, ut & Foëſ. in Oeconomia Hippocratis, pag. 99. ut Gorræum alioſque jam taceam.

Pag. 345. Ἐπαυγίζων, ἐπικαταυγίζων, τουτέστι ἀποσπίστων.] Legendum hic videtur, ἐπισπίστων, vel ἀπορρίπτων, ſed prius magis placet: vid. antecedentia.

Pag. 348. Ἐπαχθεῖς, ἐπίπονοι, ἀληθεῖς.] Malim potius, ἀθληταὶ, aut ἄθλιοι. Sed & ἐπαχθεῖς ſive graves eſſe ſolent qui libere nimis veritatem dicunt. Inde adhuc de Lectione deliberandum.

Pag. 351. Ἐπακολουθεῖ, συνεπάγεται, πρέπει.] Forte haud ſatis πρέπον hic illud πρέπει, atque hinc melius niſi fallor, mutandum in περιέπει aut παρέπει, ſive potius παρέπεται, ἐπακολουθεῖν enim idem eſſe ac ἕπειν ſive ἐφέπειν, nemo doctorum neſcit. Ita Noſter infra, pag. 407. ἐψέαι, ἐπακολουθήσεις, ἕψατο, ἠκολούθησεν, & ἕψεται, ἀκολουθήσει. Omitto alia plura.

Pag. 352. Ἔπεμψεν, ἐπραΰνθη.] Hæc ipſa vocis ἔπεμψεν, explicatio docere videtur, ſcribendum potius leviſſima quidem mutatione, eſſe, ἔπεψεν, nempe ἀπὸ τοῦ πέπτειν, ut notum. Confirmat hanc noſtram conjecturam ipſe Heſychius infra, pag. 761. Πέψαι, ἑψῆσαι, ἡδῦναι κατασκευάσαι, ἢ πραΰναι, ubi pariter, ut vides, πέψαι, & πραΰναι, pro ſynonymis ſumuntur, uti hic quoque factum.

Pag. eadem, ἐπηλύγαιον, ἐπιφανὲς, σκοτεινόν.] Contraria hæc ſunt, ut recte notat Stephanus; nec poteſt ſane una eademque vox & clarum & obſcurum, aut atrum & album ſimul ſignificare. Quare hic legendum οὐκ ἐπιφανὲς, aut ἀφανὲς, σκοτεινόν. Mox namque Noſter, ἐπηλυγίζονται, ἐπισκιάζονται, (ſic enim legendum,) ἐπικρύπτονται: & infra pag. 421. adhuc clarius: ἠλυγὴ, σκιὰ, καὶ ἐπηλυγισμὸς, ἐπισκιασμὸς, σκότος, item ἠλυγισμένος, κεκρυμμένος, ἐπεσκιασμένος, ἠλυγὴ γὰρ ἡ σκία καὶ τὸ σκότος. Vid. & infra, voce λιγαίαν, & Timæi Lexicon Platonicum ineditum, apud Illuſtriſſ. Montfaucon. Biblioth. Coislin. Part. II. cap. 6. pag. 479. item aliud ibidem, pag. 491.

voce

voce ἐπηλυγάζειν, ἐπισκοτάζειν, ἐπισκιάζειν. κ. λ. Eadem quoque habes apud Suidam & alios.

Pag. 359. Ἐπίκωμος, ὁ ἐπάδων τῇ φυλῇ, ἢ ἀπὸ οἴνε ᾄδων.] Legendum hic mihi omnino videtur, ὁ ἐπάδων τῇ πύλῃ, hoc eſt, *qui ante januam excluſus canit miſer amator*, ſive, *qui Chryſidis udas Ebrius ante fores extincta cum face cantat*, ut Perſius canit, Sat. V. Nempe παρακλαυσίθυρον, vel ut ipſe Heſychius alibi ſcribit, κρεσίθυρον, intelligit, de quo Plutarchus in Erotico, & inprimis Caſaubonus ad dictam Perſii Satyram V. pag. 181. item ad Comaſten Theocriti, ut & Dan. Heinſius, ad idem Idyllium, pag. 316. nec non Petr. Moll, in doctiſſimis Annotationibus, ad Longi Paſtoral. pag. 120. & Sam. Petitus, Miſcellan. Lib. VI, Cap. 1. pag. 105. inprimis autem Viri Celeberrimi Lamb. Bos, Alberti, Elſnerus, Wolfius & alii plures ad Epiſt. ad Roman. XIII, 13. quarumque Cantilenarum laſcivarum nocturnarum ſæpius meminere Poëtæ, Ovidius, Tibullus, Horatius, Lucretius, Plautus & alii, quorum loca producemus alibi, nempe ad Hippocratis divinam illam Epiſtolam ad Damagetum, pag. 925.

Sed emendatus hic Heſychii locus alium nobis in memoriam revocat, infra pag. 578. occurrentem, pariter corruptiſſimum & monſtroſo mendo deturpatum. Verba ipſa hæc ſunt:

Κῶμος, εἶδος ὀρχήσεως ποιμένος τινός, ἢ μέννητινός.] Multa quidem hic Faber, Meur-

ſius & Heinſius, Viri doctiſſimi, excogitarunt, quæ vero parum aut nihil juvant Heſychium. Violenta quoque eſt emendatio acutiſſimi alias Florentis Chriſtiani, in Notis MSStis apud ſumme Rev. & Celeberrimum Wolfium, in Anecdotis Græcis, Tom. IV. pag. 260. legentis, μεθυςικὸς ἀυλὸς, ne minima quidem, ut apparet, probabilitate, licet Iſidorus Peluſiota, Epiſt. 456. Lib. I. pag. 156. Κῶμον deſcribat per μεθυςικὸν αὐλὸν, quod & apud Chryſoſtomum, Baſilium & alios ſæpe occurrit. Nobis contra legendum hic videtur, εἶδος ὀρχήσεως ποιμένος τινός ἱμειρόεντος, aut ἱμείροντος, vel adhuc probabilius ſcribendum, ἢ ὕμνος, vel νόμος, quod idem, ἐρατεινὸς, aut *carmen amatorium*, antecedit enim ipſo in contextu: Κῶμοι, ἀσελγῆ ἄσματα πορνικά. Conf. Suidas, in Κωμαςὴς, & alibi. Immo paullo adhuc certius mihi legendum videtur: εἶδος ὀρχήσεως ἐρωμένου τινός, ἢ ἐρωμένης τινός, cujus Emendationis Auctor eſt Scholiaſtes ad Ariſtophanis Theſmophoriaz. pag. 772. quem & Vide ad Nubes, pag. 162. & ad pacem, pag. 708. &c. Ceterum Κῶμος Caſaubonus rectius a verbo Hebr. קום *kum*, *ſurrexit*, deduxiſſe videtur, quam Voſſius & alii, a כמוש, *Chemos*, *Chamos*. vid. hac de re plura apud Crauſerum, in Phoſphoro Græcarum vocum Novi Teſt. pag. 232.

Pag. 392. Ἐυνέμους, ἐυωδίνους, καλοὺς ἔχει μαςοὺς.] Corruptiſſima hæcce ita in melius refingenda ſunt e Suidæ Lexico: Ἐυνέμους, ἐυδινοὺς, καλοὺς, ἐυχειμάςους.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 403. Ἐφήμερον, τὸ Κώνειον,] Obſcura hæc, immo perquam incerta videntur: *Conium* enim ſive *Cicuta*, venenatiſſima planta, non eſt ephemeron, ſeu quæ per unum tantum diem vigeat vireatque. Quare ſuſpicabar aliquando, legendum potius eſſe, ἀνεμώνιον, ſive μηκώνιον. Verum re melius expenſa, nihil mihi mutandum videtur: quin potius Cicutam eo ſenſu ἐφήμερον bene dici poſſe crediderim, quod intra unius diēi decurſum hominem violento ſuo veneno occidere poſſit, ut notum eſt. Excidiſſe ergo videtur hic vox δηλητήριον, quam optime in ſuo Lexico addidit Suidas, adeo ut nunc plenius legendum hic ſit: Ἐφήμερον δηλητήριον, τὸ Κώνειον, quomodo infra ipſe noſter Heſychius ſcripſit, Κώνειον, δηλητήριον. Tentabo nunc hic locum Heraclidæ Pontici de Polit. pag. 518. Edit. Cragii, ubi de Cois ſive potius Ceis, ante deſtinara fata mortem venenis arceſſentibus ſermo eſt: οἱ μὲν μήκωνι, οἱ δὲ κωνείῳ ἑαυτὰς ἐξάγουσι. Ubi illud μήκωνι, non ſatis aptum mihi videtur ad præcipitanda fata, quare legere mallem μυοκτόνῳ, hoc eſt, *aconito*, teſtibus Nicandro, Theophraſto, Dioſcoride & aliis, vid. Jo. Bod. a Stapel ad Theophr. p. 1136. & Salmaſ. Exercit. Plin. pag. 619. ſqq. apud Strabonem enim atque Stephanum de Urb. de hac ipſa re legitur, ἀκονίζεσθαι, ut recte emendat Kühnius ad Ælian. V. H. Lib. III. cap. 37. Conf. Berkelius, in Notis ad Stephan. Byzant. pag. 421. Salmaſius, Exercit. Plin. pag. 102. Mercurialis, Var. Lect. Lib. III, cap. 4. & Variorum Notæ ad

 Valer.

Valer. Max. Lib. II, cap. 6. pag. 174. Edit. Cl. Torrenii, Jo. Clericus, ad Menandri Fragmenta, pag. 260. aliique plures, qui ſtudio jam tacentur.

Pag. 434. Θαλυκρὸν, - - - Θερμὸν, χλωρὸν,] Lege hic potius, Χλιαρὸν, non χλωρόν. Suidas ſimiliter, θαλυκρὸν, διάπυρον. Ceterum hoc Θαλυκρὸν proximam affinitatem habere videtur cum Hebræo דלק, *Dalak*, *Arſit*, *accenſus fuit*, unde participium דלק, *Dalik*, *ardens*, inde Θαλυκρὸν, ſed hæc obiter.

Pag. 452. Θῦψαι, τυφλῶσαι, καῦσαι,] Legendum videtur, τυφῶσαι, ſequitur enim ceu ſynonymum, τὸ καῦσαι. Illud autem Θῦψαι & τυφῶσαι, ſatis ſcite convenit cum Hebr. תופני *Thuphine* ſeu *Typhine*, *coctiones*, nempe a verbo אפה *Apha*, *coxit*, *uſtulavit*, unde & *Typhoei* immanis gigantis ignem ſpirantis nomen acutiſſime deducit ſummus Bochartus, in Chan. Lib. I. cap. 28. pag. 528. & Cl. Dav. Millius, Diſſ. II. pag. 44. Verum de his hactenus.

Pag. 497. Κασαλβὰς, πόρνη αἰσχροποιὸς, ἀπὸ τῦ καλεῖν, καὶ ὀβεῖν,] Legendum crediderim, ἀπὸ τῦ καλαυνεῖν, vel καλαυρεῖν, hoc eſt, τρυφᾶν, exponente ſupra Heſychio, καὶ σοβεῖν, quod poſterius jam emendavit optime Stephanus & Florens Chriſtian. in Anecdot. Græc. Wolf. pag. 256. Ariſtophanis tamen Scholiaſtes ad Eccleſiazuſ. p. 757. eandem Etymologiam ſequitur, & ex eo Suidas cum aliis. Nihil ergo nimis confidenter hic definio. Lector

ipſe

ipſe potius judicet. Ceterum de ipſa hac voce Κασαλβὰς, vid. Thom. Reineſ. ad Petron. cap. LXI. pag. 308. Edit. Burmann.

Pag. 517. Κελαινὸν, σκοτεινὸν, μέγα,] Videtur legendum, μέλαν.

Pag. 529. Κιναθίζειν, - - μινυρίζειν καὶ κινεῖν.] Legendum hic forte, θρηνεῖν, ſequitur tamen mox, κινάθισμα, κίνημα. Sic infra: μινύρεται, κλαίει, θρηνεῖ, ὀδύρεται, & μινυρομένη, θρηνοῦσα, (Conf. Spanhem. ad Callimach. pag. 59.) item, Μινυρίζει, ὀλίγῃ φωνῇ καὶ οἰκτρᾷ χρῆται, ex probabili Guieti conjectura. Forſan tamen ibi pro ὀλίγῃ, legendum potius fuerit ὀλολυγῇ, de qua voce Noſter infra ſuo loco, & Grotius ad Aratum, ut alios taceam, ibi tamen & apud Heſychium turpe mendum occurrit, quod in tranſitu emaculare decet. Sic enim ibi ridiculo errore legitur: Ὀλολυγὴ ἄνθος τί παρὰ λίμναις, γινόμενον. Sed quid illud ἄνθος, ſeu ille *flos?* Nempe ſcribendum, ἄχος, aut πένθος, mox enim recte legitur, Ὀλολυγμὸς, θρῆνος, κλαυθμὸς. Ceterum ὀλολυγὴ & ὀλολύζειν, optime convenit cum verbis ילל *Jelel*, & יללה *Jelalah*, *Ejulatus*, *Planctus*, nempe a ילל, *Jalal*, vel הילּיל *Helil*, *Ejulavit*, unde & Latinum *Ululare* & *ululatus*, (quod & ex parte obſervavit Becmannus, de Orig. Ling. Lat. p. 703. Voſſius, & alii, vid. & Lud. Cappelli Crit. Sacr. Lib. VI, cap. 9. pag. 428.) & noſtrum *Heulen.* Verum his in præſenti diutius immorari haud licet. Nobis enim jam properandum verbisque inde parcendum. Hoc autem Heſychii mendum,

dum, ſi tamen ſit, etiam in Suida occurrit, immo & apud ipſum Ariſtophanis Scholiaſten, ad Theſmophoriazuſ. pag. 771. & ad Veſpas, p. 444. adeo ut dubius omnino jam hæream, an aliquid hic mutari debeat.

Pag. 537. Κνάμπτει, καταξαίνει, κατίχει,] Legendum forſan, κατιχνεῖ, aut καταχίζει. Sed nihil certi hic ſtatuerim. Forte & legendum κατινίζει. vid. Salmaſ. Exercit. Plin. pag. 282.

Pag. 545. Κομαίθα, ἡ τυχοῦσα γυνή.] Tentabam aliquando, ἡ τριχῶσα γυνὴ, antecedit enim κόμαι, τρίχες. Sed ἐπέχω, inprimis quum κομαιθὼ nomen ſit Pterelai filiæ, apud Apollodor. Biblioth. Lib. II. pag. 80.

Pag. 553. Κοσώλυφος, βόθυνος, ὄχθος, ἀνάστημα γῆς, ἡ σπέρμα.] Tribus modis corruptus eſt hic locus. Primo ſcribendum videtur κοσώλοφος, quod jam recte vidit Sopingius. Deinde legendum pro βόθυνος, potius Θίνος, & denique pro σπέρμα reponendum omnino ἔπαρμα. Ita enim Noſter infra, λόφα, μίχος, τὸ περίπτισμα, καὶ τὸ τῆς γῆς ἔπαρμα, ut acute emendabat Salmaſius. Ceterum vide ſis, quæ nuper de hoc Heſychii loco obſervavimus ad Cælium Aurelianum, p. 171. in Appendice ad Libellum noſtrum de pleuritide.

Pag. 560. Κρυμύει, ῥιγοῖ, πέφυκεν.] Legendum hic πέφρικεν. Mox enim p. 564. occurrit rectius, κρυμυεῖ, ῥιγᾷ, πέφρικε. Idem mendum infra, pag. 761. πεφρυγμένον, τὸ εἰς τὴν χεῖρα φρυσσόμενον, ἡ πεφυγότα, ſcribendum enim & ibi πεφρικότα. Sic & in Lexico Græco ine-

inedito apud Rev. Montfaucon. in Bibliotheca Coislin. p.463. ῥίγησεν, ἔφριξεν, καὶ ῥίγιον, τὸ φρικτὸν καὶ χαλεπόν.

Pag. 561. Κρίνον, τὸ ξηρόν. κ. λ.] Malim ego τὸ λείριον, vel λίριον, utrumque enim rectum. Noſter infra ſuis Locis, λείριον, τὸ ἄνθος, λείρια, κρίνα, ἄνθη, & iterum, λίριον, κρίνον ἄνθος, immo & ſupra, pag. 560. Κρίνα, ἄνθη καλλίπνοα εὐωδιάζοντα.

Pag. 562. Κροκόδειλος, τὴν τύλην.] Quam ob cauſſam hic Crocodilus *callum* aut *cutis duritiem calloſam* ſignificet, haud ſatis liquido conſtat. Forte ex eo petenda denominationis ratio, quod *Crocodilis ſuperior pars corporis dura & impenetrabilis ſit etiam majorum animalium dentibus*, ut Seneca ait Lib. IV. Quæſt. Nat. & aliunde ſatis notum. Verum, quid hoc generatim ad omnem callum aut aliorum animalium τύλην, aut τύλον ſive calloſam duritiem? Fuit ergo aliquando, quum legere hic mallem, Κροκόδειλος, τὴν δείλην, *Crocodilus Veſperam* ſive *ſolis occaſum ſignificat*. Ægyptios enim Veſperam vel ſolis occaſum indicaturos, pinxiſſe olim Crocodilum cernuum ſive inflexum, teſtis eſt in Hieroglyphicis Horapollo, Lib. I, cap. 69. Δείσιν δὲ λέγοντες, κροκόδειλον κεκυφότα ζωγραφοῦσι. Αὐτὸ λοξὸν vel λορδὸν γὰρ καὶ κατωφερὲς τὸ ζῶον, ut depravatum illum locum legendum quidem cenſemus. Vulgo enim Αὐτότοκον, circumfertur, quod largo partu edidit varia doctorum commenta. Ad hunc igitur Ægyptium morem reſpexiſſe hic videtur Heſychius, ſcribendo, τὴν δείλην, ſive δύσιν, quod ſignificatione tantundem

dem valet, ut notum. Noſter ſupra: Δείλη, ὀψία, ἡ περὶ δύσιν ἡλίου. Idem Suidas & alii plures. Poſſet tamen pro vulgato τὴν τύλην, in Heſychio etiam ſatis commode legi, τὴν πόλιν, nempe *Ægyptium Oppidum Crocodilon*, ut Plinius ſcribit, Lib.V, cap. 19. de quo multa Herodotus, Diodorus Sic. Strabo, Stephanus Byz. Euſebius & alii. vid. inprimis Berckel. ad Steph. Byz. pag. 481. & maxime ibidem Luc. Holſten. pag. 175.

Pag. 622. Μαστὸς, ποτήριον, ἢ λίθον, καὶ τὰς Ὕψος ἀνέχοντα χώρας, καὶ μέρεσι μαστούς.] Locus hic ſane contaminatiſſimus, in quo profecto οὐδὲν ὑγιὲς, ut vere pronunciat Palmerius, qui eum emendare tentat; ſed parum feliciter, ſi fateri liceat, quomodo & Caſaubonus, Sopingius & alii, haud meliore fortuna, quemadmodum videre eſt in Notis apud Schrevelium. Mihi ergo pace horum magnorum virorum, legendum potius videtur: Μαστὸς, ποτήριον, ἢ τιτθίον, καὶ τοὺς ὕψος ἀνέχοντας χώρους καὶ μέρη ἐρέουσι μαστούς, vel etiam, τὰ ὕψος ἀνέχοντα χωρία καὶ μέρη ἔχει μαστούς, ſed prius magis placet. Maxime vero probabilem eſſe hanc noſtram conjecturam de mutatione vocis λίθον, in τιτθίον, (ſive στηθίδιον, ſic enim & eodem ſenſu, legi poſſet, placet tamen magis alterum,) patet infra, τιτθίον, inquit Noſter, μαστὸς & ſupra p. 515. in μαζὸς, μαστὸς, ὄχθος, τιτθὸς, ut ibi legendum. Adeo, ut mirer omnino, ſcripſiſſe hic Sopingium, *quid igitur*, *ἢ λίθον? non poſſum ſcire.* Jam igitur forte ſciret melius, ſi viveret. Ceterum de his montium

tium *μαςοῖς*, ſive mammis, multa erudite pro more, commentatur ill. Spanhemius ad Callimach. pag. 358. ſeqq. ut & Cl. Lambert. Bos, in Animadverſ. ad Scriptores quosdam Græcos, cap. XXV. pag. 108. ubi & ipſum Spanhemium laudavit, add. & Euſtath. Swartius, in Analect. Lib. II, cap. 8. pag. 88. Sed de his hactenus.

Pag. 626. Μείλια, μειλίγματα, χαρίσματα, παράγματα,] ubi ultima vox aperte videtur mendoſa: Inde Vir doctus mutabat illam in ἀσπάσματα; Cl. autem Arnaldus in Lect. Græc. p. 94. in παίγματα, neuter ſane male. Mihi tamen legendum potius videtur, ἐπιχάρματα, quæ vox & ſenſum loci bene exprimit, ſi quid videam, & cum priſcis litterarum veſtigiis exactiſſime convenit, ſi aliquanto transpoſitæ fuerint. Frequens ceterum in Heſychio lapſus inter σπ & ἐπι, ita σπέρμα ſcriptum fuiſſe pro ἔπαρμα, modo vidimus ſupra, in voce κοσώλοφος, ut alia plura jam taceam, quæ in promtu ſunt. Sed poſſet etiam ſatis forſan concinne hic legi, ἀπάργματα, h. e. *primitiæ*, *prima munuſcula*. Nihil tamen temere affirmo.

Pag. 628. Μέλιγγας, ὀλοιτόπους, θαλάσσας.] Quid ſit hic illud ὀλοιτόπους, mihi, ut ingenue fatear, haud ſatis liquet. Forſan ſcribendum, ἁλὸς τόπους, aut ἁλίους τόπους, *loca maritima*; ſequitur enim mox θαλάσσας, unde conjectura roboris nonnihil accipit. Nihil tamen audacter nimis adfirmo. Ipſe judicet Lector.

Pag.

Pag. 632. Μεσημβρίῃ, μεταφορικῶς ἐν τῇ ἀκμῇ καὶ μεσότητι τῆς ἡμέρας.] Vitium hic ſubeſſe neceſſe ſane eſt, nulla enim plane eſt metaphora aut tropus in eo, quando μεσημβρίη *meridiem* aut *medium diei* ſignificat, hanc nempe propriam vocis hujus eſſe ſignificationem, quis quæſo neſciat? Ipſe Noſter mox infra: Μεσημβρία, τὸ τῆς ἡμέρας μέσον. Quare aliud ſane hic excogitandum videtur. Nimirum legendum putem, ſi liceat, ἐν τῇ ἀκμῇ τῆς μοίρας, aut potius τῆς εὐημερίας, ut ita ἐν ἀκμῇ τῆς εὐτυχίας, dixit Suidas, voce Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου, & alii, h. e. *in ſummo felicitatis & fauſtæ ſortis puncto*, *curſuque medio*, ut Latini loqui amant, ceu notum. Huc faciat forte nonnihil illud Petronianum, cap. XLVII. *in medio lautitiarum clivo laborare*: ibi enim quædam Editiones exhibent, *divo*, quod duce noſtro Heſychio, facile mutari poſſet, in *die*, ſed rectius eſſe *clivo*, erudite docent & ibi, & ad Ovidium, Viri præſtantiſſimi, Heinſius atque Burmannus. Sic de infauſta contra ſorte dixit Seneca, de Conſolat. ad Marc. cap. XXII. *Iter mortis ingreſſus ſum*, *& jam medium fere teneo.* Quod etſi parum huc ſpectat, adjicere tamen viſum fuit. Verum hæc obiter. Sed aliud hoc melius & aptius quærant & ſubſtituant hic, quos officioſe rogatos velim, feliciores & acutiores Critici.

Pag. 648. Μόρμοι, φόβοι, κοινοί.] Poſterius vitioſum. Salmaſius, Junius, Sopingiusque legebant φόβου aut φόβοι κενοὶ. Perperam omnino, ſi quid recte judicem, quum contrarium potius

tius ſignificare debeat hæc ῥῆσις, ut notum. Alii vero πόνοι hic ſubſtituunt, etiam male. Scribendum utique videtur, φόβοι, δεῖμοι, Noſter ſupra, δεῖμος, φόβος. Niſi quis legere hic malit, φόβοι δεινοὶ, ſequitur enim mox, μορμύρει, δεινοποιεῖ; prius tamen magis placet mihi, forſan & Lectori. Ceterum Μόρμοι exacte conveniunt cum Hebr. מוראים, *Moraim*, *Terrores*, *Timores*, a מורא ſive מורה, *Mora* vel *Morah*, *Terror*, unde Deut. IV, 34. מוראים גדולים, *Moraim gedolim*, *terrores magni*, hoc eſt, φόβοι δεινοὶ, ut noſter exponit Heſychius.

Pag. 641. Μίκαι, λάχανα, ὄμβρια.] Scribendum hic forte ὄσπρια, *legumina*, non ὄβρια, aut ὀβρίκαλα, ut voluit contra Gujetus. Sed judicent peritiores, num forſan legendum potius ſit ὀρόβια, de qua voce Noſter infra.

Pag. 656. Μυχοὶ, αἱ καταδύσεις, -- ἔσχατα καὶ τὰ ποιήματα.] Nihil ſane huc faciunt illa τὰ ποιήματα. Legendum enim liquido apparet, τὰ πύματα, quod idem ac ἔσχατα, ut notum. Ipſe Noſter infra: Πύματον, ἔσχατον, τελευταῖον, & Suidas, πύματος, ἔσχατος, quo ſignificatu ſæpius hæc vox occurrit apud Homerum, Heſiodum, Theocritum & alios. Nemini enim hæc, putem, ignota.

Pag. 661. Νεαροί, νεογνοί, νήπιοι, οἱ νέοι ἀνόητοι καὶ εὐανθεῖς, πρόσφατοι.] Hic illud εὐανθεῖς nec *floridum* ſatis eſt, nec bene olet, vix enim οἱ νεαροί idem eſſe poſſunt, ac εὐανθεῖς. Forſan igitur legendum potius hoc loco fuerit, εὐήθεις. Noſter ſupra, εὐήθης, βλὰξ, χρηστοήθης, ἀνόητος, & paullo ſuperius, εὐήθεια,

μωρία, ἄνοια, & εὐήθως, ἀνοήτως. Idem in Gloſſario Veteri MS. Bibliothecæ Coislin. apud Rev. Montfaucon. Part. II. cap. 6. p. 491. εὐήθης, χρηστοήθης, καὶ ὁ βλὰξ, καὶ ὁ μωρὸς καὶ ἄνες. Ex quibus colligendum eſſe videtur, quod legendum hic probabiliter ſit, εὐήθεις, qua de voce ceterum vid. Cl. Arnaldi Animadverſ. Crit. Cap. IX. pag. 49. ut alios jam taceam, quoniam hæc nota. Hoc autem Νεαροί, ut id obiter hic adjiciam, ſatis ſcite convenit cum Hebr. נערים *Nearim, pueri, ſtulti*, nempe à נער *Naar*, aut *Nahar*, *infans*, *inſipiens*, quo & pertinet omnino noſtrum Vernaculum *Narr*, *ſtultus*, *infans*, & Græcum Νάρη, τυτέςι ἡ ἄφρων, ἡ μωρά, ut noſter Heſychius recte exponit.

Pag. 675. Ξενών, κατάλυμα, ἡ μεγάων λέγων.] Corruptiſſima hæc eſſe, & ipſa verba, & præfixus inprimis infauſtus aſteriſcus ſatis clamant. Sopingius ergo quondam legebat, μέγαλον οἴκημα, & συλλέγον, parum profecto feliciter aut probabiliter, immo ne ſatis quidem græce, ut apparet. Aliam duram Florentis Chriſt. emendationem habes in Anecdot. Græc. Wolfian. Tom. IV. p. 263. Aliam quoque vocis hujus interpretationem vid. apud illuſtr. Montfaucon. in Bibl. Coislin. Part. I. cap. 7. pag. 237. conf. Chriſt. Arnold. ad Val. Catonis Diras, pag. 110. ſeqq. ubi multa pro more ipſius.

Legendum autem potius arbitror, ἡ μέγαρον ξένων, *aut domus & diverſorium pro peregrinis & advenis*, ſenſu, niſi fallor, aptiſſimo. Videatur Noſter ſupra, in μέγαρον, & μεγάροις. Sed de his ipſe arbitretur humaniſſimus Lector. Ceterum hæc vox μέγαρον & τὰ μέγαρα, ma-

gna

gna probabilitate derivanda videtur ab Hebr. מגור, *Magur*, *Commoratio*, *Habitatio*, unde מגורים, ut & jam dudum vidit maximus Bochartus, in Chan. Lib. I, cap. 24. pag. 470. ut & alibi; & ante eum Druſius, & Reineſius, de Ling. Punic. cap. VIII. pag. 31. Sed hæc obiter, pace Lectorum, hic a nobis adjecta ſunto.

Pag. 699. Ὀργὴ, τρόπος, μανία, θυμός.] Forte mendum latet in voce τρόπος, pro qua commode ſatis legi poſſet Κότος. Ita Noſter ſupra, κότος, ὀργὴ, ἔχθρα, & κοτέει, ὀργίζεται, item κοτέοντες, ὀργιζόμενοι. Sed forſan & τρόμος, legendum fuerit. Immo vix videtur aliquid hic mutandum, auctoritate præſertim Suidæ, immo Thucydidis ipſius opportune a Suida ipſo hic laudati; ſed en ipſa utriusque verba: Ὀργὴ, παρὰ Θουκυδίδῃ (Lib. ſcilicet III.) ἀντὶ τοῦ διανοίᾳ, τρόπῳ, σκοπῷ. Inde & putem, in ipſo Heſychio διάνοια, potius legendum eſſe, quam μανία, licet huic lubricæ conjecturæ parum ego ipſe tribuere velim. Limam & judicium hic potius adhibeat ipſe Lector.

Pag. 704. Ὄρυμος, βωμὸς, οἱ δὲ ὄρυμβος.] Hæc miſere depravata & raucum quaſi ſtridorem edunt, quid enim illud ὄρυμβος? ut nihil de voce βωμὸς, jam dicam. Quare legendum etſi timide, arbitror: Ὀρυγμὸς, βρόμος, οἱ δὲ θόρυβος. Senſu ſane clariſſimo: præceſſit enim mox. Ὀρυγμαδὸς, ψόφος, θόρυβος, & ὀρυγμάδες, θόρυβοι. &c. Vid. & Suidas, item Lamb. Bos, in Obſſ. Crit. cap. XLIV. p. 177.

Pag. 724. Παλλομένων, κληρουμένων.] Legendum hic videtur, κινουμένων: Παλλῶν enim

κινῶν, ταράσσων, in antecedenti eſt ῥήσει. Vid. & Scholiaſt. ad Oppian. Lib. II. Halieut. p. 91. aliosque. Mox autem apud Noſtrum, πάλος, κλῆρος, & παλεμένων, κληρεμένων, ut recte legit Gronovius. Confer huc inprimis Lexicon Anecdoton in Bibliotheca Coislin. illuſtriſſ. Montfauconi, Part. II. cap. 6. pag. 462. voce πάλος. Confuſa ergo hic παλλεμένων, & παλεμένων, ut clare a quovis perſpicitur. Sed turpes ejusmodi vocum diverſarum confuſiones innumeræ fere occurrunt apud Heſychium, maximo cum Lectorum incommodo & faſtidio, ut doctis notum, & ſupra jam aliquoties data occaſione obſervavimus. Nec Suidas melius habitus fuit, teſtibus Kuſtero, Boſio & aliis pluribus. Verum hæc ſaltim obiter.

Pag. 724. Παμφθόγγῳ, παμφθόνῳ.] Legendum forſan, παμφώνῳ, quod aliquanto accuratius huc ſpectat, quam alterum quidem παμφθόνῳ. Sed nihil ego temere definio, qui enim πάμφθογγος, ſive *celeberrimus*, eſt, eſſe etiam plerumque ſolet πάμφθονος, ſeu *omnium invidiæ expoſitus*, ut notum. Hinc amplius de hac Lectione deliberandum.

Pag. 727. Πάππος, ἄκανθα, ἐπὰν γηράσῃ, καὶ ἀποξηρανθῇ, καὶ πρὸ ἀνέμων ἐκριπίζεται.] Legendum hic leviſſima mutatione, καὶ ὑπὸ vel ἀπὸ ἀνέμων, quo facto, aliæ doctorum virorum emendationes & conjecturæ hic ſupervacuæ videri poſſunt, ut ipſum inſpicientibus Lexicon illico, credo, in oculos incurret.

Pag. 729. Ἠγωνία, καὶ κατέστησε τῇ γνώμῃ

μη ἢ ποσὶν.] Depravata hæc eſſe, per ſe putem, liquet. Legendum ergo, κατέπεσε ἢ γνώμη ποσὶν, vel τοῖς ποσὶν, ſenſu obvio & facili. Hic enim verus ſenſus notiſſimæ dictionis Homericæ: παρὰ ποσὶ κάππεσε θυμὸς, ut in antecedentibus legitur.

Pag. 745. Πελεθρόνιον, ποιησιφάρμακον.] Vox poſtrema monſtroſa omnino, pro qua Gujetus ſubſtituebat, θρόνον, φάρμακον, *herba venenata*, minus feliciter, me quidem judice. Forſan nonnihil melius hic legendum fuerit, πελεθρόνιον, ποίησις φαρμάκων, vel, πελεθρόνιον, ποίη τις, ἢ φάρμακον, hoc eſt, *herba quædam* aut *medicamentum*, ſive *venenum*, quod ex ſequenti voce πελεθρόνιος, manifeſto patet. Sed & in eo loco turpiſſima menda hæret. En modo ipſa verba: πελεθρόνιος, ὁ χείρων, - - - οἱ δὲ πολυφάρμακος δίδωσι, γίνεται. Verum quid illud quæſo, hic δίδωσι? Lindanus ergo legebat, ἰδίως, nulla prorſus probabilitate. Melius ſane ſcripſiſſet, δηλήσει γίνεται, *qui medicamentis multum nocet*, Δήλησις enim teſte ipſo noſtro Heſychio, eſt κακεργία, φθορά. Verum nihil plane aut his, aut aliis hariolationibus hic opus. Tu Lector, ſi placet tamen, tolle ſaltim illud δίδωσι, γίνεται, ſuo loco quippe motum, & in alienum translatum, & novam potius inchoa litterarum ſeriem, aut periodum, hoc ſcilicet modo: Πελεθρόνιος, -- πολυφάρμακος.] Πέλει, δίδωσι, γίνεται, ὑπάρχει, ἐστί.] Sic omnia profecto erunt clariſſima. Mox enim Noſter: πέλω, εἰμὶ, δίδωμι, γίνομαι, quo ipſo noſtra conjectura mirifice prorſus confirmatur. Quoniam autem illud πέλει caſu excide-

rat, & alienum in locum paullo inferius migraverat, ut clare apparet; inde ortæ fuerunt turbæ, & bina diverſa loca temere confuſa, quod perquam probabile quidem videtur. Nolim tamen ex turpi ac inficeto quorundam more, raucos & inconditos ejusmodi clamores ingenti hiatu tollere: Tu, tu, meo periculo ſic ſic lege! quovis ſacramento contenderim ego, ita plane, & non aliter, ſcribendum: item, fidem, immo vitam perdam, niſi vera ſit noſtra emendatio; quovis pignore certabo, ita eſſe reponendum: Niſi fuerint omnia ſole ipſo clariora, nunquam poſt hac duarum rerum nobis credas: Capitis periculum lubens ſubire decrevi, niſi genuina & unice vera noſtra ſit lectio: Hæc noſtra adeo vera eſſe ſcimus, ut ad omnia Criticorum ſecundum nos pronunciaturorum collegia ac conſeſſus provocare audeamus: Hic nos caput ſcalpſimus, pollicem admordimus, unguesque roſimus, donec diu multumque cogitando tandem veram lectionem feliciter inveniremus: Nos primi & ſoli verum hic vidimus, omnes contra miſere hic occæcati turpiſſime lapſi ſunt; fungum ſane pro cerebro habeat neceſſe eſt, quisquis non videat ſtatim, ita conſtituendum eſſe locum, prout a nobis nunc factum: male ſanum profecto illis eſt ſinciput, qui hic nobis non adſtipulantur; Hoc nos primi docuimus hic, quod ante nos neſciverunt omnes: Omnes, omnes hic ſtrenue nugati ſunt, antequam nos verum ex profundiſſimis latebris auſpicato protraheremus: ſic, ſic & non ſecus, ſcribendum eſt, quidquid etiam contradicant omnes; Hæc loca a nobis primis caſtigata & illuſtrata ſunt, a qui-

a quibus veluti metu quodam, chorus univerſus ſummorum virorum & omnis eruditionis principum manum hactenus abſtinuit, adeo, ut ſimile ab uno homine nihil unquam in litteras miſſum videri poſſit. Item, Cellam olet hic ſermo, immo ſellam, nos ſcimus, Auctorem ita ſcripſiſſe.

Sed piget jam merito plura id genus commemorare hic imperia & edicta plusquam prætoria, his ipſis nec ſaniora, nec humaniora, & ex trivio potius, quam tripode, prolata: quibus per me licet ſane utantur, aut abutantur potius in ſui opprobrium, elegantiorumque & cordatiorum hominum deteſtationem, ejusmodi litterarii Bombomachides, Sedignoloquides & Vaniloquidori, aut ſtridula eruditi orbis crepitacula, quorum ridiculum faſtum & plusquam hiſtrionales præſtigias jam ſupra ſatis perſtrinximus in noſtra præfatione, & in his Libris paſſim. Nos contra verecundia & humanæ imbecillitatis conſcientia permoti, diverſum longe ſectamur iter, nihilque aliud, quam ambiguas, incertas ac leves conjecturas hic proponere candide fatemur, & iterum iterumque, quantum quidem poſſumus, monemus. Verum hæc quaſi in tranſitu, & ſponte nobis oblata occaſione. Revertamur jam, ſi lubet, ad noſtrum Heſychium hactenus derelictum, hem! tempus eſt.

Pag. 750. Περίβλεπτος, -- περιβόντος.] Forſan hic legendum, περίοπτος. Noſter enim infra pag. 754. clariſſime: περίοπτον, ἐπιφανῆ, πολυθέατον, περίβλεπτον, ubi vides

nempe evidentiſſime, περίβλεπτον, & περίοπτον, συνωνύμως ſumi. Confuſa vero hic περίβλεπτος & περιβόητος, videntur, propter ſequens περιβόητος, ὁ ἐπὶ κακῷ ἢ ἀγαθῷ φήμην ἔχων. Forte tamen nihil hic mutandum, quia περίβλεπτος Græcis eleganti tropo ſæpe idem eſſe ſolet, ac ἔξοχος, ἐπιφανής, & περιβόητος, *conſpicuus*, *illuſtris*, *celebris* & *decantatus*. Ita Dionyſius Halicarnaſſ. Lib. VIII. pag. 523. de Marcii Coriolani matre: Τιμίαν καὶ περίβλεπτόν με ποιήσεις, quo ſenſu & ſæpius occurrit apud Appianum, Plutarchum & alios, res enim nota: accedit his Suidas, ita ſcribens: περίβλεπτος, ἔξοχος, μέγιστος.

Pag. 756. Περιτόνεον, μέρος τὶ τῆς νεώς, καὶ τὸ δένδρον.] *Pritoneum* vel *Peritonæum* partem Navis ſignificare, notum eſt ex Polluce & aliunde. Sed quæ illa ſit arbor, quæ vocetur *Peritonæum*, nemo facile divinaverit. Quare legendum utique videtur, τὸ δέρτρον, hoc eſt lata illa membrana abdomen undique circumcingens, *Peritonæum* vulgo, ut notum, dicta. Ipſe Noſter hanc conjecturam noſtram confirmat ſupra, pag. 240. Δέρτρον, δέρμα, ὑμήν, ἦτρον, ὑπογάστριον, ἄμεινον δὲ τὸ περιτόναιον ἀκούειν. Similia fere habes apud Suidam, Galenum & alios, quibus adde potiſſimum Fœſium in Oeconomia Hippocratica, pag. 91. Quam facilis vero lapſus ſit inter τὸ Δέρτρον, & τὸ Δένδρον, per ſe manifeſto patet, adeo ut hæc noſtra ſuſpicio jam fere ipſam veritatis ſpeciem induere videatur. Sed Lectores judicent.

Pag.

Pag. 775. Πολύδοτος, κοχλιοειδής.] Prior vox videtur depravata, quare ſcribebat Junius, πολυδίνυτος, haud ſatis bene, ſi quid rectius judicem. Forſan ſcribendum fuerit, πολιδωτὸς, quod variata ſaltim dialecto, idem eſſe poteſt, ac φολιδωτὸς, nempe ἀπὸ τῶν φολίδων, ſeu ſquamis, qua de re infra noſter ſuo loco, ut & Suidas. Quid autem ſint φολίδες, atque hinc Cochleæ & piſces φολιδωτοί, uberius docent Ariſtoteles, Plutarchus, & inprimis Athenæus, Lib. III. & VII. ut alios taceam, quibus adde præter Hiſtoriæ Naturalis Scriptores, doctiſſimum Pricæum, in aureo Commentario ad Apuleji Apolog. pag. 44. Ita & φολιδωτὰ δρακόντια occurrunt apud S. Ignatium, in Ep. VII. ad Antiochen. p. 196. ſic enim legendum, & non φιλόδορα, poſt Fronton. Ducæum, recte docet Martialis Mæſtræus, in Not. ad Ignat. p. 80. Verum hæc ſaltim obiter.

Pag. 783. Πρέπον, τέρας, κύπριοι.] Legendum videtur, πρεπτὸν, mox enim ſequitur, πρεπτὰ, φαντάσματα, εἰκόνες. Sed nihil hic ego definio.

Pag. 828. Σαρκάζει, εἰρωνεύεται, καταγελᾷ, ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι,] Eandem quidem verbi hujus Etymologiam ſequuntur Suidas, Ariſtophanis Scholiaſtes, Iſidorus, Scaliger, Becmannus & alii plures. Putem tamen, pace horum, verbum Σαρκάζειν, & Σαρκασμὸς, rectius forte derivari ex Hebræo שרק, *Sarak*, *ſibilavit*, *exſibilavit*; quod vero doctioribus dijudicandum relinquo.

Pag. 841. Σίσυφος, ἀπατητιτὸς, -- ἀπὸ Ἀττικῆ Σισύφῳ.] Multum hic æſtuat nobiliſſimus Palmerius in explicanda voce Ἀττικῆ; tandem vero legendum cenſet, Ἀκτικῆ, quod minus tamen placet. Cur non potius, quæſo, malebat, ἀπὸ ἀπατητικῆ Σισύφῳ, quod modo præceſſit? Certe ita videtur. Σίσυφος ponitur pro ἀπατητικός, nempe ab illo ἀπατητικῷ Σισύφῳ, e fabulis noto; quod ſatis probabile mihi videtur.

Pag. 850. Παύσωσι τῆς σκύζης, ἀντί τῆ τῆς * κάπρας.] Multa hic quidem Palmerius & Sopingius, quæ tamen nec ſatis placent, nec multum perſuadent, ſit venia dictis. Malim igitur ego, ſi fas ſit, ἀντὶ τῆ τῆς πικρίας. Mox enim σκυζομένη exponitur per λυπουμένη, ὀργιζομένη, conf. & inprimis Scholiaſt. ad Ariſtophanis Ranas, pag. 251. & Euſtath. ad Dionyſii periegeſin, pag. m. 97. quibus adde Suidam. Πικρίαν autem idem eſſe ac iram, triſtitiam, indignationem, & animi amaritudinem, Hebræis pariter מר ſive ממר, notum eſſe arbitror ex ipſo Hippocrate, Plutarcho, Xenophonte, Nicephoro Gregora, & aliis, immo ex ipſo Novo Teſtamento. Vid. Rev. Raphelii Annotationes Polybian. ad N.T. pag. 425. Item Jac. Bill. in Obſſ.Sacr. Lib. I. cap. 17. pag. 24. & Lud. Cappelli Crit. Sacr. Lib. IV. cap. 11. pag. 283. & ſi placet, quæ nos ipſi olim diximus ad Epiſt. ad Hebr. Cap. XII. in Curis Philolog. maximi & eheu! nobis deſideratiſſimi Wolfii, pag. 785. Ceterum vox Σκύζη aliquam convenientiam habere videtur

cum

cum Hebr. קצף *Kezeph*, *Ira æſtuans*, *fervor.* Sed hoc obiter.

Pag. 871. Στυφᾶν, βροντᾶν, Στύφος, κέρδος.] Tolle hic malum illud *lucrum*, ſeu κέρδος, legeque mecum potius, ſi tamen placet, κεραυνὸς: ςύφος enim idem eſt, ac κτύπος, quod Noſter ſupra interpretatur per ψόφον, βροντήν. Probabilem autem eſſe hanc noſtram conjecturam, ex alio Noſtri loco clariſſime patet. Κεραυνὸς, inquit ille, ψόφος, κτύπος, βροντή, unde noſtræ ſententiæ haud exiguum pondus accedit.

Pag. 872. Συγκοίτιον, ἑταίρα συγκοιμηθεῖσα μίχθωμα.] Legendum hic haud dubie μίσθωμα, h. e. *quæſtus meretricius & meritorius*, ut notum. Clariſſime huc Suidas, Μίσθωμα, ὁ μισθὸς ὁ ἑταιρικός, ubi vid. reliqua. Plura vero de hoc obſceno τοῦ μισθώματος ſignificatu obſervavit ſummus Caſaubonus, ad Suetonii Caligul. cap. XL. & ad Athenæi Lib. XIII. cap. 6. pag. 877. Forte ergo hoc merum mendum typographicum.

Pag. 883. Σφαδάζει, θυμοῦται, ταράττεται, ὑπὸ τραύματος ζέοντος.] Malebam aliquando legere ὑπὸ αἵματος ζέοντος, ſed poſtea vidi idem in mentem veniſſe ſummo Viro & feliciſſimo Critico, Lamb. Boſio, in Obſervat. Crit. Cap. XLVII. pag. 187. quare ſcribendum poſtea conjeci, ὑπὸ καύματος. Sed nihil forſan hic mutandum eſſe, colligere fere licet ex Suida, quem vide, ſi volupe eſt.

Pag. 884. Σφακελίσαν, κακωθὲν, καταφθαρέν.] Scribendum nempe hic σφακελισθὲν, quod ſequentia κακωθὲν καὶ καταφθαρέν, omnino imperare videntur.

Pag.

Pag. 885. Σφετερίζων, εἰς ἴδιον κέρδος κεχηνῶς.] Scribendum κεχηνὼς, ut notum: Sed hoc leve. Mox ſequitur, Σφέτερον, τὸ αὐτῶν ἴδιον. Quæ vox reddenda videtur Apoſtolo Judæ, in Epiſt. verſ. 7. αἱ πόλεις ἐκπορνεύσασαι καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. Ubi legendum omnino eſſe σαρκὸς σφετέρας, *propriæ ſuæ carnis*, & ipſe loci ſenſus requirit, & quorundam Veterum Codd. auctoritas inſuper confirmat, qui teſtibus B. Oleario, Colomeſio & aliis, exhibent τέφρας, unde per levem litterarum metatheſin, exit φέτρας, ſive σφέτρας, & exinde σφετέρας. Quæ enim alias ad hujus loci explicationem huc adferunt Viri magni Grotius, Feſſelius & B. Wolfius, aſſenſum ægre, credo, impetrabunt. Sed de his nos proxime cum Deo uberius in Obſervationibus noſtris ſacris.

Pag. 885. Σφῆλαι, σαλεῦσαι, κινῆσαι, σφῆλαι.] Tollendum poſtremum σφῆλαι, ceu vitioſum; & legendum potius videtur, σφῦσαι, hoc eſt, πηδᾷν, *ſaltare, agitare.* Ipſe Noſter mox, Σφύζει, πηδᾷ; add. Suidas in Σφύζει.

Pag. 901. Τετελεσμένον, μεμιασμένον.] Hoc poſterius re ipſa eſſe μεμιασμένον, & mendo turpi fœdatum, prope certum videtur. Sed fruſtra, me judice, fuit olim doctiſſimus Adr. Junius, legendo, μεμερισμένον, ſine ſenſu commodo. Quum paullo certius ſit, legendum hic eſſe μεμυημένον, *ſacris initiatum*, quemadmodum & apud Suidam rectiſſime ſic legitur. De hac voce τετελεσμένος, autem vid. præter alios, Barn. Briſſonius in Comment. ad L. Dominico, de Spectacul. in Cod. Theodoſ. pag. 357.

Ibi-

Ibidem. Τετελεσμένος, τελισκόμενος, ἀνδρόγυνος.] Reſpexiſſe hic potiſſimum Heſychius pro more, videtur locum Deuteron. Cap. XXIII. v. 17. ſecundum græcam LXX. Virorum Interpretationem, ubi hæc occurrunt verba: ὐκ ἔσαι τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ ὐκ ἔσαι τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. De quo loco ut & ipſa hac re, videatur Vir maximus & haud publici certe ſaporis, Iſaacus Voſſius, de Sibyllinis Oraculis, Cap. XIII. p. 267. qui longe melius hæc explicuit, ac alter magnus Iſaacus Caſaubonus, Exercitat. Anti-Baron. XIII. p. 269. vid. & Grotius, in Comment. ad iſtum locum, pag. 166. Tom. I. Opp. in V. T. In ipſo ſacro Codice occurrit vox קדש, *Kadeſch*, quod quidam Hebræi doctores reddunt per אנדרוגינוס ſervata nempe græca voce Ἀνδρόγυνος. Sed hæc tantum obiter: ſunt enim omnino alterius Loci. Vid. interim Wagenſeil. ad Sota, pag. 459.

Pag. 947. Φατὸς, σοίβη, φήμη.] Τὸ σοίβη hic vere *Stuppeum* eſſe videtur, quia locum in his ægre habet: Quare fuit, quum legendum crederem σοβὸς, quod Noſter ſupra explicat per λοιδορίαν, ὄνειδος, unde σοβάζειν, κακολογεῖν, & σοβασμάτων, λοιδοριῶν, ibidem. vid. Claud. Salmaſ. Exercit. Plin. pag. 280. Φατὸς ergo & bonam & malam famam juxta ſignificat, quemadmodum & *Fama*, apud Latinos, & שמע item שמועה apud Hebræos, ut notiſſimum.

Pag. 991. Ὠμῷ γήραϊ, τῷ πρώτης ὥρας γηράσκοντι.] Legendum hic omnino videtur leviſſima quidem mutatione, τῷ πρὸ τῆς ὥρας γηράσκοντι, h. e. *ante juſta tempora cano, præmature ſeneſcenti:* Ita enim Suidas, in ὠμογέρων: ὁ παρ'

ὁ παρ' ἡλικίαν γεγηρακὼς, ubi τὸ παρ' ἡλικίαν, idem omnino eſt, ac τό πρὸ τῆς ὥρας, apud Heſychium, ut legendum quidem nos ſuſpicamur, non temere pronunciamus, quod ſtultorum & ſuperciliosorum pædagogorum eſt. Reſpexit autem Heſychius noſter, ut videtur, ad Heſiodi locum in Op. & Dieb. v. 705. ubi de incommoda & moleſta uxore dicitur: καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν, vel potius θῆκεν, ut Grævius voluit, Cap. XVI. Lection. Heſiod. p. 80. quo ipſo noſtra emendatio adhuc magis confirmatur, ſi quis ipſum hunc Aſcræi Vatis locum attente inſpicere dignatus fuerit. De voce ὠμογέρων, autem vid. Euſeb. Lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. 21. p. 267. & ibi in Notis doctisſimis Henr. Valeſius, p. 152.

Sed ſatis nunc de his! quibus plura adhuc adjicere, occupatum jam vetat ſpatium; etſi longe plura, nec his ipſis deteriora, erant in promtu, quæ tamen in commodius tempus ſunt rejicienda. Ἀλλὰ νῦν ἐν τῷ Ἡσυχίῳ ἡμῖν ἡσυχία ἔςω καὶ σιγή.

Ceterum ſupremo Deo pro præſtito in his noſtris conatibus auxilio ſit Laus, Honor atq; Gloria: Nobis vero parata apud æquos Lectores, errorũ noſtrorum Venia. Nam, ut ſapientiſſime Comicus

Nunquam ita quisquam bene ſubducta ratione
ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ Tibi putaris prima, in experiundo ut
repudies.

OBSERVAT. CRITICAR. LIBRI QUARTI SIVE ULTIMI FINIS.

AD-

ADDENDA ET MVTANDA.

PAg. 1. *Exalbeſcunt ſive expalleſcunt homines Timore.*) Quare id fiat, multis diſquirit Macrobius, Lib. VII. Saturnal. cap. XI. pag. 526. ſeq. quæ ex Plutarcho, pro ſolito more, petita ſunt, idem tractat argumentum Ariſtoteles, & Plato, ut alios taceam, res enim vulgo notiſſima.

Pag. 13. *Endæum.*) Celebrem quidem quendam ſtatuarium, Dædali diſcipulum, ſic fuiſſe appellatum, oſtendit Thom. Reineſius, Epiſt. LXVI. ad Rupert. pag. 588. Sed de cognomine Vate mihi nihil adhuc conſtat, ut dixi.

Pag. 19. *ἐκ ἐσα.*) Forſan majore probabilitate hic legendum *ἠχἐσα*, hoc eſt, *loquens* aut *cantans*, quomodo verbum *ἠχεῖν* ſæpius uſurpatur, teſtibus Heſychio, Suida & aliis Lexicographis. Idem vero ſenſus in his Ariſtæneti verbis eſſe videtur, ac in illis Philoſtrati, in Epiſtolis à Meurſio editis, pag. 6. Epiſt. V. ubi ita ſcribit ad Amicam: *ὅτε αὐλὸς ἡδὺ ἄκεσμα ἔτως, ὡς τὰ σὰ ῥήματα.* Sed talia plura ſuaviſſimæ loquelæ & Cantilenæ amicarum elogia occurrunt ſæpiſſime apud ipſum noſtrum Ariſtænetum, Alciphronem, Athenæum, Lib. XIII. & alibi, alioſque plures, notiſſima enim ſunt. Quin & ipſe Horatius *Lalagen* ſuam amabat *Dulce loquentem*, Od. 22. Lib. I. hoc eſt *ἡδὺ ἠχἐσαν*, ſeu *ἡδυφθόγγον*, aut *ἡδύφωνον*.

Pag. 29. *vid. ἀμείλικτ⊛ λικμητήρ.*) Tollenda hæc ſunt Heſychii verba, ex aliena quippe ſchedula huc male tranſlata.

Pag.

Pag. 33. Εἶπε λέγων, vel ἔλεγε εἰπών, *in Nov. Teſt.*) Hanc elegantem loquendi rationem ceu optimis Auctoribus græcis familiariſſimam, copioſe & valide contra Jo. Vorſtium probat doctiſſimus Juvenis, acerbo funere raptus, Horatius Vitringa, in Animadverſionibus Anti-Vorſt. Cap. VI. p. 240. ſeqq.

Pag. 41. *Fella, quæ Græci γλυκέα vocant, velut dulcia,* &c.) Præter mox laudatos Auctores, vid. etiam hac de re Hieron. Mercurial. Lib. I. Var. Lect. cap. 23. pag. 23. item Joſeph. Scaliger, in Elencho Trihæreſ. Nic. Serarii, cap. XVIII. pag. 299.

Pag. 114. חרטמים *Chartummim.*) De his Magis eorumque nomine copioſe & eruditiſſime peculiari Diſſertatione egit Vir celeb. David Millius, quæ eſt *Octava* inter ſelectas ejus Diſſertationes ingenti Litterarum ſacrarum & profanarum commodo, publicatas, pag. 223. ſeqq.

Pag. 124. *Quærit doctiſſimus Kühnius, quid ſit* κατακολυμβητής, &c.) Fruſtra plane de hujus vocis auctoritate dubitavit hic Cl. Kühnius, & nos cum ipſo. Κατακολυμβητὴς enim idem eſt, ac ſimplex κολυμβητὴς, & occurrit aliquoties apud Ariſtotelem, Strabonem, Athenæum & alios, ut & Lexica docent. Nempe à verbo κατακολυμβᾶν, quod legitur apud Plutarchum, in Quæſtionibus Natural. pag. 915. & alibi, Pollucem, in Onomaſt. Lib. VII. Segment. 138. Heſychium, voce Δρυάσαι, aliosque plures. Quare nihil neceſſe prorſus eſt, legere hic, ἐν τῷ Κατωκολυμβητῇ, pro vulgato κατακολυμβητῇ, quippe quod dictis ex cauſſis, mutari non debet, quum ſanum ſit omnino & graviſſima

ſima auctoritate præmunitum. Conf. Thom. Reineſii Epiſt. ad Rupert. LIX. p. 540. Cur autem Croto ille Librum ſuum obſcuro adeo nomine, vocaverit Καταχολυμβητὴν, alii quærant & definiant: Nobis nihil plane de illo Myſterio conſtare, ingenue fatemur. Nec ſane operæ pretium videtur, in ejusmodi argumenta, nullos, aut perquam exiguos habitura fructus, juſto ſcrupuloſius, cum temporis jactura, inquiſiviſſe.

Pag. 140. *Malim Renitenti*) Sic pariter *Retinentem*, & *Renitentem*, confuſa videntur in illo Apuleji Lib. III. Metamorph. init. p. 129. *me ſane non* Retinentem *accipiunt*, ibi enim *Renitentem*, potius legendum eſſe, ſatis probabile videtur.

Pag. 146. *Σφαῖραν σμύρνης, globum Myrrhæ.*) Ita & Hippocratem Lib. II. de Morb. Mulier. Σπυράδας vocare Myrrhæ globulos & glebulas, nempe a rotunditate, obſervat Thom. Reineſius, Lib. II. Variar. Lect. cap. 8. pag. 199. add. Fœſius, in Oeconomia Hippocr. pag. 350.

Pag. 147. *Scripſerim ego*: ἔλεγε ψυχὴς περίσατον.) Veriſimilem utique hanc ego duco conjecturam. Interim tamen non minore quoque probabilitate legi hic poſſet: ἔλεγε ψυχῆς ἀπέραντον, h. e. *ſtatuit animam eſſe infinitam nullisque limitibus circumſcriptam*, ſenſu aptiſſimo. Egregie huc Heſychius: Ἀπέραντον, μέγαν, ἀτελείωτον, ἐκ τοῦ πέρας μὴ ἔχειν. Quod nobile argumentum latius pertractant Plato, Ariſtoteles, Maximus Tyrius, Plutarchus & alii plures, ut notum; e Latinis autem Cicero, Auguſtinus, Tertullianus, ne plures com-

memorem, nemini enim hæc, credam, ignota, niſi cui omnia.

Pag. 168. *Ciboque & potu impleri.*) Adde noſtris obſervatis collecta in hanc rem à Cl. Alex. Moro in Notis doctiſſimis in Nov. Teſt. ad Cap. V. Epiſt. ad Epheſ. pag. 210. ubi plura de hac phraſi.

Pag. 177. *Mallem illud ζητεῖν, mutare in τηρεῖν.*) Recte forſan nos hic conjeciſſe, valide putem, confirmari poſſit ex illo Polemonis de mira Porphyrionis avis Zelotypia, apud Athenæum, Lib. IX, cap. 10. pag. 388. Τὰς ὑπάνδρους τῶν γυναικῶν τηρεῖν πικρῶς, ubi Ælianus, eandem enarrans hiſtoriam, aut fabulam, Lib. IV. de Nat. Animal. cap. 42. pro verbo τηρεῖν, adhibuit παραφυλάττειν; ſed en ipſa ejus verba: τὰς ὑπάνδρους τῶν γυναικῶν παραφυλάττει. Ex quibus nunc, opinor, luculenter patet, verbum τηρεῖν, proprie de Zelotypis uxorum Cuſtodibus uſurpari, quod & uberius conſtat ex ipſis illis Auctoribus ſupra in ipſo Loco à nobis magna copia laudatis, quos evolvat, quæſo, qui hac de re dubitet, quod tamen vix opinamur. Res enim hæc nimis nota.

Pag. 184. *Imperabant*, pro *Impetrabant.*) Ita & *Impetrare* & *Imperare* confuſa olim in Plauto fuiſſe, oſtendit Jo. Iſac. Pontanus, in Notis ad Macrobii Saturnal. Lib. I. cap. 7. pag. 640. ut alios taceam, qui idem obſervarunt.

Pag. 195. *Pro Condere, legendum potius Condire,*) Ita & in Tacito legendum eſſe, recte conjecit diligentiſſimus & doctiſſimus Baronius, quem confutat quidem Iſ. Caſaubonus, in Exercitationibus

nibus Anti-Baronianis, Exercit. XVI. No. CXII. p. 591. Sed non iis, ſi quid videam, Argumentis, quæ multum convincere, aut in aſſenſum pertrahere poſſint Lectores. Ni enim Baronium Auctorem habuiſſet hæc ſententia, dubito, an Contradictorem inveniſſet Caſaubonum, virum cetera maximum.

Pag. 206. Originem trahere ſuam ab Hebræo לרשן &c.) Aliam non minus probabilem vocis λέχαι, originem promit Cl. Harduinus, in Notis ad Themiſtii Orat. XXIII. p. 520. quas vidiſſe haud pœnitebit. Adde Grævii Lect. Heſiod. Cap. XII. pag. 62.

Pag. 207. Κνισσοτράπεζος.) Compoſitum hoc, ut Κνισσολοῖχος, ſeu Κνισολοῖχος, item & Κνισσοκόλαξ, quæ ſignificatione tantundem valent, ac noſtrum Κνισσοτράπεζος. Vid. Athenæus, Lib. II, cap. 35. p. 125. item alibi, add. Heſych. Suidas & alii.

Pag. 209. Vox paſtoralis ψύττα, ψίττα, &c.) Allegatis jam Auctoribus addatur etiam vir ſummus, Sam. Bochartus in Hierozoic. Part. I. Lib. II, cap. 46. pag. 521.

Pag. 216. Wendelinus, de Admirandis Nili.) Add. Celeb. Millii Diſſertat. I. & Job. Ludolfi Hiſt. Æthiop. Lib. I. cap. 8. & Comment. pag. 126. ſqq.

Pag. 221. In Roſa cœnaſſe &c.) Vid. Barth. Adverſar. Lib. LVIII. c. 16. p. 2757. Paſchal. de Coron. Salmaſ. ad Spartiani Æl. Verum, aliosque plures.

Pag. 234. Ἀπλάκητος *per* ἀναμάρτητος *exponit Heſychius.*) Sed hic apud Heſychium ἀμπλά-

πλάκητος legi debere, ut hodie in Sophoclis Libris extat, exiſtimat Celeb. Petr. Weſſelingius, Lib. II. Obſ. Var. cap. 6. p. 163. Verum pace magni Viri, mihi utrumque rectum videtur. A πλαχία enim commode deducitur ἀπλάκητος, ſicut ab Ἀμπλακία, ἀμπλάκητος & ἀμπλάκιος. Accedit, & ſeriem litterarum apud Heſychium obſtare, quo minus aliter legere debeamus. Quamvis, ut ingenue fatear, millies apud ipſum hac in parte alias fuerit peccatum.

Pag. 242. *Diſſertatio de Speculatore.*) Adde laudatis his Auctoribus inprimis Joannis Sauberti Exercitationem de Vulneribus Chriſti doctiſſimam, §. CCIX. ſeqq. ubi plura de ſpeculatore notatu digna occurrunt.

Pag. 260. *Ex* LXX. *Virorum verſione.*) Inducenda hæc omnino videntur, quia hac de re jure dubitari obſervavi apud Grabium, Hodyum, Frickium, Fabricium aliosque clariſſimos Viros, qui de LXX. virorum verſione Græca quidquam commentati fuerunt.

Pag. 322. *Huc ſpectat Oaryſtis Theocriti.*) Huic & ſequentibus adde præſertim Libanii Progymnaſmata *de Laude Agricultura*, pag. 89. & *de Comparatione Ruris & Urbis*, pag. 135. ſeqq. Edit. Morelli.

Pag. 331. Σμηκτὶς.) Vid. Salmaſ. Exercit. Plin. pag. 97.

Pag. 338. Λέυκελλον.) Lege potius, ut eo major convenientia appareat Ἄκολον inter, atque noſtram conjecturam, Λέυκολλον, ut nomen iſtud ſcribitur apud Ælianum, Strabonem, Athenæum & alios. Scribitur enim alias promiſcue Λέ-

Λέκκελλος, Λεύκελλος & Λεύκολλος, ut ex Plutarcho, Suida, Appiano & aliis multis conſtat, nec cuiquam, credo, ignotum eſt.

Pag. 359. *Vim ſtruere,* illectum mihi.) Sic tamen Statium dixiſſe Lib. VII. Thebaid. *Ventus ubi primas* ſtruit *inter nubila vires*, obſervat Celeb. Gronovius, Lib. I. Obſervat. Cap. 14. pag. 121. Ergo fruſtra dubitatur de hujus phraſeos auctoritate. Interim tamen in ipſo Tacito haud bene dici poſſe putem, *vim ſibi ad potentiam ſtruere*, quum obſcurum, immo & tavtologum videatur omnino, quod tamen a Taciti mente & more, ut notum, alieniſſimum.

Pag. 391. Ἀντίτομον, *quod nihil ſignificare videtur.*) Probam tamen hanc vocem eſſe, contendit Salmaſius, in Exercit. Plin. pag. 96. ſed nullo adducto exemplo, aut teſtimonio.

Pag. 398. *Pſecas.*) Vid. inprimis Thomæ Reineſii Epiſt. XXXV. ad Rupertum, pag. 260. ubi plura de *Comarum Ornatricibus* docte obſervata.

Pag. 405. *Male mutavit Salmaſius in* Στυμμίσματα.) Idem tamen oſtendit in Exercit. Plin. pag. 806. & 330. Στύφειν, idem eſſe, ac *tingere* & *coloribus inficere*, unde τὰ Στύμματα & Στυμμίσματα, *colores* aut *pigmenta.* Nihil tamen hæc ad noſtrum Heſychii locum, ubi de Stibio proprie ſermo, ut legenti patet. Quare noſtra conjectura potior, niſi fallor, videtur.

Pag. 427. Κεῖρα *ab Hebr.* הרה) Probabilior forſan ignotæ vocis κεῖρα, etymologia petenda fuerit ab Hebr. עקר *Iker*, aut Chald. עקר *Ikkar*,

 Stirps

Stirpſ., Radix, Indigena, ut ex Lexicis ſatis notum. Nihil tamen ego temere & arroganter pronunciaverim, quia leves ſunt conjecturæ.

Pag. 451. *Stellæ albeſcentes,*) Sic & de Aurora dici, obſervat Barthius, Lib. XXXIX. Adverſarior. cap. 6. pag. 1764.

Pag. 466. *Privus.*) Vid. præter laudatos Auctores, Salmaſ. Exercit. Plin. pag. 61.

Pag. 470. *Oſtendit Reineſius.*) Et ante eum jam Salmaſius, Exercit. Plin. pag. 662.

Pag. 487. Τῇ πύλῃ.) Poſſet etiam commode legi, τῇ φίλῃ, *Amicæ*, aut τῇ φλιᾷ, ſive φλιῇ, *limini*, aut *januæ*, vid. Theocrit. Idyll. XXIII. qui Locus maxime huc ſpectat: placet tamen magis τῇ πύλῃ, ex rationibus ſupra in ipſo Loco affatim allatis.

Pag. 493. Κρίνον, τὸ ξηρόν.) Explicat tamen Suidas τὸ κρίνον, pariter per εὐμάραντον, καὶ ταχὺ διαπίπτον, quod idem ſignificatu, ac τὸ ξηρὸν, unde nihil forſan in hoc Heſychii Loco mutandum videtur: ipſe tamen arbitretur Lector.

Addend. adhuc ad pag. 97. Κομβώσας.) Perquam credibile nimirum eſt, κομβόω, æque in uſu olim fuiſſe, ac κομβοῦμαι, præſertim apud poetas, metri nempe gratia; ſcilicet ad formam & analogiam verborum παλαιόω, ἀκριβόω, θρομβόω, δολόω, & infinitorum aliorum. Adeo ut κομβόω & κομβοῦμαι, ad verba activa & media ſimul pertinere videatur, uti ſunt plura alia, v. g. δουλόω, & δουλοῦμαι, ζηλόω, & ζηλοῦμαι, χολόω & χολοῦμαι, χειρόω, & χειροῦμαι, καρπόω & καρποῦμαι, ut in-

innumera alia in hunc modum efformata, jam taceam, de quibus legi merentur Küſterus, Clericus & Cl. Wollius in Diſſertat. de *Verbis Græcorum Mediis*. Hoc autem leve vix monere dignum nobis viſum fuiſſet, niſi elementariis aucupibus & plagoſis Orbiliis, qui in his tricis apinisqne cum ferulâ ſæva exercent imperia, ſic calumniandi & cavillandi occaſionem præcidendam eſſe, jure exiſtimaſſemus. Quod & generatim de omnibus ejusmodi minutiis grammaticalibus pronunciatum ſit.

Sed de his nunc hactenus. Longe plura his ipſis jam indicatis, addenda aut mutanda in his Libris adhuc reſtare, nihil dubito. Sed iſta ſcrupuloſius indagare, aut curatius adnotare, nec anguſtum nimis temporis ſpatium jam conceſſit, nec graviorum negotiorum, qua premor, moles permiſit. Fiet autem id ſuo tempore, ubi otium liberius nactus fuero: Quod ſi tamen interea Lector aliquis doctrina & modeſtia juxta ſatis inſtructus, hæc noſtra qualiacunque abortiva emendare, augere, refingere & expolire velit, faciat id in publica commoda, nec dubitet, quin & ab omnibus probis & cordatis elegantiorum litterarum cultoribus, & a me inprimis maximam omnino gratiam ſit initurus.

Ceterum ego jam ſaluberrimo Claudii Galeni monito finio: *Χαλεπὸν μὲν ἄνθρωπον ὄντα μὴ ἁμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα.*

INDEX I.

AVCTORVM ET LIBRORVM,

Qui laudantur, notantur, illuſtrantur & emendatur.

Achilles Tatius. 438.
Acidalius, *Val. laud.* 47. 165. 193. 194.
Acta Eruditorum. 27.
Actuarius. 135. 136.
Ægineta, *Paul.* 135. 136. 143. 233. 265. 374. 406.
Ælianus, Var. Hiſt. 22. 65. 71. 77. 124. 138. 139. 145. 218. 315. 378. &c. *emend.* bis, 33. 34. *bis*, 31. 34. *bis* 83. 84. *ſemel*, 129. 167. *ſemel*, 169. ſeqq. *ſemel*, 250. ſeqq. *bis*, 304. ſeqq. *bis*, 349. 351. *ſemel*, 447. ſeqq.
Ælianus, *de Natura Animal.* 40. 102. 104. 125. 177. 269. 290. emend. 234. 336. 337. 391. 419. ſeqq.
Æſchylus. 33. 101. 197. 244. 436.
Æſopus. 16.
Aëtius, *Amiden.* 136. 265. 364. 406.
Agathias. 306. 307.
Alberti, *Jo. Laud.* 38. 83. 202. 427. 435. 481. 487.
Alciphron. 8. 19. 39. 134. 148. 202. 203. 209. 271. 429. 511. *ter emend.* 107. *uſque* 114. *ſemel*, 230.
Aldobrandinus. 72. 274.
Alexander Trallianus. 263. 265.
Almeloveen, *Theod. Jans.* 154.
Arnaldus, *Georg. laud.* 94. 104. 109. 135. 148. 215. 244. 292. 431. 436. 480. 495. 498.
Arnoldus, *Chriſt.* 323. 498.
Amaſæus. 14.
Ammianus Marcellin. 44. 92. 306. 307.
Ammiratus, Scip. 114.
Anacreon. 6. 78. 289. 290.
Anaxandrides. 446.

An-

Andronicus, *Rhod.* 4. 87. 191. 443.
Anthologia Græca. 78. 293. 376.
Antoninus, *Liberal*, *emend.* 17.
Antoninus, *Marc.* 67. 280. 377.
Apollonius, *Rhod.* 12. 51. 480.
Appianus *emendat.* 416. *laud.* 504. 516.
Apoſtolius, *Mich.* 77. 172. 207. 364. *emend.* 52.
Apollodorus. 492.
Apulejus. 7. 40. 50. 113. 117. 208. 263. 296. 297. 305. 307. 318. 375. 384.
bis emend. 30. *ſeqq. bis*, 77. 78. *ſemel*, 321. 513.
Arbor Vitæ, *Liber Rabbin.* 261.
Archeſtratus. 32. 160. ſeqq.
Aretæus. 171.
Arnobius. 66. 67. 406.
Arrianus. 25. 67. 186. 205. 314. 481. *emend.* 461.
Ariſtides. 216. 271. 350.
Ariſtænetus. *illuſtr.* 90. *emend.* 19. 34. *explic.* 449. 511.
Ariſtophanes. 34. 130. 143. 148. 162. 211. 286. 364. 408.
Ejusdem Schol. 4. 33. 34. 39. 41. 77. 139. 144. 208. 289. 331. 366. 431. 434. 436. 439. 441. 442. 471. 473. 474. 488. 490. 492. 505. 506.
Ariſtoteles. 22. 40. 73. 81. 83. 95. 125. 175. 191. 218. 248. 250. 269. 280. 306. 420. 471. 505. 511. 512. 413.
Artemidorus. 233. 290. 328. 329. *ter emend.* 243. ſeqq. *bis*, 453.
Athenagoras. 329.
Athenæus. 28. 32. 75. 77. 78. 96. 159. 160. 161. 167. 180. 181. 186. 197. 199. 212. 251. 263. 290. 292. 296. 315. 329. 343. 344. 345. 364. 367. 372. 377. 378. 382. 383. 385. 406. 417. 429. 434. 444. 505. 511. 512. 514. *emendat.* 411.
Avienus. 4.
Auguſtinus. 36. 57.

BArbarus, *Herm. not.* 337.
Barneſius, *Joſ.* 290.
Baronius, *Cæſar.* 514.

Barthius, *Caſp.* 29. 162. 198. 287. 215. 217. 240. 277. 323. 330. 391. 399. 433. 477. 515. *not.* 230.
Bartholinus, *Thom. laud.* 81. 411.
Bartholinus, *Caſp. laud.* 60. 400. *not.* 291.
Baſilius, *Magnus.* 41. 67. 282. 298. 378. 488.
Baudelot *de Dairval*, *not.* 326.
Baxter, *Wilb.* 384.
Becmannus, *Chriſt.* 206. 384. 434. 491. 505.
Bentlejus, *Rich. laud.* 46. 75. 254. 343.
Berckelius, *Abr.* 489. 494.
Berglerus, *Steph. laud.* 46. 106. 108. 111. 113. 115. 134. 148. 202. 204. 209. 231. 233. 315. 343. 429. *not.* 39. 230. 271.
Bernardus, *Ed.* 205. 437.
Berneggerus, *Matth.* 44. 457.
Berſmannus. 175.
Bibliotheque Germanique. 461.
Billius, *Jac.* 207. 293. 449. 506.
Blancardus, *Nic.* 205. 314.
Blackwall, *Ant. laud.* 263.
Bochartus, *Sam.* 5. 9. 10. 36. 40. 87. 93. 205. 274. 290. 291. 365. 405. 431. 433. 462. 464. 479. 490. 499. 515.
Bodinus, *Jo. not.* 35.
Bœrhaave, *Herm. laud.* 198.
Boivinius. *laud.* 59. 170.
Bongarſius. 45.
Bourdelotius. 52. 209. 210. 297.
Bos, *Lamb.* 38. 149. 209. 271. 286. 435. 487. 495. 507.
Brantius. 30. 78.
Briſſonius, *Barn.* 114. 369. 374. 412. 457. 509.
Britannicus. 375.
Brodæus, *Jo.* 114. 223.
Buchnerus, 457.
Budæus, *Guil.* 240.
Bünemannus, *Jo. Ludolph.* 3. 44. 193. 201. 359.
Burmannus, *Petr. laud.* 43. 122. 128. 145. 151. 202. 222. 230. 255. 277. 278. 282. 363. *ſeqq.* 367. 379. 398. 399. 425. 496.

Cæ-

CÆlius Aurelianus. 39. 41. 81. 153. 202. 317. 383 477. 492.
—— *emend.* 154.
Cæſar, *Jul.* 459.
Callimachus. 80. 104. 109. 399. 425.
Ejusdem Scholiaſt. 109.
Calvinus, *Jo.* 114. 240. 374.
Calvus. 262.
Cambdenus. 358.
Camerarius, *Joach.* 171.
Cangius. 475.
Canterus, *Guil.* 46.
Cappellus, *Lud.* 288. 336. 371. 375. 436. 452. 491. 506.
Capitolinus, *Jul.* 3. 4. 85.
emend. 340.
Carcinus. 471.
Caſaubonus, *Iſ.* 2. 4. 11. 13. 23. 28. 30. 36. 78. 96. 180. 186. 196. 208. 241. 249. 293. 314. 319. 324. 343. 346. 347. 362. 364. 366. 369. 374. 375. 377. 385. 406. 407. 410. 413. 431. 475. 481. 483. 487. 488. 494. 507. 509.
Caſaubonus, *Meric.* 124. *not.* 93. 188. 189. 191. 273. *ſeqq.* 314.
Caſellius, *Jac. Durant.* 113.
Caſtellanus, *Petr. not.* 116. *laud.* 331. 369.
Cato, *M. Porc.* 345. 380. *emend. bis.* 465.
Caſtellus, *Barthol.* 256.
Cato, *Valer.* 323.
Catullus. 565. 367. 370.
Cellarius, *Chriſt.* 48. 205.
Celſus, *Corn.* 69. 81. 383. 477.
Cenſorinus. 451.
Charterius, *Renat.* 56.
Chriſtianus, *Florens.* 143. 393. 432. 488. 490. 498.
Chryſippus. 160. 161. 385.
Chriſtophorus, *Alexandrin.* 351.
Chryſoſtomus, *Jo.* 41. 67. 79. 93. 279. 282. 293. 378. 407. 444. 488.
Ciacconius, *Petr.* 223.

Cicero.

Cicero. 2. 3. 7. 12. 22. 54. 61. 67. 100. 101. 115. 120. 131. 173. 185. 192. 193. 196. 227. 238. 321. 322. 330. 342. 366. 371. 372. 375. 377. 378. 382. 383. 385. 424. 446. 450. 462.
emend. 66. 229. 254.
Ciofanus. 4.
Claſſenius. 326.
Clauderus, *Gabr.* 195.
Claudianus. 3. 4. 14. 49. 55. 132. 194. 223. 232. 309. 399.
Claudianus Mamertus. 78.
Clemens Alexandrin. 41. 227. 228. 263. 279. 280. 330. 337. 377. 404. 407. 408. 411. 413. 437.
Clemens Roman. 215. 282. 298.
Clericus, *Jo.* 20. 28. 79. 93. 120. 147. 183. 185. 238. 334. 336. 347. 377. 411. 431. 461. 490.
Clericus, *Dan.* 365.
Codex Juſt. 240.
Cognatus, *Gilb.* 114.
Cointus, *Smyrn.* 111. 462.
Colerus. 196. 197.
Colomeſius, *Paull.* 153. 508.
Conſtantinus, *Imp.* 454.
Columella. 17. 22. 113. 120. 168. 179. 370. 446. 450. *emend.* 150.
Cratinus. 345.
Crauſerus, *Georg.* 298. 488.
Creſollius, *Lud.* 102. 162.
la Croze, *Maturin. Veyſſiere, laud.* 108.
Cudworthus, *Radulph. laud.* 67. 365. 366. 394. 431. 481.
Cujacius, *Jac.* 114. 240. 346. 374. 397.
Cuperus, *Gisbert. not.* 115. 260. 360. *laud.* 237.
Curtius, Quint. 22. 30. 123. 166. 186. 194. 205. *emend.* 47. *ad* 51. 127. 239. *ſeqq.* 414.
Cyprianus. 3.

DAirval. *vid.* Baudelot.
Dalechampius. 42. 181.
Dauſquejus, 452.

Demo-

Democritus. 417. 420.
Demoſthenes. 212. 230.
Devlingius, *Sal.* 402.
Dialogus, *de claris orat. bis emend.* 99. 101. *ter*, 173. 174.
Dietericus. 485.
Digeſta. 114. 212. 240. 362. 373. 380. 488. *emend.* 397. *ſeqq.*
Dio Caſſius. 307. 461.
Dio Chryſoſtomus. 73. 167. 218. 252. 328. 329.
Diodorus Siculus. 9. 10. 65. 69. 195. 197. 300. 413. 491.
Diogenes Laërtius. 195. 251. 260. *vindicat.* 23. *emend.* 45. 46. 73. *ter à* 124. *ad* 126. *ter*, *à* 147. *ad* 149. *bis*, 188. *ſeqq. ſemel*, 226. *ſeqq. ſemel*, 274. *ſeqq. ſemel*, 314. *ſeqq. ſemel*, 357.
Diomedes. 152.
Dionyſius, *Halcarn.* 33. 66. 83. 122. 142. 143. 144. 148. 162. 171. 186. 200. 214. 232. 236. 244. 296. 328. 334. 349. 351. 375. 377. 438. 448. 464. 485. 504.
Dionyſius Longinus. 230. 232. *bis emend.* 59. 60.
Dionyſius, *perieget.* 232.
Dioſcorides. 108. 143. 146. 197. 263. 364. 382. 383. 400. 406. 489.
Diphilus, *emend.* 96. *ſeqq.*
Donatus. 79.
Dougtæus, *Jo.* 93. 241.
Douza, *Jan.* 100. 406. 429.
Drakenborchius, *Arnold. laud.* 19. 187.
Druſius. 479. 499.
Ducæus, *Fronto.* 505.
Dukerus, *Carl. Andr. laud.* 24. 380. 440.

ELmenhorſtius, *Geverh.* 31. 77. 307. 320. 322.
Elſnerus, *Jac. laud.* 201. 377. 478.
Emmeneſſeus. 69.
Ennius, *emend.* 31.
Epictetus. 481.
Epicurus. 158. ſeqq.

Era-

Eraſmus, *Roterod.* 77. 78. 112. 114. 364. 470.
Erotianus. 40. 42. 137. 170. 171. 332. 476.
Etymologicum Magnum. 478.
Eunapius. 73.
Euripides. 51. 168. 217. 289. 290. 307. 308. 351. 452.
Euſebius. 113. 295. 378. 454. 494. 509.
Euſtachius, *Barthol.* 40. 171. 332. 476.
Euſtathius. 75. 175. 195. 209. 331. 332. 471. 506.

FAber, *Tanaq. laud.* 84. 210. 238. 249. 300. *not.* 59. 128. 170. 487.
Fabra, *Anna.* 24. 25.
Fabricius, *Jo. Alb. laud.* 180. 229. 322. 351. 402. 408. 440. 471. 515.
Fazellus. 65.
Feſſelius. 508.
Feſtus. 373. 384. 198. 466.
Ferrarius, *Octav.* 85. 362. 473.
Figrelius, *Edmund.* 334.
Firmicus, *Julius.* 241. 331.
Florus. 12. 238. 246. *ſæpius emendat.* à p. 25. ad 27. *illuſtrat.* 462.
Fœſius, *Anut.* 42. 171. 257. 267. 332. 421. 431. 474. 476. 485. 504. 513.
Freind, *Jo.* 267.
Frenzelius. 435.
Freinshemius, *Jo.* 22. 24. 25. 26. 41. 193. 238. 240.
Frickius. 515.
Fulgentius. 322.
Fullerus, *Nic.* 384. 393. 405.
Fungerus. *not.* 256.

GAle, *Thom.* 207. 280.
Galenus. 40. 42. 108. 136. 143. 233. 263. 265. 364. 367. 374. 382. 383. 406. 417. 422. 426. 433. 476. 504. *emend.* 56. 136.
Galtherus, *Phil.* 456. 463.
Gatakerus, *Thom.* 46. 178. 296. 377. 431. 433.
Gebhardus. 290.
Geierus, *Mart.* 90.

Gellius,

Gellius, *Aul.* 115. 297. 322. 372. 373. 380. 466.
Gentilis, *Scip.* 12. 213. 319. 375.
Gentius, *Guil.* 114.
Georgius. 236.
Geſnerus, *Conr.* 83. 170. 335. 336. 351. 416.
Geſnerus, *Jo. Matth.* 55. 81. 150. 151. 152. 155. 213. 380. 465. 466.
Gloſſæ antiquæ. 88. 241. 434. 362. *emend.* 297. 475.
Giſanius. 466.
Gonſalius. 230. 429.
Gorræus, *Jo.* 256. 485.
Gothofredus, *Dionyſ.* 240. 362. 374.
Grabius, *Jo. Ern.* 158. 515.
Grævius, *Jo. Georg.* 24. *ſeqq.* 63. 343. 372. 446.
Grangæus. 191. 330. 378.
Gregorius, *Nazianz.* 67. 95. 279. 321. 407.
Gronovius, *Jo. Fr.* 20. 25. 26. 48. 99. 121. 127. 138. 140. 165. 179. 183. 184. *ſeqq.* 163. 220. 238. 252. 254. 316. 343. 349. 353. 354. 359. 362. 374. 378. 395. 413. 423. 443. 445. 446. 450. 484. 500. 516.
Gronovius, *Jac.* 32. 116. 129. 165. 187. 199. 351. 461.
Gronovius, *Abr. laud.* 82. 180. 231. 301. 349.
Grotius, *Hugo.* 11. 12. 83. 130. 133. 209. 237. 241. 319. 341. 377. 397. 401. 403. 406. 431. 442. 444. 445. 479. 491. 508. 509.
Gruterus, *Jan.* 2. 63. 113. 123. 220. 253. 311. 353.
Gryphius, *Andr. laud.* 195.
Guidott, *Thom.* 461.
Guietus. 89. 389. 361. 470. 476. 484. 491. 497. 501.
Gyraldus. *Lil. Greg.* 15.

HArduinus, *Jo. not.* 42. 85. 409.
laud. 327. 329. 337. 341. 341. 370. 375. 380. 382. 400. 451. 514.
Hare, *Franc. laud.* 27.
Harmenopulus, *Conſtant.* 212.
Harpocration. 31. 366. 433. 471.
Haymius. 364.
Heinſius, *Dan.* 4. 118. 377. 439. 442. 477. 487. 488.
Heinſius, *Nic.* 3. 4. 24. 25. 146. 170. 373. 380. 383. 496.

Helladius. 41. 42.
Heliodorus. 120. 166. 167. 203. 233. 288. 305. 412. *ter emend. à* 214. *ad* 218.
Henninius. 85. 375. 398.
Hemſterhuis, *Tib.* 364. 387.
Henningius. 90. 195. 442.
Hermogenis *Scholiaſtes.* 333.
Heraldus, *Deſid.* 88. 92. 163. 385. 398. 403. 409. 433.
Herodianus. 70. 166. 233. 275. 407. 412.
Heraclides *Pontic. tentat.* 489.
Herodotus. 195. 197. 351. 429. 494.
Heſiodus. 130. 182. 234. 375. 443. 445. 497. 509.
Heſychius. 5. 14. 15. 24. 31. 32. 33. 34. 36. 76. 77. 94. 97. 103. 104. 105. 106. 109. 110. 125. 141. 142. 143. 144. 147. 148. 149. 155. 162. 168. 169. 170. 171. 178. 190. 197. 201. 203. 215. 233. 234. 249. 250. 257. 260. 262. 270. 290. 304. 305. 308. 315. 316. 325. 327. 311. 312. 333. 345. 352. 357. 366. 374. 377. 384. 385. 398. 402. 404. 405. 408. 411. 426. 456. 461. 511. 512. 413. 515.
emendat. ſæpiſſime, 4. 7. 37. *à* p. 38. *ad* 42. *à* 87. *ad* 91. 120. *à* 134. *ad* 137. 139. 144. 198. *à* 205. *ad* 210. 258. *à* 284. *ad* 296. 298. 332. *à pag.* 389. *ad* 395. 402. 420. *à pag.* 425. *ad* 442. *à pag.* 470. *ad* 510.
Heuſingerus. 457.
Hieronymus. 406.
Hippocrates. 39. 42. 98. 135. 136. 143. 148. 176. 212. 214. 259. 315. 351. 364. 374. 375. 376. 382. 383. 391. 421. 426. 439. 474. 475. 485. 487. 506. 513.
emend. 136. 177. *Locis* 18. *à p.* 255. *ad* 272. 315.
Hodyus. 515.
Hofmannus, *Caſp. not.* 56. *laud.* 439.
Holſtenius, *Luc.* 205. 249. 494.
Homerus. 3. 12. 33. 50. 51. 75. 88. 110. 111. 130. 209. 217. 270. 327. 366. 429. 497.
Ejusdem Scholiaſtes. 482.
Horapollo. *emend.* 235. 438. 483. *illuſtr.* 464. 465.
Horatius, *Flacc.* 23. 54. 100. 154. 155. 158. 193. 222. 229. 278. 290. 377. 368. 383. 444. 487. 511.
Huetius, *Petr. Dan.* 431.
Hugo, *Herm.* 344.

Hyde,

Hutchinus, *ſeu* Thirlby. 158.
Hyde, *Thom.* 348.
Hyginus. 116. 296. 370.

JAmblichus. 124.
Ignatius. 505.
Jebb. *Sam.* 216. 350.
Jenſius, *Jo.* 296. 446.
Joſephus, *Flav.* 113. 314. 341. 437.
Jon. 401.
Iſidorus, *Peluſiota.* 275. 282. 298. 407. 488. 505.
Iſidorus, *Hiſpalenſ.* 65. 244. 341. *emend.* 36. 37. 296.
Iſocrates. 280. 351. 448.
Juba. 296.
Julianus, *Imp.* 216. 223. 280. *emend.* 6.
Junius, *Hadr.* 198. 205. 306. 343. 399. 474. 496. 508.
Junius, *Franc.* 428.
Juſtinus, *Martyr. emend.* 159. *ſeqq. laud.* 378.
Juſtinus, *Hiſt.* 166. 167. 193. 246. 346. 457. *emend.* 43.
Juvenalis. 84. 98. 122. 159. 208. 322. 330. 342. 344. 375. 378. 398.
Ejusdem Scholiaſt. *emend.* 85. 116. 211. 212.

KEyslerus, *Jo. Georg. laud.* 36.
Kippingius. 69. 70. 223.
Kircherus, *Athanaſ.* 195. 437.
Kirchmannus. 69. 70. 90. 394.
Kobierzykius. 223.
Kortholtus, *Chr.* 148.
Kühnius, *Ioach.* 124. 147. 200. 228. 259. 275. 314. 356. 386. 449. 489. *not.* 13. 45. 125. 130. 170. 189. 250. 273. 352. 388. 447. 512.
Küſterus, *Lud.* 393. 401. 412. 500.

LAberius. 312. 324.
Lactantius. 2. 3. 44. 67. 191. 193. 201. 254. 328. 359. 451. 459.
Lakemacherus. 346.
Lambecius, *Petr.* 111.

Lactantius, *Statii Scholiaſt. emend.* 451. *ſeqq.*
Lambinus. 63. *not.* 64. 210.
Lampridius, Æl. 12. 43. 153. 221. 239. 344. 346. *emend.* 11.
Langguth. 110.
Langius, *Jo.* 114. 165.
Langus, *Jo.* 158.
Latherus, *Herm.* 114.
Leopardus, *Paul. laud.* 82. 89.
Licetus, *Fort.* 195.
Libanius. 186. 273. 446. 516.
Lindenbrogius. 451.
Lipſius, *Juſt.* 21. 22. 24. 57. 62. 67. 94. 138. 140. 147. 173. 178. 191. 192. 193. 202. 207. 220. 223. 240. 252. 311. 347. 353. 359. 377. 414. 423. 442. 446. 456. 457.
Livius. 12. 69. 179. 193. 196. 200. 230. 237. 247. 248. 307. 313. 328. 330. 346. 372. 374. 375. 425. 426.
emend. à p. 20. *ad* 23. *à* 120. *ad* 123. *à* 183. *ad* 187.
Lomeier. 394.
Longus. 163. 209. 388. 399.
Lindanus, *not.* 501.
Lucanus. 12. 40. 50. 57. 92. 100. 164. 185. 194. 222. 237. 269. 347. 355. 356. 451.
emend. à p. 53. *ad* 55. *ſemel*, 186.
Lucianus. 37. 44. 52. 90. 102. 110. 111. 167. 185. 203. 212. 251. 275. 280. 368. 370. 378. 407. 424. 438.
Lucretius. 22. 143. 210. 278. 450. 487.
Ludolfus, *Job.* 515.
Lundius, *Laur.* 242.
Lycophron. 5.
Lydius, *Jac.* 442.

MÆſtræus, *Martial.* 505.
Macrobius. 8. 191. 263. 322. 409. 511. *tentat.* 40.
Maimonides. 394.
Majus, *Jo. Henr.* 282.
Malala, *Jo.* 46.
Malchus, *ſeu* Porphyrius. 124.

Mane-

Manetho. 217. 305. 327.
Manilius. 48. 95. 166. 201. 224.
Manutius. 63.
Matius. 451.
Mauricius. 186. 350.
Maximus *Tyrius.* 59. 159. 166. 377. 444. 513.
Maximus, *Sanct.* 293. 438.
Markland. *Jerem. laud.* 27. 65. 294.
Martialis. 75. 85. 127. 163. 195. 217. 223. 322. 329. 383. 399.
Martinus, *Georg.* 46.
Martinius, *Matth.* 384. 434.
Mauſſacus, *Phil. Jac.* 433. 471.
Meibomius, *Marc. not.* 148. 226. 356.
Meibomius, *Jo. Henr.* 197.
Meliſſa, *Philoſopha*, 280. *emend.* 281.
Menagius, *Æg.* 45. 46. 114. 240. 274. 374. 378. 383. *not.* 23. 72. 93. 188. 189. 314.
Menander, *Comicus. emend.* 28. 80. 118. 319. 334. 411.
Mercerus, *Joſ.* 19. 353.
Mercurialis, *Hieron.* 262. 489. 512.
Meurſius, *Jo.* 41. 42. 110. 159. 209. 223. 346. 347. 442. 455. 475. 487. 511.
Mimnermus. 111.
Millius, *Dav.* 384. 482. 490. 512. 515.
Minucius Felix. 67.
Modius, *Franc.* 45. 48.
Moll, *Petr.* 163. 209. 213. 388. 399. 487.
Montfaucon, *Bernard.* 334. 336. 344. 352. 364. 375. 431. 433. 434. 479. 480. 482. 486. 493. 498. 500.
Morellus, *Fr.* 329.
Morinus, *Steph.* 431. 437. 479.
Morus, *Alex.* 513.
Moshemius, *Jo. Laur. laud.* 365. 366. 394. 431. 481.
le Moyne, *Steph.* 263. 407. 416. 431. 439. *not.* 73.
Munckerus, *Thom.* 116. 201. 296. 297. 368. *not.* 18.

Muretus, *Marc. Ant.* 62. 193. 296. 353 409. &c.
not. 22. 146. 193.
Muſæus. 273.
Muſambertus, *Pſevdon.* 399.

NArdius. 195.
Naumachius. 401.
Nemeſianus. 277.
Nemeſius. 81.
Nicander, *emend.* 182. *laud.* 420. 489.
Ejusdem Scholiaſt. 40.
Nicephorus, Gregoras. 124. 293. 351. 506.
Nicephorus Conſtantinopol. *emendat.* 455.
Nicolai. 90.
Nicoſtratus. 411.
Nonius, *Marcell.* 123. 154. 168. 324. 380. 400. 451. 466.
Nonnus. *not.* 273. *emend. & illuſtrat.* 9.
Novius. 154.

OBſequens, *Jul.* 307.
Olearius, *Gottfr.* 508.
Oppianus. 104. 175.
Ejusdem Scholiaſt. 500.
Origenes. 146.
Ovidius. 4. 14. 25. 43. 50. 117. 163. 166. 179. 203. 212. 213. 218 223. 224. 276. 278. 330. 384. 399. 406. 467. 476. 487. 496.
emendat. 146. *vindicat.* 202. *ſeqq.*
Oudendorpius, *Franc.* 54.

PAlladius. 22. 150. 374.
Palmerius, *Jac.* 14. 17. 40. 87. 89. 205. 207. 258. 336. 441. 442. 470. 477. 485. 494. 506.
Pantinus, *Petr.* 52.
Pauſanias. *ter emend.* 13. *ſeqq.* *laud.* 330. 331. 336. 470.
Paſſeratius, *Jo.* 224. 283. 467.
Pauw, *Jo. Corn.* 102. *ſeqq.* 141. *ſeqq.* 231. *ſeqq.* 340. 417. 438.

Pentadius. 223.
Perionius. 158.
Perſius. 3. 4. 377. 487.
Ejusdem Scholiaſt. 12.
Perizonius, *Jac.* 32. 33. 129. 130. 187. 199. 250. 259. 300. 303. 349. 350. 351. 447. 448. 449.
Petavius, *Dionyſ.* 6. 66. 409. 483.
Petitus, *Sam. not.* 249. *laud.* 343. 408. 487.
Petitus, *Petr.* 73. 174. *not.* 65.
Petronius Arbiter. 39. 40. 48. 50. 62. 98. 122. 127. 153. 155. 159. 163. 167. 168. 173. 185. 212. 213. 222. 229. 283. 297. 334. 344. 398. 425. 429. 496. *emend.* 209. *vicies emend. à p.* 462. *ad* 386.
Pfeifferus. 369. 394.
Phædrus. 17. 40. 127. 255.
emendat. 283. *ſeqq.*
Phavorinus. 125. 420.
Philænis. 158.
Philargyrius Cantabrig. *Pſeudonymus.* 29. 461.
Phile. *ſæpius emend. à p.* 103. *ad* 106. *à* 141. *ad* 144. *à* 175. *ad* 178.
Philemon. 93. 319.
Phileleutherus, *Lipſ.* Pſeudonymus. 20. 80. 411.
Philippus. 17.
Philo Judæus. 10. 41. 74. 162. 233. 260. 273. 279. 378. 407. 437. 446. 453. 463.
Philoſtratus. 411. 511.
Photius. 41. 375. 471.
Pichena. 131. 193. 311.
Pignorius. 399.
Pincianus. 178. *not.* 337. 353.
Pincierus, *Jo.* 30.
Pindarus. 217. 349.
Pitiſcus, *Sam.* 399.
Pius, *Jo.Bapt.* 113.
Plato. 81. 212. 271. 273. 279. 280. 308. 349. 438. 513.
Plautus. 44. 77. 78. 101. 163. 181. 194. 196. 346. 364. 372. 375. 384. 450. 459. 487.
Plazius. 238.

Plinius, *major*. 13. 17. 22. 30. 40. 41. 54. 68. 79. 85. 95. 108. 110. 146. 165. 168. 175. 179. 224. 230. 312. 317. 325. 329. 330. 336. 337. 340. 342. 346. 348. 362. 363. 364. 370. 375. 380. 382. 383. 388. 399. 400. 405. 409. 423. 428. 449. 450. 451. 457. 459. 494.
Plinius, *jun*. 128.
Plutarchus. 12. 22. 65. 67. 74. 77. 79. 81. 83. 111. 185. 186. 190. 200. 205. 212. 248. 251. 260. 280. 293. 303. 315. 378. 382. 417. 420. 421. 438. 444. 487. 504. 505. 506. 511. 512. 513. 516.
Pollux, *Jul*. 136. 364. 377. 394. 398. 407. 408. 433. 512. *emend*. 388.
Polybius. 315.
Polyænus. 186.
Portus. 401. 432.
Porphyrius. 110.
Pomponius. 168. 362.
Pontanus. *not*. 8. 178. 240. *laud*. 514.
Pontedera, *Jul*. 150.
Popma, *Auſon*. 378. 465.
Potterus, *Jo*. 5. 158. 394.
Priapeja Carmina. 153. 154. 155. 213. 342. 385.
Pricæus, *Jo*. 29. 78. 208. 280. 282. 296. 297. 319. 320. 322. 377. 378. 403. 406. 505.
Priſcianus. 142.
Proclus, *emend*. 361.
Propertius. 212. 277. 330. 492.
Prudentius. 128. 331. 332.
Pſellus, *Mich*. 203.
Publius Syrus, *mimus*. 253. 312.

QUinctilianus, *Fab*. 55. 90. 95. 173. 446. *emendat*. 153.
Quintus Calaber, *vid*. Cointus Smyrnæus.

RAderus, *Matth*. 223. 398.
Raphelius. 506.
Reimarus. 393.
Reineſius, *Thom*. 82. 154. 287. 322. 347. 373. 431. 440. 470. 491. 499. *not*. 6. 35. 130. 369.

Re-

Relandus, *Hadr.* 205. 295. 341.
Rigaltius, *Nic.* 222. 243. *ſeqq.* 290. 398. 406. 442. 454. 455. 480.
Rittershuſius, *Conr.* 104. 124. 212. 238. 293. 330.
Rivinus, *Andr.* 196.
Robeck, *Jo. not.* 423.
Roſinus, *Jo.* 69.
Rubenius, *Albert.* 187. 221.
Rubenius, *Phil.* 138.
Rufus Epheſ. 81. 136.
Rupertus, *Chr. Adam.* 24.
Rutgerſius, *Jan.* 116. 117. 118. 212. 240. 252. 300. *ſeqq.* 337. 342. 347. 337. 413.
not. 86. 100. 211.
Ryckius, *Theodor.* 165.

SAlinerius, *not.* 358.
Salmaſius, *Claud.* 2. 4. 8. 11. 13. 24. 26. 37. 42. 76. 85. 92. 108. 120. 130. 153. 205. 215. 221. 223. 240. 258. 289. 324. 334. 339. 342. 343. 346. 347. 364. 374. 386. 388. 402. 403. 406. 408. 415. 425. 428. 429. 435. 441. 442. 470. 476. 478. 483. 485. 489. 492.
Salluſtius. 122. 166. 312. 313. 424. 459.
emend. 122.
Sappho. 231.
Saubertus. 515.
Saresberienſis, *Jo.* 208. 307.
Scævola. 380.
Scaliger, *Jul. Cæſ.* 266. 505.
Scaliger, *Joſ.* 4. 62. 77. 96. 121. 139. 194. 201. 223. 285. 295. 342. 353. 393. 398. 399. 412. 427. 437. 443. 466. 469. 512.
Schrevelius. 184.
Schefferus, *Jo.* 129. 170. 200. 238. 250. 300. 350. 363. 369. 377. 408. 447.
Scioppius, *Caſp.* 153.
Schottus, *Andr.* 63.

Scriverius, *Petr.* 252. 349.
Seldenus, *Jo.* 326. 365.
Seneca, *Philoſ.* 2. 13. 21. 22. 44. 48. 54. 67. 69. 79. 101. 103. 127. 150. 164. 191. 193. 203. 207. 224. 241. 246. 247. 249. 253. 254. 257. 279. 307. 330. 342. 354. 374. 375. 376. 378. 423. 445. 450. 451. 458. 459. 493. 496.
tent. 155. *emendat.* 8. *bis* 61. 62. *ſemel.* 95. *quater, à pag.* 138. *ad* 141. *ſemel*, 179. *ſemel*, 221. *ſeqq. ſemel*, 253. *ſemel*, 316. *ſemel*, 353. *ſemel*, 414. *ſemel*, 444. *bis*, 456. *ſeqq.*
Seneca, *Tragicus.* 2. 25. 43. 54. 90. 306. 423. 459. 463.
Seberus. 388.
Septuaginta Interpp. 75. 90. 215. 336. 373. 402. 404. 509.
Serapio. 146.
Serenus *Samonicus.* 383.
Servius, *bis emend.* 115. 116.
Severus, *Corn.* 305.
Sextus, *Empiricus.* 229.
Sidonius, *Apollinar.* 78.
Sigonius, *Car.* 22.
Simonius, *Rich.* 178.
Silius, *Ital.* 133. 167. 194. 451. 458. 463.
Sligtenhorſtius. *not.* 145.
Sophocles. 75. 101. 237. 436.
Sopingius. 42. 205. 206. 285. 295. 426. 435. 438. 439. 477. 478. 481. 483. 485. 482. 494. 496. 498. 506. &c.
Sotades. 158. *ſeqq.*
Souterius. *vid.* Scriverius.
Spanhemius, *Ezech.* 80. 104. 109. 394. 399. 402. 425. 491. 495.
Spartianus, *Æl.* 239. 374.
Stapel, *Jo. Bod.* 108. 109. 110. 146. 364. 489.
Statius, *Papin.* 3. 50. 54. 55. 237.
Stephanus, *Byzant.* 5. 205. 489. 494.
Stephanus, *Henr.* 46. 136. 256. 290. 357. 371. 439. 476. 490.

Stobæus,

Stobæus, *Jo.* 79. 111. 279. 319. 401. 471.
Stuckius. 431.
Strabo. 77. 195. 197. 248. 336. 341. 388. 401. 472. 489. 494. 512.
Swartius, *Euſtath.* 290. 409. 495.
Suaningius. 67. 207.
Suetonius. 17. 179. 241. 307. 354. 507.
Suicerus. 207.
Suidas. 4. 31. 32. 33. 34. 40. 41. 77. 88. 110. 139. 144. 149. 162. 167. 172. 192. 203. 207. 208. 215. 216. 288. 292. 303. 315. 331. 337. 345. 352. 366. 378. 385. 392. 394. 395. 398. 401. 406. 425. 431. 432. 433. 434. 436. 438. 441. 461. 471. 474. 475. 476. 478. 479. 482. 483. 484. 487. 488. 489. 490. 492. 494. 496. 497. 499. 500. 504. 505. 506. 507.
Sylburgius. 14. 336.
Symmachus. 127.

Tacitus, *Corn.* 31. 43. 121. 127. 202. 241. 340. 341. 354. 355. 371. 451. 456. 457.
emend. bis, à p. 16. *ad* 17. 21. 57. 85. *ter à p.* 131. *ad* 133. *ſemel*, 165. *bis*, 246. 247. *bis*, 311. 312. *ſemel*, 359. *bis*, 423.
Taubmannus, *Frid.* 77. 116. 282.
Tellierius. 240.
Terentius. 79. 120. 372. 375.
Tertullianus. 113. 117. 280. 322. 372. 513.
emendat. 415.
Themiſtius. 4. 41. 162. 274. 407. 446. 448. 483.
Theocritus. 108. 109. 209. 244. 322. 368. 452. 497.
Ejusdem Scholiaſt. 109. 209. 210.
Theodoretus. 189.
Theophilus, *Protoſpath.* 81. 265. 439. 461.
Theophraſtus, *Ereſ.* 12. 17. 108. 109. 146. 364. 382. 475. 489.
Theophylactus. 362.
Theophylactus, *Simocatt.* 202. 216. 462.
Thucydides. 308. 336. 438. 499.
Teſtamentum Novum. 10. 32. 46. 83. 97. 104. 106. 144. 166.

166. 167. 168. 212. 241. 262. 282. 298. 315. 350. 362. 375. 377. 442. 506. 508.
Teſtamentum Vetus. 36. 75. 90. 200. 260. 331. 373. 497. 509.
Tibullus. 4. 487.
Timæus. 486.
Titius, *Rob.* 277. 399. &c. *not.* 121. 194. 412.
Tollius, *Alex. not.* 416.
Tollius, *Corn. not.* 26.
Tollius, *Jac. not.* 59.
Tryphiodorus. 452.
Trebellius Pollio, *tent.* 92. *laud.* 307. *emend.* 328. *ſeqq.*
Turnebus, *Adr.* 62. 63. 114. 120. 254. 409.
Tzezes, *Iſ. emend.* 5.

VAlla, *Laur.* 23.
Valerius Maxim. 68. 253. 346. 490.
Valeſius, *Henr.* 295. 306. 386. 509.
Valleſius, *Franc.* 267.
Varro. 82. 115. 149. 370. 380. 398. 400. *ſexies emendat à p.* 466. *ad* 459.
Vechnerus. 218. 378. 457.
Vegetius. *bis emend.* 81. *laud.* 374.
Verburgius, *Iſ.* 64. 120. 229.
Vetranius. 354.
Victorius. 63. 380. 465.
Villiomarus, Yvo, *vid.* Joſ. Scaliger.
Vink, *Dan.* 8.
Virgilius. 2. 4. 17. 22. 50. 55. 74. 100. 115. 168. 237. 297. 306. 322. 369. 384. 451. *emend.* 277.
Vitringa, *Horat. laud.* 512.
Vitringa, *Campeg. laud.* 262.
Vitruvius. 325. 328. 334. 409.
Vopiſcus, *Flav. emend.* 1.
Vorſtius, *Jo. not.* 511.
Voſſius, *Jo. Gerb.* 206. 326. 365. 384. 434. 437. 488. 491.
Voſſius, *Iſ. laud.* 60. 178. 223. 322. 333. 372. 509.
Vul-

Vulcanius, *Bonavent.* 296. 306. 343.
Vulcatius, *Gallican.* 12.
Ulpianus, *Ict.* 380. 477.
Urſinus. 465. 467. 469.

W Achterus, *Jo. Georg. laud.* 292.
Wagenſeilius, *Jo. Chr.* 66. 399. 405. 509.
Wedelius, *Georg. Wolfg.* 403.
Wendelinus. 216.
Weizius. 213.
Weſſeling, *Petr. laud.* 142. 201. 417. 515.
Wetſtenius, *Jo. Rodolf.* 46.
Wolfius, *Jo. Chr.* 93. 97. 110. 178. 199. 212. 229. 241. 282. 285. 377. 393. 432. 471. 472. 477. 479. 487. 488. 498. 506. 508.
Wolfius, *Jo. Chriſtian.* 433.
Wouwerius, *Jo.* 297. 334. 398.

X Enophon. 9. 185. 203. 218. 271. 280. 378. 388. 401. 448. 506.

Z Ellerus. 394.
Zenobius. 364.
Zeillerus, *Mart.* 114.
Zoroaſter. 110.

INDEX II.

INDEX II.

VOCUM ORIENTALIUM,

Quæ illuſtrantur & explicantur.

א

אדם עפר מרה בשר *partes hominis primitivæ, ſecundum Hebræos.* 261.
אנדרוגינוס *Androgynus.* 509.
אפרח. 490.
ארמון. 289.
אשרה Inde *Iſis* habet nomen. 464.
אשתא *Febris* Syris. 39.
אתון *Fornax*, unde *Ætnæ* nomen. 47.

ב

בהמת הארץ *Beſtiæ Terræ.* 75.
בוץ *Cænum*, inde ψόθος. 441.
בלבל & בלל, unde Βάβαξ & *Balbus.* 479.
ברות *Alimentum*, unde Græcorum Βρωτὺς & Βρωτὸν, & Germanorum *Brodt.* 198.

ד

דלק *Arſit*, unde Θαλυκρὸν, θερμὸν. 490.

ה

הדר *Gloria* ſeu *eximium* rerum omnium. 217.
הרה & הורה. 742.
הרים *Montes*, inde τὰ ὄρη & Ἕρματα. 288.

ח

חור־אובדן *Charybdis.* 291.
חלף. 483.
חמרה omnis *potus calidus* & *inebrians.* 262.

חפירא

חפירא & חפר *Fodere* & *Cavernæ*. 286.
חרבה & חרבורת *Vaſtatio*, inde Nomen *Charybdis*. 291.
חרטום *Magus*, inde *Dardanus*. 114. 512.
חריש *Lapides acuti* in *Mari*. 288.
חתה. 216.

י

ילל & יללה unde Græcorum ὀλολύζειν, Latinorum *Ejulare* & *Ululare*, & Germanorum *Heulen*. 491.

כ

כבוד *Gloria* ſeu eximium aliquid. 217.
כזב & כדב unde Κίδαφος, *Vulpes*. 430.
כוחל *Stibium*. 402.
כוכב unde κίκυβος, *Lux*, *Stella*. 431.
כיס unde Κίστη, *Ciſta* & German. *Kiſte*. 434.
כלבים *Canes* cadaverum adpetentes. 75.
כשפים & כשף. 430.

ל

לבן *Albeſcere*, de *Stellis*. 452.
לבנה *Luna*, ab albido pallore. ibid.
לצון & לוץ. 436.
לושן *Calumniari*, unde? 207.
לטים & לטין *Incantationes* & *blaſphemiæ*. 205.

מ

מגור *Magur*, Μέγαρον, *Habitatio*. 499.
מורא à מוראים Μόρμοι, *Terrores*. 497.
מחלה *Morbus*, de *Animi Paſſionibus*. 377.
מי Μῶϋ, *Aqua* Ægypt. 437.
מרדה unde Μαργός. 479.
ממר & מר, πικρία. 506.
מרום. 289.

מתופפות *plangentes puellæ.* 90.

נ

נער à נערים Νεαροὶ, *pueri*, *ſtulti infantes*, unde German. *Narr.* 390. 498.

נער Ἀναρεῖν. 390.

נתן לחיי אל כלמות de iis, qui *injuriis ora præbent.* 373.

ע

עוף *Aves carnivoræ.* 75.

עלעול & עעול, inde Ἄελλα & *Æolus.* 464.

עלה השמים proverbium *de ſumma felicitate.* 100.

עלל *Fecit*, *peregit*, ſenſu obſceno. 163.

עקוב עקבה & עקב 427.

עקר. 516.

עשה *Fecit*, *Egit*, ſenſu obſceno. 163.

פ

פוך *Stibium*, unde Græcorum Φῦκος & Latinorum *Fucus.* 402.

פתאם פתאם & פתע *Cito*, *Repente*, inde Græcorum Φίττα. 210.

צ

צוחור *Petra.* 5.

ק

קדח. 431.

קדם inde Κέδμα. 426.

קדש *Cinædus.* 509.

קום unde Κῶμος. 488.

קצף Σκύζη, *Ira æſtuans.* 507.

קרן *Cornu*, unde κέρας Græcor. & Germanorum *Horn*, aliaque. 402.

קרן־הפוך *Kerenhapuch*, *Cornu Stibii*, Tertia *Jobi Filia* ob miram Pulchritudinem. 401.

ר

רדם *Dormio.* 285.

רמך *Equa* & *Meretrix.* 290.

ש

שבע *Saturitas.* Unde Ægyptiorum Σβῶ, *plenum Alimentum.* 465.

שמועה & שמע *Fama Bona* & *Mala.* 509.

שעירים *Piloſi Dæmones.* 36.

שקיפי & שקיף. 5.

שרק Σαρκάζειν, *Exſibilare.* 505.

שתיה & שתה unde forſan *Ægyptiorum potus bordeaceus* conſuetus Ζύθος, *Zythus.* 198.

ת

תופני *Coctiones*, unde Τύφειν & *Typhæus*, *gigas ignivomus.* 490.

תרדמה *Sopor*, unde Græcorum Δαρθεῖν, & Latinorum *Dormire.* 284. 285.

INDEX

INDEX III.

VOCUM GRÆCARUM,

Quæ explicantur, aut emendantur.

Ἀγάλματα ὀςράκινα. 328.
Ἄγειν, *vehere* & *canere*, 24. item *ferre*, 141.
Ἄγειν ὀφρῦς. 202.
Ἄγος. 395.
Ἄγραι, *venationes*, *prædæ*. 126.
Ἄγρια φῦλα γιγάντων. 111.
Ἄγυνος. 129.
Ἀγωνίζεσθαι, de *moribundis*. 317.
Ἀδέκαςος. 232.
Ἀδελφοί, de *Canibus*. 74. 75.
Ἀδηφαγία & Ἀδδηφαγία. 31.
Ἄελλα, *Turbo*, de hominibus turbulentis & ferocibus. 461.
—— ejus origo ex Lingua phœnicia. 464.
Ἀέροειδῆ, de Montibus procul ſitis. 191.
Ἄθρακτος, idem ac Ἀτάρακτος. 233.
Ἄθραυςος. 233.
Αἰγινητικὰ Ἔργα, 470.
Αἰτία, *Cauſſa*, morbus, corporis vitium. 374.
Ἀκάμας. 118.
Ἀκίβδηλον, de genuinis aquilarum pullis. 235. ſqq.
Ἀκριβώσασθαι. 97.
Ἀκρία, *Minerva*. 325.
Ἀκρόλιθος Statua. 325.
Ἀκροπόδια. 47.

Ἀκρώ-

Ἀκρώρεια & Ἀκρωρείτης. 5.
Ἀλάβη, Ἀλάβαςρον, Ἀλάβηςρον, & Ἀλάβωςρον, item Ἀλαβῶδες. 471. 472. 473.
Ἀλαζονεύεσθαι. 475.
Ἀλαλημένος. 475.
Ἁλισμὸς, *ſalitura*, *muria*. 73.
Ἀλλοφάσσειν, de *delirantibus*. 476.
Ἁμαρτῆ & Ἁμαρτήσαντες. 93. 94.
Ἄμαχος. 118.
Ἀμπλάκητος & Ἀμπλάκιος. 233. 515.
Ἀμφαγαπαζόμενος. 389.
Ἀναγεγραμμέναι & Ἀνακεκραμμέναι, confuſa. 256. 476.
Ἀναγωγὴ, *Redhibitio*. 374.
Ἀναθυμίασις οἴνε. 263.
Ἀναρῦσα, κύυσα. 389.
Ἀναρεῖν. 390.
Ἀνδράχναι, *portulacæ*. 108.
Ἀνδρείκελον, *Fucus* & pigmentum. 401.
Ἀνεςάλησαν. 390.
Ἀνέτως. 357.
Ἀνθέρικος, *Aſphodeli caulis*, in ſacris magicis frequentis uſus. 109.
Ἀντίτομον. 390.
Ἀντίτονον. 391.
Ἀντιτοξικὸν. 391.
Ἀντιθρόνιον. 391.
Ἄνω, eleganter cum ſubſtantivis conſtructum. 83.
Ἀνωκισμένος. 260.
Ἀνώτατος. 259.
Ἀνώτατοι τόποι, *Thorax*. 259.
Ἀοιδὸς, Εὐνῦχος. 477.
Ἄυτον. 302.

Ἀπαρὲς. 392.
Ἀπαρχαί. 125.
Ἀπέραντον, *infinitum*. 513.
Ἀπιδεῖν & Ἀποβλέπειν, *attente inſpicere*. 448.
Ἀπλάκητος. 233. 515.
Ἀπόδειξις, quid? 227.
Ἀπολαύειν & Ἀποπαύειν. 275.
Ἀπολιγαίνειν. 41.
Ἀπόργης, *valde iratus*. 104.
Ἀποσφακελίζειν. 478.
Ἄπρακτος. 233.
Ἁπλῶς & Ἀφελῶς. 357.
Ἄραδος. 170.
Ἄργιλλος, & Ἀγιλλῶδες, quid? 322. 392.
Ἀργινόεντα. 392.
Ἀργιόδες. 327.
Ἀργόλιθος, an vox Græca? 327.
Ἀρδανίαι. 393.
Ἅρματα, *cibi delicati*. 42.
Ἀρχὴ, *apis ſine aculeo*. 125.
Ἀσκεῖν, *ornare*. 244.
Ἄσφιγκτον. 105.
Ἀτμὸς οἴνου. 263.
Αὐίαχοι. 284.
Αὐλίξαι. 284.
Αὐτοδάξ. 32.
Αὐτόθι. 32.
Ἀχλὺς. 264.
Ἄχος. 87.
Ἄχωρος, *Loco focoque carens*. 250.

Βάβαξ, *Nugator garrulus*, unde? 478. ſeq.
Βάζειν. 33.
Βάλανοι,

Βάλανοι, *quercus*. 479.
Βαλανειόμφαλοι. 345.
Βαρδυβαδιστὴς, *Loripes*. 374.
Βάττȣ Σίλφιον, *Proverbium*. 364.
Βέλος, *Haſta virilis*. 153.
Βλέμμα διακεχυμένον, *Vultus bilaris*. 203.
Βοιήσσωνας, vox monſtroſa. 286. ſeqq.
Βȣ́χωμα. 286.
Βράγχια, *Fauces*, & Βραγχεῖα, *dolor faucium*. 258.
Βραχεῖν & Ἀποβραχεῖν. 41.
Βρεχόμενος, de *flentibus*. 51.
Βρίζω. 481.
Βρυτόν, Βρύττιον, Βρυττὸν & Βρȣ̃τον, *Vinum hordeaceum*, quid, & unde? 198.
Βρώματα & Τρώματα, confuſa. 267.
Βρωτὸν & Βρωτὺς, *Eſca*, unde German. *Brodt*. 198
Βυκτὸν, *miſerum*, *timidum*. 105.
Βυρσοπώλης, Στυππειοπώλης, &c. *ridiculi* & *plebeji magiſtratus*, apud Ariſtophanem. 211.

Γλαύσει. 285.
Γλυκεῖαχολὴ, apud Athenienſes. 41. 512.
Γλῶσσα, unde derivanda vox? 206.
Γνωμὴ κατέπεσε ποσίν, Proverbium. 501.
Γοντεία, γοντικὸν & γοντεύειν, de illecebris & voluptatum irritamentis. 162.
Γραμματίας. 481.
Γύπαι & γυπάρια, quid & unde? 285. ſqq.

Δ & Λ in Vett. Codd. MSSt. confuſa. 336.
Δαιμόνιον. 481.

Δακρύω καὶ ἱδρῶ, de afflictis amantibus. 230.
Δακρυχόος, de *flentibus*. 51.
Δάπεδον. 286.
Δάρδανος & Δαρδανίς, *Magus* & *Saga*. 113. 114.
Δαρθεῖν & Δραθεῖν, *Dormire*. 284. deſcendit ex Hebr. Lingua. 285.
Δασὺς, *Daſus*, *Dæmon piloſus*. 36.
Δεκτὸν. 106.
Δέρτρον, *peritonæum*. 504.
Δεύτερον, de ſecundo Virtutis gradu. 446.
Δήλησις. 501.
Δημήτηρ ἐκ Κορυθέεσσι, apud Pauſan. quid? 14.
Διδάγματα γοητικὰ & ποιητικά. 163.
Διαχεῖσθαι, de *Lætitia*. 203.
Διάχυσις, *Gaudium*. ibidem.
Διαχυθὲν, & Διαψυχθὲν, confuſa. 265.
Διαφθείρειν, de *Abortu*. 485.
Διονύσου κεχηνότος Templum in Samo. 335.
Δοῦναι πλέον ἢ λαμβάνειν, *Proverbium*. 376.
Δοῦναι καὶ παρέχειν πρόσωπα καὶ σιαγόνας, de *contumeliam accipientibus*. 372.
Δρᾶν & Διαπρήσσειν, ſenſu obſceno. 163.
Δραςὶς, *Byſſus*, & Δρασιουργοὶ *Byſſum tractantes*. 287.
Δρίμα. 286.
Δύςακτον. 286.

Ἐγκεντρωθέντες, quid? 482.
Ἐγρήγορος, ἐγρηγορῶς & Εὐγρήγορος. *attentus*, *vigil*. 297.
Ἐδράσσατο, quid? 286. ſeqq.
Ἐις pro ἐν, *Atticis*. 144.
Ἑκὰς, ἑκὰς, βέβηλοι, Formula in ſacris. 369.
Ἐκκρι-

Εκκριτος, *ſelectus.* 287.
Εκλυσῶντες, Ἐκλυσσῶντες, Ἐκκλύζοντες & Ἐκλυζῶντες χυμοὶ. 388.
Ἐκπλήσσοντες χυμοὶ. 389.
Ἐκτισαί. 294.
Ἐλεφηρέα, βλαβερὰ. 482. undę derivanda vox? 483.
Ἐλιννύειν. 483.
Ἐμβάλλειν εἰς ἁλισμὸν, *ſale condire.* 73. ſeqq.
Ἔμβαχον. 484.
Ἐμπάζεσθαι. 33.
Ἔμβρυον & Ἔμβριον. 483. 484.
Ἐμβρόντητος & Ἐμβροντηθεὶς. 297.
Ἐμπλῆσαι γυναῖκα, *impregnare.* 218.
Ἐμπλήσσειν, *fama percellere.* 217.
Ἐμπολεὺς. 34.
Ἐν, pro εἰς. 144.
Ἐναίσιμος. 438.
Ἐν Ἔργῳ εἶναι, *coire.* 212.
Ἔνθεος, *Vates.* 13. 14.
Ἔννομος. 438.
Ἐνόλμιον, in *Tibiis* quid? 291.
Ἐξαμβλίσκειν. 484.
Ἐξέραμα, 45.
Ἐπαιγίζειν. 485.
Ἐπακολουθεῖν. 486.
Ἐπάκριος Ζεὺς, *ſtatua elata.* 325.
Ἐπαχθεῖς. 485.
Ἐπελιάνθη & ἐμελάνθη, quid? 272.
Ἐπίγαμος, *Virgo nubilis.* 117.
Ἐπιγραφεὺς & Ἐπίγραμμα, *pictor & pictura.* 84.
Ἐπιθαρσεῖν, de *audacibus.* 314.

Ἐπικαλύπτειν, *vitia tegere.* 44.
Ἐπίκωμος. 487.
Ἐπηλύγαιον. 486.
Ἔργον, de *Coitu.* 212.
Ἐριννύς. 295.
Ἕρμα. 288.
Ἐρύω & Ἐπερύω. 227.
Ἔρυμα. 288.
Εὐήθης, *amens.* 497.
Εὐήνεμοι. 488.
Εὐφροσύνη, *Vinum.* 168. 197.
Ἔφασαν λέγοντες. 33. 512.
Ἐφήμερον Κώνειον, *Cicuta.* 489.
Ἐφικταί, quid? 293.
Ἕως ἐρανῦ ὑψωθῆναι, de *ſumma felicitate.* 100.

Ζύθος, *Vinum bordeaceum* apud Ægyptios, 197. ſeqq. ipſius vocis probabilis Etymologia ex Hebr. 198.
Ζών & Ζοή, *Cremor*, vel *ſpuma*, 289.

Ἠγωνία. 500.
Ἠδικτὸν, *Edictum.* 292.
Ἠδυπάθεια. 32.
Ἠεροφοῖτις, *Erinnys.* 395.
Ἠκὲς pro ὀξύ. 309.
Ἤκιστος. 201.
Ἠλυγή & Ἠλυγισμένος. 486.
Ἠλυσιή, *Via.* 76.
Ἠχεῖν, *loqui*, aut *cantare.* 511.

Θ & O. in Vett. Libb. MSStis ſæpius confuſa. 416.

Θειά-

Θειάζειν & ἐπιθειάζειν. 15. 315.
Θηρίον, quævis beſtia carnivora. 76.
Θράσος, Dæmon. 36.
Θρομβώδεα ὗρα. 265.
Θρῦς. 171.
Θυμηδία, jocus, petulantia. 315.
Θυμιάματα, in Rogis. 69.
Θυμὸς οἴνου, Vini fervor. 262.
Θυμὸς παραὶ ποσὶ κάπωτε, proverbium. 501.
Θύρα, de Morte. 423.
Θῦψαι & Τυφῶσαι, unde? 490.
Θωρήσσεσθαι, vel Θορίσσεσθαι, inebriari. 40.

Ἴανθη, ἐχάρη. 203.
Ἴβυξ, Vibex. 139.
Ἴδισις, tenuis ſudor. 56.
Ἴδρις, Peritus. 103.
Ἰέναι, idem ac Ἀφιέναι. 308.
Ἴνησις, κένωσις. 257.
Ἶπες, Vermes dura perforantes. 395.
Ἵππος Σκύφιος, quid? 5.
Ἵππος, ſcortum. 290.
Ἱππόπορις, idem. 289.
Ἶρος ἄϊρος, Proverbium. 249.

Καθαιματοῦν τὰ ςήθη. 90.
Καίνω. 214.
Καίριον. 214.
Καιρὸς, pro eo, quod par eſt. 271.
Καλλιβλέφαρον, Stibium. 400.
Καλλιοῦσθαι κατ' ἀρετήν. 281.
Κάμινος & Καμίνιον. 473.
Κάνειον, κανεῖον, κανίον & κάνεον. 474.

Κανθὸς, *oculorum.* 256.
Καρδία φθέγγεται. 90.
Καρδία, *Ventriculus.* 168.
Καρδία ταχερά. 230.
Κασαλβάς. 490.
Καταγράφειν, σωφροσύνη, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, &c ſimilia. 279. ſeqq.
Κατακολυμβητὴς & κατωκολυμβητὴς. 124. 513.
Κατακολυμβᾷν. 512.
Καταρέκτης, vel κατορέκτης. 7.
Καταροιβδῆσαι. 290.
Καταςίλβειν. 291.
Καταςομίς. 291.
Καταχαρυβδῆσαι. 290.
Κατέπεσε ἡ γνώμη ποσὶν, *Proverbium.* 501.
Καψοί. 425.
Κέδματα. 426.
Κεῖρα, *generatio, aetas.* 427. 516.
Κεισιβδηλευμένοι. 427.
Κεκαλαμινθευμένοι. 427.
Κελαινὸν. 491.
Κεραυνὸς & κέρδος, confuſa. 507.
Κερματίζειν. 144.
Κεςρωτὸν ξύλον. 120. Κέςρωσις. 428.
Κεχάρημαι. 428.
Κεχηνότος Διονύσου ſtatua in Samo. 335.
Κεχηνότος Ἀπόλλωνος ſtatua in Elide. 337.
Κηδεῖν. 428.
Κηλὶς. 429.
Κήμιψ. 429.
Κίβδηλος. 427.
Κιδαφεύειν, Κίδαφος & Κιδάφη. 430.

Κίδναι.

Κίδναι. 430.
Κιναθίζειν. 491.
Κιῤῥὸν. 433.
Κίρων. 433.
Κίςη, unde? 434.
Κιμβία & Κυμβίνα. 432.
Κίκυμος & Κίκυβος. 432.
Κλέπτειν, πόλεις, ἀρχὴν, λόφον. κ. λ. 186.
Κνάμπτειν. 492.
Κνισσολοῖχος. 514.
Κνισσοτράπεζος, quid? 207. 514.
Κνισσοκόλαξ. 514.
Κομαίθα. 492.
Κομαιθώ. 492.
Κομβώσασθαι & Ἐγκομβώσασθαι. 97.
Κομίζειν. 144.
Κομμώτρια. 398.
Κονίζεσθαι, quid? 142.
Κόρη, *Proſerpina*. 14. 15.
Κορθύεσθαι, *exaltari*. 14.
Κορυβαντιᾷν. 15.
Κουρίζειν. 144.
Κοσσοτράπεζος, quid? 207.
Κοσώλοφος. 492.
Κρηνάεντα & Κρηναῖα ὕδατα. 417.
Κρηνῶδες, an *Græcum*? 418.
Κρίνον. 493.
Κροκόδειλος, varia ſignificat. 493.
Κρεσσίθυρον, *ebriorum* & *amantium*. 487.
Κρυμύειν. 492.
Κτίσαι & Οἰκίσαι. 200.
Κυδάζειν, & κυδάσσειν, *Conviciari*. 148.
Κῦδος, ἀνάκτων, Θεῶν, γυναικῶν. κ. λ. 217.

Κύμβαχος. 260.
Κῦτος aut κήτος, de fluviis magnis. 215.
Κῶμος. 487. unde origo? 488.
Κώνειον, *Cicuta*. 489.

Λ & Δ. confuſa in Codd. MSSt. 336.
Λαιλαψ, *Turbo*, de homine turbulento eſt acri. 462.
Λαμβάνειν πρὸς γάμον. 244.
Λαμβάνειν γυναῖκα. 244.
Λειτὸν, βλάσφημον. 205.
Λεπτήναυτον, σινδών. 206.
Λεχηρεῖ, σκώπτει. 206. 514.
Λευκαίνειν, de *Luce*, *Aurora* & *Stellis*. 451.
Λευκὴ ψῆφος, *Proverbium*. 206.
Λεύκολλος, λεύκυλλος & Λούκυλλος. 516.
Λευκόπωλος ἡμέρα. 452.
Λεύκωμα, in *Cruce* quid? 442.
Ληκεῖν. 435.
Λοετρά. 435.
Λοιμὸς, pro λοιμώδης, ἔλεγχος, pro ἐλεγχής, Σόφισμα, pro Σοφιστής, & ſimilia plura. 375.
Λόνδις, quid, & unde? 435.

Μάκιστος. 436.
Μακιστήρ, βέλος. 436.
Μάλις. 291.
Μαλλιργὴ, κιμωλία, ab *albo colore*. 332.
Μαλλυρὶς, Μάλλυρος & Μαλλοπάρειος. 332.
Μᾶλλον τοῦ καιροῦ, *magis*, *ac par eſt*. 271.
Μαργὸς, unde? 479.
Μαστὸς, *Poculum*, *Mamma* & *Collis*. 494.
Μέγαρον, *habitatio*, unde? 499.

Μεί-

Μείλια, Μειλίγματα. 495.
Μέλη, *Membra, pudenda.* 297.
Μέλιγγαι. 495.
Μένος, *Ardor* & *Ira.* 269.
Μένος & Γένος, confuſa. ibidem.
Μεσημβρίη, metaphorice *ſumma Felicitas.* 496.
Μῆνις, *Ira, Fervor.* 270.
Μίκαι. 497.
Μινυρίζειν. 491.
Μίσθωμα, ſenſu turpi. 507.
Μόρμοι. 496.
Μυκᾶσθαι, Μύκημα, & Μυκηθμὸς, de quavis voce lugubri. 305. 437.
Μυοκτόνος, *Aconitum.* 489.
Μύω. 437.
Μυχοί. 497.
Μώλωψ, *Vulnus, Vibex, Fractura.* 395.
Μῶϋ, Μῶυ, Μῶ, Μῶς, Μῶμ, & Μῶα, *Aqua*, apud Ægyptios, unde & *Moyſis* Nomen à quibuſdam derivatum. 437.

Νάρδος πιστική. 362.
Νάρη, *ſtolida.* 498.
Ναρκῶδες & Σαρκῶδες, confuſa. 177.
Νεαροί. 497.
Νεολιγὸν & Νεογιλὸν. 483.
Νεὸν ἢ ξένον. 214.
Νεοχμὰ & Νεοχμῶς. 182.
Νήφειν καὶ Ἀγρυπνεῖν. 298.
Νόσος & Νοσεῖν, de *Animi morbis, pravis affectibus* & *perverſis ſtudiis.* 377.
Νωγαλεύματα & Νωγαλίσματα. 42.

Ξε-

Ξενῶν, *diverſorium*. 498.
Ξηρὰ, *Terra*. 104.
Ξηρὸν, σκληρὸν, & σκηρὸν, in Vett. Libris confuſa. 136.
Ξίφος & Τόξευμα, de dictis aculeatis. 101.

O. & Θ. in Vett. Codd. MSStis ſæpius confuſa. 416.
Ὄγκος, *Ira*. 4.
Ὄζειν οἴνου, de *potoribus*. 79.
Οἰδαίνειν & οἴδημα, de *Ira*. 4.
Οἰκτιςὸν. 105.
Οἶνος κρίθινος. 197.
Ὁλκή. 461.
Ὁλότης. 207.
Ὀλολυγὴ, ὀλολυγμὸς ab ὀλολύζειν, ex Hebr. 491.
Ὁμαρτῆ. 94.
Ὄμβρια, quid? 497.
Ὄμμα & Στόμα, confuſa. 176.
Ὀμματογράφον, *Stibium ocularium*. 401.
Ὀνοκένταυροι, quid? 37.
Ὀπάζειν. 34.
Ὀπή. 286.
Ὀπὸς, *ſuccus Silphii pretioſus*. 364.
Ὀργὴ, varia ſignificat. 499.
Ὀργὴ οἰδαίνουσα, *Ira vehemens*. 4.
Ὄρη ἀεροειδῆ. 191.
Ὄρνεα & ὀρνεόπωμα. 441.
Ὀρνιθομαντις: 377.
Ὄρυμος. 499.
Ὀρχέςρια, ὀρχηςρίς. 441.

Ὀσία πομπὴ. 73.
Ὀστρακὶς, Veneris ſtatua *argillacea*. 331.
Ὀστράκινα ἀγάλματα. 328. 331.
Οὐσία & οὐσίωσις, quid? 207.
Ὄφεις, *Armillæ*. 411. & *Zonæ*. 412.
Ὀφρῦς ἄγειν, ἀνάγειν, συνάγειν & ἀνασπᾶν. 202.
Ὄχλος & Ἀχλὺς, confuſa. 264.

Παλλομένων & παλυμένων, confuſa. 499. 500.
Πάμφθογγος. 500.
Πανδαισία, *Epulum exquiſitiſſimum*. 366.
Παντορέκτης. 6.
Πάππος. 500.
Παράσιτος. 207.
Παραφρονεῖν & περιφρονεῖν. 130.
Παραφυλάττειν. 514.
Παραχρῆμα. 209.
Παρακλαυσίθυρον, *amantium*. 487.
Παρέχειν & δοῦναι, πρόσωπον, de contumeliam accipientibus. 372.
Πατριάζειν & πατρώζειν. 33.
Πελεθρόνιον. 501.
Πέλω, varia ſignificat. 501.
Πεντάμηνοι, de *partu quinquemeſtri*. 268.
Πέπτειν. 486.
Πεπυῤῥιωμένη & πεπυρωμένη, confuſa. 292.
Περαίνειν, & περαντικὸς λόγος. 228.
Περίβλεπτος. 503.
Περιγραμμὴ. 30.
Περιεκτικὰ, *ſalutaria*. 270.
Περιτόνεον. 504.

Πε-

Περικλύζεσθαι & κατακλύζεσθαι, *inebriari*. 40. 41.
Περίπατος ψυχῆς. 147.
Περιφόρειον, & περιφόριον. 97.
Περκνὸν. 143.
Πεφοινιγμένη. 292.
Πιστικὴ νάρδος. 362.
Πλαγγὼν. 385.
Πλακοῦς. 292.
Πλατυόφθαλμον, *Stibium*. 400.
Πλευμονία, *Morbus*. 39.
Πληροῦσθαι καὶ μεστοῦσθαι, de *affectibus animi* & *alimentis corporis*. 166-168.
Πλήρωμα, de *Navis onere*. 438.
Ποδιαῖος, de *Magnitudine Solis*. 191.
Ποιεῖν & δρᾶν, item πρήσσειν, ſenſu obſceno. 163. 212.
Ποιναὶ, *Furiæ*. 293.
Πολύδοτος. 505.
Πολύκενον. 520.
Πολυχερία, aut πολυχειρία. 294.
Πόννα & πῶννα, quid? 87.
Πόριμος, πότνιος & ποθεινὸς. 274.
Πότιμος, de *verbis* & *auditu*, non de *homine*. 273.
Πρᾶγμα & πρῆγμα, de *Coitu*. 163. 212.
Πρᾶος & πραῦς. 349.
Πρεπτὸν. 505.
Πρηστὴρ, & *Ventus*, & *Serpens*. 40.
Προσκόπτειν. 89.
Πρότιμος & πολύτιμος. 275.
Πτύελα ὀδυνώδεα. 267.
Πύματα. 497.

Πῦρ,

Πῦρ, idem ac πυρετὸς. 38.
Πυρίδιον, *ſubſtantia ſolis*. 190.
Πώλης. 34. 211.
Πῶλος, *Equus* & *Meretrix*. 290.
Πῶρος, *Denſitas* ac *Callus*. 149.
ſæpius confunditur πῶρος, cum
Πόρος, & χῶρος. ibidem.

Ῥάβδος, *Virga virilis*. 153.
Ῥαγῆναι & παγῆναι, confuſa. 261.
Ῥαμφὴ πρὸς οἶνον, *venenum vino permixtum*, in ſomniis. 455.
Ῥαφὴ πρὸς ὄικον, quid? 455.
Ῥεύματα & πνεύματα, confuſa. 266.
Ῥοιβδεῖν. 290.
Ῥόφιον, *Fluctus*. 88. 290.
Ῥοφεῖν. 290.

Σάνις, in *Cruce*. 442.
Σαρκάζειν, quid, & unde? 505.
Σαρκῶδες & Ναρκῶδες, in MSSt. Codd. confuſa. 177.
Σβῶ *Ægyptiorum*, quid, & unde? 465.
Σίσυφος, pro *doloſo* & *fraudulento*. 506.
Σίττα, vox *paſtoralis*. 209.
Σκάριφος, ξέσις, &c. 108.
Σκηνοποιεῖν, de *fixa ſede*, aut propoſito *certo Vitæ genere*. 321.
Σκίαι ἐπῶν, ἐπαίνων, ἐλπίδων, ὕπνων. 52.
Σκίρος & Σκίρα, *Gypſus* ſeu *argilla*. 331.
Σκύζη, *Ira*, *fervor*. 506.
Σκύφιος ἵππος. 5.
Σμηκτὶς & Σμηκτρὶς γῆ. 332.

Σπαράττειν καὶ διασπαράττειν τὰς πόλεις. 185.

Σπέρμα, *ſoboles*, *poſteri*. 236.

Σποδέω & Σποδίζω. 143.

Σπυράδες, de *globulis Myrrhæ*. 513.

Στίβη, Στίβι & Στίμμι. 404.

Στιβίζεσθαι. 405.

Στιμμίσματα & Στυμμίσματα, diverſa. 405.

Στίγματα. 42.

Στοβὸς, Στοβάζειν. 509.

Στόμα & Ὄμμα, in MSSt. Codd. confuſa. 176.

Στραγγεύεσθαι & Στρατεύεσθαι, in Vett. Codd. confuſa. 483.

Στρίγλος & Στρίζειν. 384.

Στυφᾶν, βροντᾶν. 507.

Συμβεβηκὸς, idem ac Συμπεφυκὸς. 470.

Συγκοίτιον. 507.

Συνοικεῖν, *Coire*. 296.

Σφαδάζειν. 507.

Σφαῖρα Σμύρνης. 146. 513.

Σφαῖρα, *Meretrix*. 442.

Σφαιρίδιον, de *Sole*. 190.

Σφακελισθέν. 507.

Σφετερίζειν, Σφέτερος. 508.

Σφῆλαι. 508.

Σῶμα, & Νόσημα, in MSStis Hippocr. confuſa. 38.

Ταῦρος, *Loca muliebria*. 155.

Τελισκόμενος, Ἀνδρόγυνος. 509.

Τενθρήνη & Τενθρηδὼν, *Apis ſilveſtris*. 420.

Τενθρήνιον, *Favus cellulis diſtinctus*. 420.

Τεν-

Τενθρηνῶδες, & Τενθρηνιῶδες, *Fiſtuloſum* & *cavernoſum*, de *oſſibus*, *Ferro*, *Pulmonibus*, & aliis rebus. 421.
Τερέβινθος, *Urbis*, aut *Loci*, Nomen. 295.
Τετελετμένος, *initiatus.* 508.
Τετελεσμένος, *Cinædus*, *Androgynus.* 509.
Τῆκον, & Τηκτὸν. 47.
Τηρεῖν, de *Zelotypis.* 177. 178. 514.
Τίκτειν, de *Fœcunditate Terræ.* 10.
Τόξευμα & ξίφος, de *Verbis aculeatis.* 101.
Τριχῶντες, *Dæmones piloſi.* 36. 37.
Τρόφι κῦμα. 88.
Τρύγη, *Hordeum*, & *Triticum.* 198.
Τρυγῶδες, *Materia fæculenta.* 81.
Τρυπανίζεσθαι, quid? 42.
Τρώματα, & βρώματα, confuſa. 267.
Τύλαι & Τύλοι, *Tumores calloſi.* 139. 493.
Τυφλὸν ἔντερον. 81.
Τύχη, *Opes*, *divitiæ.* 352.
Τωθάζειν, *deridere.* 148.
Ὕβρις καὶ Θρῆς. 171.
Ὑγρὴ, & Ὑγρὸν, *Mare.* 104.
Ὕλαστα, *Sarmentorum ſtrues.* 76.
Ὑπερπηδῶν, ὑπεροςῶν, inquit Heſychius, perperam, legendum enim ὑπερθορῶν, non ὑπερειδών, ut Salmaſius voluit pro ὑπερπηδῶν.
Ὑπηνέμια Ὀνείρατα. 51.
Ὑπογράφεσθαι, & Ὑπογράμματα, de *Oculis Stibio* pictis. 405. ſeqq.
Ὑπόξυλα, *Statuæ ligneæ*, *auro vel argento obductæ.* 333. conf. Caſaubon. ad Athen. Lib. IX. c. 8. p. 664.
Ὑποπυκνάζοιμι. 368.

Ὑποργίζομαι. 103. Ὑποργὴς, quid? 104.
Ὑφόλμιον. 291.
Ὑψηλὰ, *Montes.* 116.

ΦΑγέδαινα, de *Vitiis, ſeditionibus.* &c. 122.
Φαιδρύνεσθαι & καλλωπίζεσθαι, ſenſu morali. 280. ſqq.
Φαρμακεύτρια Δαρδανίς. 113.
Φάσγανα, *Gladioli.* 182.
Φατὸς, ςοίβη, φήμη. 509.
Φηγοὶ, idem ac δρύες. 479.
Φθέγγεσθαι, de *Corde mæſto.* 90.
Φιλόπαις, φιλόκαλος, φιλόπατρις, & φιλόπολις. 349.
Φίττα, & φίττα μαλιάδες, κ. λ. 209. unde origo? 210.
Φλεγυρὰ, 438.
Φλύκταιναι, *Tumores calloſi.* 139.
Φλυκτὸν, 249.
Φολιδωτὸς. 505.
Φορινὴ, de *pelle porcorum.* 97. 98.
Φορυτὸς, *ſordes.* 440. 441.
Φρικτὸν. 293.
Φυγὴ, ψυχὴ & Τύχη, confuſa. 352.
Φῦκος, φύκιον, & φυκάριον, *Fucus.* 402.
Φύλλα Ἀνδραχνῶν & Δρυῶν. 108.
Φύλλα Ἀνθερίκων, Ἀδιάντων & Ἀνθρισκίων. 110.
Φώγειν, φῶγος, φωκάδιον, & φωγάδιον, unde Latinum *Focus* & *Foculus.* 474.
Φώριον, *Indicium.* 337.

ΧΑρίζεσθαι, *ſenſu obſceno.* 433.
Χῆρος, *pauper, egenus.* 250.

Χοιράδες, *ſcopuli* & *ſcrofulæ*, ſeu *duri Glandularum Tumores*. 134. 135.
Χοιρίδια περιφόρεινα. 97.
Χολὴ γλυκεῖα, Athenienſibus. 41. 511.
Χόλος, *Ira vehemens*. 4. 270.
Χορίον, ſeu χωρίον, *Fœtus involucra in utero*. 439.
Χύῤῥα, vox *ſuaviorum*. 210.
Χύσις. 56. inde ἐκχυμιωθῆναι, hoc eſt ἐκπιέσαι, apud Heſych. ita enim legendum, non ἐκποιῆσαι.
Χυτὸν, *liquidum*. 46.
Χῶρος, varia ſignificat. 440.

ΨΑύριος. 440.
Ψέκας, à Ψεκάζειν. 398.
Ψέλλια, *Armillæ*. 412.
Ψιλὰ καὶ περιεσκεπασμένα. 245.
Ψίττα, Ψύττα, Σίττα & Φίττα, *vox paſtoralis ad gregis curſum incitandum*. 209. 515.
Ψίττον & Ψιττάζων, idem 209.
Ψοθὸν, ψόθος, & ψοθίον. 441.
Ψυγεῖα, *Vaſa potoria*, & *potus*. 351.
Ψυχὴ, *vita*. 351.
Ψυχῆς περίπατος. 147.

Ὠμογέρων. quid? 510.
Ὠμῷ γήραϊ, apud *Heſiod.* & *Heſych.* quid? 509.
Ὡραῖα γάμου, *Virgo nubilis*. 117.
Ὠρύω, ὠρύομαι & ὠρύωμα, de quavis *voce lugubri animalium*, *hominum*, & *mugitu Terræ*. 304.

INDEX IV.

RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

ABire ſibi, vel *ex ſe*, de Entheis & fatidicis. 99. ſeqq.
Abortus quinquemeſtris, periculoſus. pag. 267
Acrolitha ſtatua. 325
Adapertus, calamitatibus libere expoſitus. 179
Adductius imperitare. 203
Adſitteus, Monſtrum vocis. 210
Æginetica ſtatuæ, rudes ante Dædalum, & concretis pedibus. 470
Ægyptus, & venenorum, & ſalutarium plantarum ferax. 12
Ægyptii, cadavera condiunt. 195
Æthalos, Uva nigra. 85
Æther, quid? 276. &
Æquor, confuſa. 278
Ager, contrahendis Nuptiis aptior urbe. 318. ſeqq.
Agricola Taciti, honeſtus Miles. 57
Agere, ſenſu obſceno. 163
Ajax, Auriga, judex. 211
Albeſcere, de ſtellis & hominibus pallentibus. 451. 518
Alexander M. Turbini & *Procellæ* ſimilis. 461
Aliena loqui, de Febricitantibus. pag. 477
Altitudo & *Multitudo* confuſa. 247
Alvei vitrei belli, de Tabulis latruncularíis. 347
Alveus luſorius Pompeji M. e duabus ingentibus gemmis. 348
Amittere & *Emittere*, promiſcue. 22
Ammon Laſerpiciaris. 365
Anhelitus Amantium. 39
Animo ſuperior. 312
Anthericus, ſeu *Aſphodelus*, in ſacris magicis adhibitus. 109. ſeqq.
Antherico Proſerpinæ ſimulacra coronata. 110 eodem veſci creduntur Manes, & mortuorum tumuli conſiti. ibidem.
Antiochus Cizicen. ablata aurea Jovis ſtatua, auratam ſubſtituit. 333
Apellis de artificioſa Protogenis Tabula judicium. 447
Aphoriſmorum Hippocratis antiquiſſimus Cod. MS. in

in Bibliotheca Regia Pariſienſi. pag. 258
Apio Victores in Ludis Nemæis coronati. 455
Apodixis, quid? 227
Apri gauſapati, apud Petronium. 98
Aquilæ Pullus, quale ſymbolum apud Ægyptios. 235
Arbitrium Mortis, perdere, aut habere. 153 ſeqq.
Arbores, ventis proſtratæ, ſua ſponte reſurgunt. 17
Arbor & *Ardor*, olim confuſa. 155
Archeſtrati Syracuſii Libri laſcivi vavii. 160
Ardeliunculus, quid? 85
Argillaceæ & fictiles olim ſtatuæ, miniatæ ſæpius & auratæ. 328. ſqq.
Argolica Statua, quid? 324
Armillis Feminarum ornatus Sardanapalus. 411
& Heliogabalus. 412
Artabazi & Darii flebilis Hiſtoria. 47. ſeqq.
Artem Midæ, pro *Artemida*, vitioſe ſcriptum. 361
Aſſequi dolorem, an Latinum? 414
Atalantæ, Jaſonis Filiæ proci moleſtiſſimi. 169
Attentus, & *Attonitus*, confuſa. 297
Athenienſes, *Fel dulce* appellant. 41
Atrox, ſenſu bono. 229
Atrox Stilus, qui? ibidem
Auro vel Argento, Statuæ ligneæ, fictiles & argillaceæ obductæ. 333

B*Alſamum* ſine impoſtura. 362
Bardocucullus, genus veſtimenti Santonici. 85
Bardybadiſta, aut *Bardubadiſta*, apud Petron. 374
Belus, Fluvius Palæſtinæ, vitriferis arenis nobilis. 340. ſeqq.
Bellum Vitreum, Ludus latrunculorum. 347
Beta ex *Aceto*, Ventrem emollit. 382
Bibere, *Adbibere*, *Imbibere*, & *Perbibere*, eleganter pro *diſcere*, *ſuſcipere*, *recondere*. 193
Bilem habere, an de Febriculaললioſa dici poſſit? 138
Bionis philoſophi callida vivendi ratio. 275
Boves ſolidum Os Cornuum loco, habentes, quomodo appellarit Democritus? 416
Braſſicæ Laus, apud Varronem. 465
Brodt Germanorum, unde derivandum? 198

C. & S. confuſa in Vett. Codd. 223. item C. & G. 283

Cæcum Inteſtinum, pro parte coli. 81
Calida potio Veſtiarius. 367
Caligo oculorum, ante hæmorrhagias. 264
Calliblepharum, Stibium, ab effectu. 400
Calor, corpora diffundit. 266
Calor aëris, Animalium bilem auget. 269
Calphurnia, Titi Imp. uxor, ob virtutem, Statua Argolica, ſeu argillacea potius, aurata honorata. 324
Canes, Volucres, & Beſtiæ carnivoræ conjunct. 75
Catillus Concagatus, monſtroſa vox. 385
Catillus Ornatus, Edulii genus apud Romanos. 385
Cato Uticenſis, vulnera rumpit. 140
Cauſſa, *Cauſſatio* & *Cauſſarium*, de corporis vitiis & morbis. 374
Cei, cicuta aut aconito ſeſe interimunt. 489
Celare & *Velare*, in Vett. Codd. confuſa. 43
Cenſum mergere, de prodigis & guloſis lurconibus. 224
Ceres, furore percita, amiſſam Proſerpinam ubique fruſtra requirit. 14. 15
Cerevifia, Veterum Ægyptiorum & Germanorum. 197. ſeqq.
Cernunnus, Veterum Gallorum deaſter, unde? 402
Charta plumbea. 343
Charybdis, unde dicta? 291
Choerades, petræ marinæ, & duri glandularum Tumores. 134. 135
Chroma Stibii. 404
Chroma (χρῶμα,) & *Chromatiarius*, apud Latinos. 409
Chytra, ſeu *Chutra.* 345
Cichoreum, Malva & Beta, alvum laxant. 383
Cinis, Calidus, Muſcis Apibusque frigore mortuis vitam reddit. 368
Ciſta, unde derivetur? 434
Civitas Stoicorum. 174
Cleodemus, Philoſophus Peripateticus, ob mordacem dicacitatem, Gladius & Bipennis dictus. 101
Cocceum, *Coccinum* & *Coccineum*, Promiſcue dicitur. 221
Cocceis Toris accumbebant lautiores convivæ. 222
Cohabitare, coire. 296
Commodi Imp. ſupellex pretioſiſſima. 338
Commotria & *Coſmotria*, Capillorum ornatrix. 398

Com-

Comportare, *Deportare* & *Transportare*, de hominibus huc vel illuc delatis. 184
Condire, pro pollingere corpora. 195. ſæpius confunditur cum *condere*. ibidem, & 514
Conditores Urbium, earum origines callide ad Deos referebant. 200
Copia, pro *manu armata*. 127
Criticorum ridiculæ & intolentes Exclamationes. 502
Crocodilus, *Callum*, *Veſperam* & *Urbem* ſignificat. 493. ſeqq.
Currere, & *Corruere*, confuſa. 61
Curtius, quando vixerit, nondum conſtat. 240
Cuſpis, pars Viri inhoneſta. 153

D & Cl. confuſa. 424 Vid. Paul. Leopardi- Emendat. Lib. X, c. 25. ubi plura exempla.
D. & T. promiſcue olim adhibita. 467
Dædalus, primus ſtatuas divaricatis cruribus ſculpſit. 470
Dardanus, Ægyptius Magus notiſſimus. 113. ſeqq.
Dardania, ſaga, ab eodem, ibidem.
Dardaniæ Artes, hinc Artes magicæ. ibid.
Dardanarii, in Digeſtis, qui? 114
Dare & præbere *Ora* contumeliis. 372
Dare plus, quam accipere, proverbium. 376
Daſus, & *Daſius*, Dæmon piloſus. 36
Democritus, ſingulari & difficili ſtilo uſus. 417
Depicti oculi verecundia. 280
Diadematus. 70
Dibutades ſicyonius, figulus, primus inventor ſtatuarum fictilium & argillacearum. 329
Dictynnæ Ara. 80
Diogenis Cynici ſententia de *exercitiis juvenum athleticis*. 356
Ejusdem *inſepulta ſepultura*. 71. ſeqq.
Dionyſius major, peſſimus Siciliæ Tyrannus, placide obiit. 63. ſeqq.
Druſius, an *Silvanus*? 35
Ducere, & *Adducere Vultum*. 202. ſeqq.
Duſius, Dæmon apud Gallos Vett. 36

E *Briacus*, vinoſus. 77
Ebriorum vomitus non ſedandi. 262
Efferre, de Re funebri. 69
Egregiarius, quid? 296
Eliſſus, ſeu *Iliſſus*, Atticæ & Corinthi Fluvius. 71

Eloquentia lancinans, quid? 101. corrupta. 173
Elpis Samius, Leonis laborantis Medicus & Chirurgus. 315
Emittere, & *Amittere*, ſæpius idem. 22
Endæus, celeb. *ſtatuarius*, Dædali diſcipulus. 511
Epicurea Schola innumerabiles diſcipulos & ſectatores peperit. 125
Equæ, Meretrices & Virgines dictæ. 290
Equites, clivo ſtantes ægre pugnant. 424
Erectus, & *Erectior*, pro *incitatus*, & *alacris*. 246
Etymologica varia. 5. 87. 114. 198. 205. ſeqq. 210. 285. 286. 288. 289. 291. 297. ſeqq. 390. 402. 426. ſeqq. 474. ſeqq. 483. ſeqq.
Expugnare, de omnibus Navium periculis & Calamitatibus eleganter dicitur. 386

F*Acere*, & Agere, ſenſu obſceno. 163
Faceſſere, quæ vis hujus verbi? 123
Faciem turpem pingere bonis moribus. 279
Facundus, & *Fœcundus*, confuſa. 88
Feciales Haſtam ſaligneam præuſtam immittebant in hoſtium fines. 120
Feminarum vera pulchritudo. 280. ſeqq.
Feræ & manſueta Animalia, quid in ſomniis Portendant? 453
Focus, vox Græca, non Latina. 474
Fontes in ſomno conſpecti, quid ſignificent? 266
Frumentum Inſulæ Æthiop. Meroës procerum. 120
Fucus feminarum, apud Veteres. 403. ſeqq. unde vox derivanda? 402
Fugæ meræ, pro Fugitivis. 173
Fundere & *Diffundere Vultum*, de Hilaritate. 203
Funus, de Homine morituro, aut infelici. 48
Furari, de Urbibus & Caſtellis, clanculum & aſtu occupatis. 186

G. & C. in Vett. Codd. confuſa. 283
Galcaci, fortis Caledonii maſcula oratio. 358
Gallulare, pubeſcere & prurire. 154
Gaſtronomia, *Gaſtrologia* & *Hedypathia*, laſcivi *Archeſtrati* Libri. 160
Gauſapati Apri, apud Petronium quid? 98
Gelu, corpora conſtringit. 266
Geſtare Hortamina, an Latinum? 196
Gladius, Venenum ſignificat. 456
Glaucus, piſcis, tempeſtate

te pullos ore continet. 175
Globus, Myrrhæ. 146. 513
Gloria, de præſtantia Rerum & Perſonarum. 217
Græca, in Latinis Codd. MSStis vitioſiſſime & monſtruoſiſſime olim exarata. 322
Graminea Haſtæ, apud Ciceronem. 120
Grumoſæ Urinæ Calculum indicant. 265
Gypſus, Materia ſæpius Statuarum. 331

HEbræa Lingua aut *Phœnicia*, Mater *Græcæ*. 431. & paſſim in ſeqq.
Halitus Cadi, de vini potoribus. 79
Haſtæ ſanguineæ, ſeu rectius *ſāligneæ*, in bello inferendo. 120
Haſtæ gramineæ, apud Ciceronem quid? 120
Hecas indicere, quid? 369
Heraclitus, pythagoram & Heſiodum deriſit ex faſtu. 147
Heulen, Germanorum ex Hebr. 491
Homines ex Gleba Lacrimis & ſudore madefacta ac ſubacta à prometheo conditi. 15
Homines, ex quibus conſtent partibus ſecundum Græcos & Hebræos? 260
Hordei Vina, vel *bordeacea vina*, Ægyptiis & Germanis olim frequenti in uſu. 197. ſeqq.
Horu & Horuuug, Germanorum unde? 402
Hoſtium, idem, ac *Oſtium*. 423

JAxartes, vocatus olim Tanāis. 205
Iliſſus, Fluvius. vid. *Eliſſus*.
Imperare & *Impetrare*, confuſa. 184. 514
Impleri, de Animi affectibus & corporis Alimentis. 166. 168. 514
Impunitus Vitâ, apud Ciceronem. 66. ſeqq.
Incerta Salutis, belli, caſuum &c. eleganter dicitur. 457
Invidia Minervæ infeſta. 204
Inundari Vino, pro *inebriari*. 40
Joculare, & *Jocularium*, de rebus & perſonis. 254
Jocularis homo, Mimus ridiculus, ibidem.
Iſis, unde derivandum? 464
Iſocratis Rhet. acutum dicterium de Athenienſibus. 128
Jugata auro cornua, quid? 91. 92
Jumentis in lapidoſis locis ungulæ durantur. 150

Jus ſui perdere. 355
Jus Vitæ & *Necis* Stoicorum, in ſemet ipſus. 456. ſeqq.

KIſte & *Kaſten*, Germanorum, unde? 434

LAcerare, de Urbibus, Legibus & Republ. 185
Lacrimæ Heroum. 50
Lacaſim dico, apud Petron. quid? 369
Lætitia, pro Vino. 197
Lancinans Eloquentia, qualis? 101
Larvale ſimulacrum. 384
Laſerpicium, ſeu Silphium Cyrenaicum. 364
Laſerpiciaris Ammon. 365
Latinæ Voces, apud Heſychium. 88
Levare, *Velare*, & *Celare*, confuſa in MSt. 43
bya, propter ſummum aëris fervorem Animalia habet iracundiora & morſu nocentiora. 269
Ligneæ Statuæ, auro argentove obductæ aut miniatæ. 333
Lolliæ Paullinæ pretioſæ ſpiræ in Capite. 399
Luctari, de periclitantibus, aut morituris. 317
Luctu & *Alimentis impleri*. 166--168
Lucullus, maximus Romanor. Helluo. 338. 515
Luſtratio, propter Mortuos. 394
Luxus, Romanorum & Græcorum in vaſis coquinariis argenteis. 346.
Lyncurii Lapidis uſti cinis potus Remedium contra calculum. 142

MAlacterium, ſeu *Malthacterium*, Medicamentum Ventrem emolliens. 382
Mahl, Germanorum, h. e. Macula, à Græcor. Μαλίς. 292
Malicorium, Cortex Mali Punici. 387
Malva, Beta & Cichoreum, alvum laxant. 383
Manes, veſcuntur *Aſphodelo*. 110
Mangonica & *redhibita* Turba. 373
Maniola, turpis Larva. 384
Manuciolum, quid? 384
Manus nudæ & *crudæ*, apud Senecam. 140
Matrix Amoris. 155
Membra, genitalia. 295
Mena, inſula Lacus Tritonidis ardens. 9
Menedemi, philoſophi temeritas. 313
Mergere cenſum, de guloſis helluonibus. 224

Meroë,

Meroë, Æthiop. Inſula, proceri tritici ferax. 120
Merulæ Zelotypæ. 177
Mimica cœna, apud Senecam, quid? 62
Mindyrides, molliſſimus Sybarita, vid. *Smindyrides.*
Minucii ingenua erroris confeſſio. 445
Moly Homericum, contra veneficia. 137
Idem ſenſu obſceno. 154
Moneri velle ac poſſe, *ſecunda Virtus.* 443
Montes diſſiti, nubibus ſimiles. 192
Morbus, & *Morboſus*, de pravis animi affectibus & perverſis ſtudiis. 377
Morboſus in *Aves*, ὀρνιθομανής. 377
Moribus bonis ſe *pingere.* 279. ſeqq.
Mors, quomodo contingat ſecundum Hippocratem? 259
Mors, portus, finis & oſtium Miſeriarum. 423
Mortis arbitrium perdere, aut habere. 354
Mugitus, de homine & Tuba. 305
Mugitus Terræ, inter oſtenta. 306. ſeqq.
Mullus piſcis, moriturus, varios pulchros colores induit. 316. ſeq.
Muſcæ, mortuæ, calido aſperſo cinere reviviſcunt. 370
Muſicæ mira vis. 60
Mycematiæ & *Mycetiæ*, horribiles Terræ Mugitus. 306. ſeqq.
Myrrha, globoſa & gleboſa, ad faciei venuſtatem confert. 145
NArdus piſtica, in Evangelio. 362
Neronis ineptum Carminis pangendi ſtudium. 131
Nicandri Colophonii Georgica de Coronamentis. 180
Nilus, Fluviorum prima gloria. 216. 515
OCuli, humentes, manantes uventes. 50
—— verecundia depicti. 280
Oculi Stibio dilatantur. 400
Oleum legitimum. 362
Oleum ſelgiticum, nervis utile. 363
Ollulæ Rhodiacæ. 343
Oncheſtia palus Thebana, mugitum edit ob Alexandri adventum. 299
Opinionis ſermo, an Latinum? 469
Opſologia, luxurioſus Archeſtrati Liber. 160
Opus, ſenſu obſceno. 212
Orgia, ſacra Liberi, unde dicta? 116

Ornatrix Capillorum. 398 ſeqq.
Ornatrix Stibiaria. 405
Ornatus Catillus, Lagana apud Romanos. 385
Os ſuum *dare*, præbere, offerre, de accipiendis contumeliis. 371. ſqq.
Oſtium, ſeu *Hoſtium*, Mors. 423
Oſtrea vermiculata, quid? 30
PAllida, & *Pendula* ſilva. 54
Pallor, idem ac *ſqualor.* 55
Pandæſia, non Homo, apud Petron. 367
Participia, duo ſæpius apud Græcos poſita, haud ſequenti verbo finali. 315
Pedalis Sol Veteribus viſus. 191
Phallovitroboli, vox monſtroſa. 337. ſeqq.
Phalli, vitrea pocula obſcena formâ. 342
Phialæ e vitro Beli. 340
—— ex varia materia paratæ. 444
Philoſophi veteres foco loco que carentes. 250
Phitta Mulionum agere, quid apud Petronium? 209
Phœnicia aut *Hebræa Lingua*, Mater *Græcæ.* 431. & paſſim in ſequentibus.
Phyſalus, Monſtrum marinum informe. 176
Picrides. 146
Pingere bonis Moribus. 279 ſeqq.
Pingere, & *Vincere*, confuſa. 283
Planctus uberum, in Luctu. 90
Plangon, & *Planguncula*, quid? 385
Platyophthalmum, Stibium, ab effectu. 400
Plumbea Charta. 343
Plus dare, quam accipere, Proverbium. 376
Pœnæ, Furiæ. 293
Popa, quid? 11
Populus & *Pupillus*, confuſa. 11
Item & *Joculus*, apud Ciceronem. 254
Porcelli, integri pelle ſua tecti, in cœna poſiti. 96. ſeqq.
Præpes & expeditus, de Animo. 140
Privus, & *primus*, ſæpius confuſa. 466. 518
Privatio Sepulturæ ignominioſa. 237
Procerum, vitioſe pro *porro Cœlum.* 468
Proripere ſe. 183
Proſerpina, κόρη. 14. ejus ſimulacra *Aſphodelo* coronata. 110
Pſecas, capillorum ornatrix. 398. 517
Pulchritudo feminarum vera. 280. ſqq.
Pupillarius, Pupillorum Tutor. 12
Purgamina & Purgamenta Maris. 30
Puſtulæ effloreſcentes, nunc

nunc bonæ, nunc malæ. 270
Pythagoræ effata pro oraculis divinis habita. 124
Pyxis aurea. 343
RAdius Amoris vel *Ardoris*, vaſa virilia. 153
Radius & *Radix*, olim confuſa. ibidem.
Radix, ſenſu obſceno. 154
Ramus, ſenſu laſcivo. 154
Redhibere, *Redhibitum* & *Redhibitio*, quid apud JCtos? 373
Rediculum & *Reticulum*, promiſcue. 467
Riguus & *Irriguus Vultus*. 49
Robek, *Jo.* Avtochiriam peculiari Libro laudavit, ipſe demum Avtochir. 423
Rogus, an de homine dici poſſit? 48
Rogus Tympanidis, apud Ciceron. quid? 63
Roſæ Folia duplicata vibices creant Smindyridæ Sybaritarum molliſſimo. 138
Roſæ Suggeſtus quid? & an Latinum? 220. 221
Rumen implere. 168
Rus, ad Veneris gaudia carpenda Urbe aptius. 318. ſeqq.
SAbazius, Bacchi cognomen. 77
Saburratus, ſaginatus. 77
Sævi & *Scævi* canes. 53
Sale condire. 73
Saltationes laſcivæ variæ. 159
Samnitica Vaſa. 343
Sancta pax. 26
Sapores duplices. 388
Saracbero, comæ ornatrix. 398
Sardanapalus, oculos ſtibio pinxit. 406
—— *Armillis fœminarum* ornatus. 411
Scelera, pro ſceleratis. 375
Scripta laſciva varia Veterum. 160. ſqq.
Secunda Virtus & Sors. 444
Selgiticum oleum Nervis utile. 363
Senes, an increpandi? 93
Sentina, *Vappa* & *Sapa* Ructus. 78
Sepulturæ privatio, ſumma ignominia. 137
Sibus, & *Perſibus*, callidus, aſtutus. 197
Silentium Perſarum ſummum. 413
Silphium Cyrenaicum, magno in pretio & uſu. 364
Smindyrides, molliſſimus Sybarita, ex Roſarum foliis duplicatis vibices accipit. 138
Sol, in ortu & occaſu diverſi coloris. 188
Sol, *pedalis* magnitudine viſus olim philoſophis. 191
Speculator & *Spiculator*, decollandi Artifex. 241. 516
Spiræ, in coma feminarum. 399
Stagnum & *Stannum*, confuſa. 88
Staminarias ducere, quid? 368

Statuæ Veterum, *argillaceæ*, & fictiles, item ligneæ, ſed miniatæ & auratæ ſæpius. 329. ſeqq. 333
Statuæ ante Dædalum, rudes. 470
Stellatura, *Stellionatura* & *Stellionatus*, Fraus. 239 ſeqq.
Stibium, coſmeticum *oculorum* & *palpebrarum*. 400. ſeqq.
Stibii Chroma. 404
Stibii virtus in oculorum Morbis. 405
Stibiaria Ornatrix. 403
Stili, calamiſtri. 400
Stoicorum Iræ Definitio. 4
Stoicorum Gravitas, aut *Civitas*. 174
Stramentitius Plangon, quid? 385
Stricta Tela. 26
Striges, quid & unde nomen? 384
Stropha, Fraus, dolus. 127
Struere, eleganter conſtructum. 359
Suculæ, Hyades dictæ Veteribus. 115
Suggeſtus Roſæ, quid? 220. 221
Sutura Capitis in morte nigrefacta. 272
Sutura in Domo, quid? 455
Sybariticus, de molli & effeminato. 77

T & D. promiſcue poſita. 467. conf. Cel. Chishull, in Not. ad Monument. Ancyran. 188.

Tabeſcere, metaphoricus verbi uſus. 450
Tabes, eleganter de uſuris, vitiis & ſeditionibus. 121. ſeqq.
Tanäis, Jaxartes dictus. 205
Taurus, de partibus obſcenis utriusque ſexus. 155
Telum, pars Viri inhoneſta. 153
Tempe Theſſala, ob altitudinem, vertiginem creant. 247
Templum κεχηνότος Διονύσυ, in Samo ſacratum. 335
Terebinthus, Nomen oppidi aut Loci, à Terebintho quadam arbore ſacra deductum. 295
Theriaca, viſcerum indumentum. 367
Thericlea pocula, ex varia materia. 343
Theſſalæ Veneficæ notiſſimæ. 112
Theſpis, Tragœdias plauſtris vexit, quod prohibuit Solon. 24
Thymaridæ Heroum, quid? 65
Thymiamata in Regis funere. 69
Timor, pallidos facit homines. 1. 511
Tituli & Tabulæ, facinoroſorum in collo & cruce. 442
Tolmidæ Vates, quis? 13
Tori Coccinei, in opulentiorum Tricliniis. 222

Toro matura, Virgo nubilis. 117
Tragœdiarum Argumenta, non pauperes, ſed divites Terrarum domini. 249
Trochiſci ex Myrrha. 146
Tryblium, quid? 346
Tulli ſtatua lignea inaurata. 334
Tumor, idem ac *Ira* & indignatio. 2. ſeqq.
Tumor, & *Timor*, ſæpius confuſa. 4
Turbo, de homine turbulento. 462
Tympanidis Rogus, apud Ciceronem, quid? 63. ſeqq.
Vacillare, pro fidem fallere. 22
Valeriani Corvi ſingularis comitas. 313
Validæ ſegetes & herbæ. 467
Vaſa Samnitica, 341. coquinaria ex argento. 346
Vavato ſtramentitius, quid? 384
Velare, & *Convelare*, de colorandis vitiis. 43
Venenum, *Gladius* dicitur. 456
Vermiculata Oſtrea. 30
Vertice ſidera tangere, Proverbium. 100
Vertigo, ex Locis altis frequens. 247. ſenſu morali ſumitur. 248
Veſpaſiani, Titi, ſingularis comitas. 312
Veſtiarius, calida potio. 367
Vibex, Tumor calloſus. 139
Vigens gradus, firmus, immotus. 21
Vina Hordei, aut *hordeacea*, vid. *Hordei Vina*.
Virga, pars virilis obſcena. 153
Virginal, quid? 296
Virtus, & *ſors ſecunda*, quid? 444
Viſcera Reipublicæ, Senatus, Legum. 12
Vitâ Impunitus, apud Ciceronem. 66. ſeqq.
Vitæ & *Necis jus*, Stoicorum in ſemetipſos. 458 ſeqq.
Vite & *Vitement*, Gallorum, unde derivandum? 210
Vitreum Bellum, de Ludo Latrunculorum. 347
Vitrum Beli. 340. ſeqq.
Udi, *tanquam Mures*, Proverbium. 371
Ut dii pro *udi*, apud Petron. 371
Ululare, unde origo? 491
Vomitus, Ebriorum, non ſedandi. 262
Vox cœleſtis, ad Socratem miſſa. 83
Urinæ grumoſæ, calculum indicant. 265
Uſio, pro *Uſu*, *Uſura* & *Utilitate*. 380
Vultus hominum diverſiſſimi. 95
Vultum Ducere, & *Adducere*, item *Diffundere*, quid? 202. ſeqq.

ERRATA QUÆDAM OPERARUM LEVIORA, SIC PRO ARBITRIO CORRIGENDA.

Pag. 26. leg. *quidam* volunt. Ibidem in fine del. *facili*. pag. 29. Cap. XIV. leg. *confirmata*. pag. 31. in fin. del. *legen*. pag. 39. leg. *edacitate*. pag. 41. leg. *eleganter*. pag. 50. leg. *famam*. pag. 75. leg. *βεάσιν καὶ*. pag. 84. leg. *Epigraphevs*. pag. 87. leg. *legendum*. pag. 89. leg. *cogitationes*. pag. 93. leg. *Δένδρον*. pag. 114. ſemel leg. *Chartummim*. item חרטמין. pag. 130. pone *Caput XXI*. pag. 141. leg. *φαγῦσα*. pag. 142. leg. *hæc* doctiſſ. pag. 159. fin. *legendum*. pag. 162. leg. *inducit*. pag. 177. leg. *Zelotypis*. pag. 180. leg. ipſe *certe*. pag. 181. leg. *tennitatis*. pag. 245. Cap. XXI. fin. leg. *affulſerit*. pag. 256. leg. *deſcriptas*. pag. 264. leg. *ὑστέραι*. pag. 270. leg. mea *certe*. pag. 298. leg. *emphaſi*. pag. 308. leg. *ἐπαφῆκεν*. pag. 316. *τῆς*. pag. 317. leg. *ergaſtulo*. pag. 327. leg. *ἀργόχηλος*. pag. 339. leg. *inauditum*. pag. 351. leg. *ζωὴν*. pag. 356. leg. *agmina*. pag. 374. *ædilitio Edict*. pag. 392. leg. *deficientem*. pag. 435. leg. *λυτὴρ*. pap. 457. leg. *collegit*. &c.

Reliquæ viliores maculæ accentibus, interpunctionibus &c. hinc inde adſperſæ, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura, quarum tamen numerum perquam exiguum læti deprehendimus, Lectorem eruditum, ut ſpes eſt, haud morabuntur, ineruditum autem non offendent. Ille enim iſtas cautus facile intelliget; hic contra ſecurus negliget: ſicque condonabit nobis alterius indulgentia, nec imputabit alterius indiligentia.

005578596

Digitized by Google